image
not
available

10. 4. 255

Digitized by Google

HI

Digitized by Google

10 . 4 255

Digitized by Google

JOSEPHI AUGUSTINI
ORSI
ORDINIS PRÆDICATORUM

DISSERTATIONES DUÆ:

De Baptiſmo in nomine JESU CHRISTI,

ET

De Chriſmate Confirmatorio.

Digitized by Google

10. 4. 255

Digitized by Google

DE BAPTISMO
IN NOMINE
JESU CHRISTI.

Et de Hæreticis, qui Baptiſmi formam olim adulterarunt,

DISSERTATIO HISTORICA
IN DUAS PARTES DIVISA;

AUCTORE

FR. JOSEPHO AUGUSTINO ORSI
ORDINIS PRÆDICATORUM
Cathedratico Caſanatenſi, & Sac. Cong. Indicis Conſultore.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Domino

D. ANTONIO RAMBALDO
S. R. I. COMITI COLLIS-ALTI,

Sancti Salvatoris, Ray, Credatii, Muſeſtris, Collis Sancti Martini &c. in Italia;
In Germania verò Dynaſtæ Pirnitii, Rudoletii, & Cervæ, ac Poſſeſſori hypothecario publicorum vectigalium in Ybs Civitate ad Danubium, S. C. C. M. ab intimis Conſiliis Status, ut vocant, & Camerario, Claviſque aureæ Equiti, Nobili Veneto &c. &c. &c.



MEDIOLANI IN REGIA CURIA, MDCCXXXIII:

Apud Joſeph Richinum Malateſtam Regium Ducalemque Typographum.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

10.4.255

Digitized by Google

Ill.mo & Exc.mo D.

D. ANTONIO
RAMBALDO
S. R. I. COMITI COLLIS-ALTI
&c. &c. &c.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
S. P. D.

CLarissimi nominis tui fama, Comes Excellentissime, tùm à vetusta Rambaldorum nobilitate, ac ab amplissimis feudorum titulis, quibus in Italia, & in Germania dominaris, cum à cognationum splendore, ac dignitatum ornamento, quæ

Fam-

Digitized by Google

Familiæ tuæ decus augent, animum in te meum excitavit ad officium non illiberale, Tibique fortasse non ingratum. Librum sisto, Comes Exc.me, doctrinæ pietatique tuæ in Deum optime convenientem, qui clarissimum habet auctorem. Is est Fr. Joseph Augustinus Orsi è Dominicana Familia inter eximios ætatis nostræ Theologos numerandus ob editos in hanc usque diem acutissimi ingenii sui fœtus. Argumentum novi hujusce operis, quod manu scriptum nactus fueram, ac typis Richinianis vulgatum volui, longè latèque diffunditur ad varias, easque gravissimas quæstiones de Baptismate in Christi Jesu nomine, ac de Chrismate confirmatorio. Græcorum Latinorumque Patrum sententiæ referuntur, & ad amussim revocantur. Actæ sunt earum aliquot inter ipsos nostrates Catholicos, ceteræ vero ab Acatholicis propositæ sunt; atque inde cognosces materiæ majestatem, ut ita dicam, gravissimo judicio tuo parem, imo vero dignam auctoritatis præsidio inter Germanos præcipuè, apud quos plurimi vales. Erunt namque plures è Basnagii lectoribus, quibus acescat stomachus, cùm argumenta legerint, quibus docti ceteroquin hominis sententia refellitur, atque insignis error improbatur.

Tu verò, Comes Excellentissime, qui longa studiorum exercitatione opinionem doctrinæ tuæ firmasti, partibus nostris juvare plurimum poteris,

cùm

Digitized by Google

cùm hæc libenter acceperis, & patrocinio tuo propugnaveris, ea ſermonis vi & elegantia, qua uſus es ad hortatoriam orationem pronunciandam in ſacris Comitiis pro eligendo Summo Pontifice, cùm CAROLI VI. legatione fungereris tanto decore ac ſumptu, ut gratiam Tibi non vulgarem ab ipſo AUGUSTISSIMO CÆSARE ac bonis omnibus comparaveris. Erit, Excellentiſſime Comes, ex patrocinio tuo Auctori ſolatium, qui diligentiam meam in inquirendo patrono commendabit. Erit Catholicorum cauſæ triumphus, mihique lucrum inæſtimabile, ſi ex animi devoti ſigno, gratiam, ſavoremque tuum impoſterum comparavero. Id anxiè deſidero, & ut facias rogo, mihique ferme polliceor ob notitiam humanitatis tuæ, quæ firmam injecit animo ſpem, ut in clientelam tuam quæſita hac occaſione venire poſſim, quod unicè optabam. Vale.

Dabam Mediolani IV. Nonas Julias MDCCXXXIII.

Digitized by Google

DIssertationem Historicam *de Baptismo in Nomine Christi &c.* jubente Reverendiss. P. Thoma Ripoll Ord. Præd. Mag. Generali, adtente examinatam, omni ex parte dignam judicavi, quæ in lucem edatur. Præterquamquod enim nihil in ea occurrit quod Religionis Catholicæ placitis absonum censeri possit; doctrinæ & eruditionis non passim obviæ delecta ornamenta præfert. Ob hæc placituram omnibus illis quibus hujusmodi studia probantur, nullus dubito.

E Cœnobio Minervitano 3. Nonas Jun. an. 1732.

Fr. Thomas Minorelli Ord. Præd. Sac. Theol. Mag. & Biblioth. Casanat.

DIssertationem Historicam *de Baptismo in Nomine Jesu Christi, & de Hæreticis, qui Baptismi formam olim adulterarunt* eruditè elaboratam ab Adm. Rev. P. Josepho Augustino Orsi Ord. Præd. Cathedratico Casanatensi, & Sacræ Congregationis Indicis Consultore, de mandato Reverendiss. P. Fr. Thomæ Mariæ Ripoll ejusdem Ord. Magistri Generalis, accuratè examinavi, in qua ut genuinus sui Angelici Præceptoris discipulus, in ejusque operibus apprime versatus, qui in omni sententiarum suarum delectu Patrum consensionem sectatus est, prælaudatam doctrinam à primoribus & fonti vicinioribus Ecclesiæ Doctoribus non tam depromtam, quàm exscriptam S. Thomam tradidisse dilucidè, solidèque demonstrat, & antiquitatis peritus hæreses circa formam Baptismi pro temporum varietate exortas gravissimis monumentis explanat. Cumque eam ab omni nævo contra fidem, aut bonos mores erroris alienissimam repererim, luce publica dignissimam censeo.

Datum Romæ in Conventu S. Mariæ super Minervam die 2. Junii 1732.

Fr. Dominicus Antonius Giacconi Ord. Præd. & Theol. Casanatensis.

Digitized by Google

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

VIsis approbationibus Patrum Revisorum, videlicet Adm. R. Patris Magistri Fr. Thomæ Minorelli, & Adm. R. Patris Magistri Fr. Dominici Antonii Giacconi Ordinis nostri, harum serie, nostrique authoritate officii licentiam facimus, quantum in Nobis est, Rev. P. Cathedratico Casanatensi Fr. Josepho Augustino Orsi, ut typis mandare valeat opus ab ipso compositum, cui titulus: *De Baptismo in Nomine Jesu Christi, & de Hæreticis, qui Baptismi formam adulterarunt, Dissertatio Historica &c.* servatis tamen omnibus de jure servandis. In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam die 2. Junii 1732.

FR. THOMAS RIPOLL Mag. Ord.

Locus ✠ Sigilli.

Reg. fol. 13.
Fr. Dominicus Ponsi
Mag. Exprov. & Socius.

Quam

Digitized by Google

QUam spectatissimus noster P. Joseph Augustinus Orsi adornavit Dissertationem *de Baptismo in Nomine Christi*, id mihi mandante Reverendissimo P. Mag. Sylvestro Martini Inquisitore Mediolanensi, adtentè perlegi: Opusque tam elegans, tam eruditum, tam apprimè ductum, iisque non placiturum duntaxat, qui mendacio protecti evanuerunt in cogitationibus suis, magna cum laude Discipuli, ac Præceptoris Angelici excudendum reor.

E Cœnobio Mediolanensi S. Mariæ Gratiarum die 29. Julii 1732.

Fr. Angelicus Thomas Cuneo Ordin. Prædicatorum Lector Primarius, & Primus S. Officii Consultor.

Die 4. Augusti 1732.

Adtenta supradicta adtestatione

IMPRIMATUR

Fr. Sylvester Martini Inquisitor Mediolani.

Bartholomæus Crassus Can. Ord. Pœnitentiarius Major pro Eminentiss. & Reverendiss. D. D. Cardin. Odescalco Archiep.

Gallarinus pro Excellentissimo Senatu.

Digitized by Google

INDEX DISSERTATIONIS

PARS PRIMA.

De Baptismo in nomine Jesu Christi.

EJUS-

Digitized by Google

EJUSDEM DISSERTATIONIS

PARS ALTERA.

Digitized by Google

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE BAPTISMO
IN NOMINE JESU CHRISTI

§. I.

Ostenditur ex Sacris Litteris Baptismum in solo Jesu Christi Nomine fuisse aliquando ab Apostolis administratum.

SI qua in universa Angelici Præceptoris Theologia controversia est, quæ studium nostrum requirere videatur; ea profecto, de qua nunc agimus, ejusmodi est, in cujus defensionem nobis, qui Tomistarum Nomine gloriamur, tota mentis contentione incumbendum sit. Quum enim affirmans opinio, quam D. Thomas docuit, adeo sit a recentioribus Theologis exagitata, ut parum absit, quin jam ad aniles, putidasque fabulas amandetur: Thomistæ, quos hactenus mihi videre contigit, nihil solidi adferunt, quo sua illi probabilitas afferatur, & argumenta, quibus impetitur, profligentur. Quæ res in caussa fuit, ut hanc in me provinciam susciperem, producendi in medium quicquid ex Scriptura, & antiquis Patribus erui posse videbatur, ad hanc illustrandam Angelici Doctoris, de Baptismo in solo Christi Nomine ex peculiari privilegio nonnunquam ab Apostolis collato Sententiam: non ea profecto mente, ut res extra omnem controversiam ponatur, sed ne D. Tho. opinio inter fabulas habeatur.

Sumemus autem disputationis exordium ab Actis Apostolorum, quo in Libro Fideles fere omnes *in Nomine Domini Jesu Baptizati perhibentur*. Cap. 3. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum*

trum in Nomine Jesu Christi Cap. 8. v. 12. *In Nomine Jesu Christi baptizabantur Viri, ac Mulieres*. Ib. v. 16. *Baptizati tantum erant in Nomine Domini Jesu* C. 18. v. 48. *Et jussit eos baptizari in Nomine Domini Jesu Christi* Act. 19. v. 5. *His auditis baptizati sunt in Nomine Domini Jesu*. Primum autem nobis statuendum esse videtur iis verbis, *in Nomine Domini Jesu Christi*, expressam hujus Sancti Nominis invocationem significari: qua in re consentientes habemus ex Adversariis Vasquem, & Harduinum; quamvis iste contra communem aliorum Interpretum opinionem, & ut mihi quidem videtur, contra nativam Sacri Textus significationem, ea detorqueat ad invocationem Nominis Christi, quæ a Catechumeno Sacris Undis proxime abluendo exigebatur, non quæ a Ministro in ipsa Forma Baptismatis usurparetur. Non me latet, aliam iis verbis juxta alios subesse posse sententiam; ut baptizari *in Nomine Jesu Christi*, idem perinde sit, ac baptizari Baptismo ab ipso Christo Domino instituto, & ab eo vim omnem, & efficaciam trahente. At qui vellem, præter ea, de quibus est controversia, proferrent laudati Interpretes aliqua Scripturæ loca, in quibus ea loquendi formula sit adhibita ad significandum baptismum ab aliquo institutum; vel baptizatus in alicujus Nomine quispiam dicatur, qui sine expressa illius Nominis invocatione baptizatus illico intelligatur. Johannis baptismate abluti plurimi referuntur; Nullus eorum in Johannis Nomine dicitur baptizatus. Matth. ult. scriptum est: *euntes, docete, omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris &c.* eaque verba sic semper intellexit Ecclesia, ut sub expressa trium Personarum invocationes Sacramentum hocce perficeretur. Quemadmodum & dum scribit Apostolus ad Corinthios: *aut in Nomine Pauli baptizati estis?* Statim intelligitur, eis voluisse in memoriam revocare, Pauli nomen, dum illi salutari lavacro abluerentur, minime fuisse invocatum. Quid, quod frequentissime in sacris litteris id fieri dicitur in Nomine alicujus, quod expresse invocato Nomine ipsius fieri perhibetur. Actor. 4. v. 7. Judæis interrogantibus, *in qua virtute, aut in quo Nomine fecistis hoc vos?* idest, cujus virtute fulfulti, aut, cujus Nomine invocato; respondit Petrus: *in Nomine Domini nostri Jesu Christi, quem vos crucifixistis* v. 10. Hoc vero Sanctissimo Nomine invocato Claudum erexerat, basesque ejus,

ejus, ac plantas consolidaverat: *In Nomine Jesu Cqristi Nazareni surge, & ambula*. Cap. 3. v. 6. Prædixit Christus Marci *ultimo* fore, ut credentes in eum, in ipsius Nomine Dæmonia ejicerent: id ita acceperunt Apostoli, ut expressa Christi Nominis invocatione in abigendis Dæmoniis uterentur. Unde Paulus e Muliere Pythonica Spiritum expulsurus: *præcipio* inquit, *tibi in Nomine Jesu Christi exire ab ea*. Act. 16. v. 18. Et Capite decimonono, Filii Scævæ Principis Sacerdotum ad æmulationem Pauli provocati, *tentaverunt invocare super eos .... qui habebant Spiritus malos Nomen Domini Jesu, dicentes adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat*. Qui ergo fieri potest, ut quum S. Lucas, baptizatos *in Christi Nomine* Fideles toties repetat, nullibi expressam Christi Nominis invocationem ea loquendi forma significare voluerit? Unde superius laudatus Harduinus (*a*) „ In Sacris litteris *in Nomine Domini*, idem semper va„ let, ac invocando Nomen Domini, vel, in Domino, quem „ invocamus. Quid etiam, quod Patres non solum qui No„ bis suffragantur; sed etiam qui adversariis favere creduntur, hanc communiter sectantur expositionem, & idem illis omnino est, *in Nomine Christi*, quod invocato Christi Nomine, baptizari? Ita enim sentiunt Cyprianus, (*b*) Augustinus, (*c*) Fulgentius (*d*) qui præcipue habentur negantis opinionis adsertores. Ita pariter sentiunt, qui nobis aperte favent, quos infra daturi sumus.

Sed, esto, inquies, probabile sit unum idemque esse, baptizari in Nomine Christi, ac ipsius Nomine pro forma invocato baptizari; quo tamen argumentorum genere verosimile efficientis, unum Jesu Christi Nomen, Patre, & Spiritu Sancto prætermissis, ex Apostolorum ore, dum Fideles Sacris Undis perfunderent, resonasse? Baptizatos, refert S. Lucas, (*e*) Viros, ac Mulieres in Nomine Jesu Christi: id verum esse potest, quamvis & Patris, & Spiritus Sancti Nomen ad conse-

 cran-

(*a*) Epist. ad Dom. de Langhenmantel.
(*b*) Epist. 73. ad Jubajan.
(*c*) Lib. 2. cont. Maximin. Cap. 27.
(*d*) Lib. de Incarnat. & Grat. Cap. 11.
(*e*) Actor. Cap. VIII. v. 12.

Digitized by Google

crandum baptismum Apostoli adhibuerint. Quumque, ut ait Tertulianus (*a*) *lex tingendi ipsis etiam Apostolis posita fuerit, & forma præscripta illis verbis, docete Nationes, tinguentes eas in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; Non sine aliquo in Sacris litteris fundamento asserere debemus, eam tinguendi formam ab Apostolis ob cœlestem aliquam dispensationem minime fuisse servatam, nullum vero extat in Sacris litteris hujus dispensationis vestigium, nisi iis locis, ubi Patris, & Spiritus Sancti Nomen, cum de baptismate ab Apostolis administrato agitur, non comparet. At qui hoc fundamentum nimis videtur infirmum. Nam & idem S. Lucas Act. c. 8. & 19. ubi de Sacramento Confirmationis loquitur, Chrismatis non meminit, quem plerique Patrum imitantur, idem Sacramentum, impositionis manuum nomine significantes: Nec tamen credendum est, Chrismatis unctionem fuisse ab Apostolis prætermissam: quemadmodum certum est, illam & ab aliis Patribus fuisse adhibitam, qui solius impositionis manuum meminerunt. Certum etiam omnino est, Christum Dominum, dum Calicem Sanguinis sui in ultima cœna consecravit, eas particulas, quas Ecclesia Latina in ejusdem Calicis consecratione pronunciat, videlicet, *Mysterium fidei*, pariter protulisse: id enim Missæ Canon aperte testatur: Nec tamen ullus Evangelistarum aut Apostolus 1. Cor. c. 11. ubi Sacramenti hujus institutionem, ritumque describunt, Sacras illas particulas referunt. Quod ergo S. Lucas non referat, Apostolos baptizasse in Nomine Patris, & Spiritus Sancti, non jure inde colligitur, eos aut Patris, aut Spiritus Sancti Nomina prætermisisse; accedente præcipue Sanctorum Patrum consensu, qui ex S. Lucæ silentio non posse id colligi, manifeste decernunt. Ita enim statuunt S. Cyprianus, Augustinus, Fulgentius superius laudati, quibus addendi ex Latinis Facundus Hermianensis (*b*) & ex Græcis, Origenes (*c*) Basilius (*d*) Johannes Chrysostomus (*e*) Johan. Damascenus

(*a*) Lib. de Baptism. Cap. 13.
(*b*) Lib. 1. pro defens. trium Capitulorum Cap. 3.
(*c*) Lib. V. in ep. ad Rom. ad il. *Quicumq. in Christo baptizati sumus &c.*
(*d*) Lib. de Spiritu Sancto Cap. XII.
(*e*) Hom. XXX. in 2. ad Corinth. Cap. ultim.

scenus (*a*) Theophilactus (*b*) Denique Scholastici fere omnes, & Interpretes recentiores; qui etiam addunt, ex Actibus Cap. 19. haud obscure colligi, aliarum Personarum nomina non fuisse ab Apostolis prætermissa: quia quibusdam Discipulis, *Sed neque si Spiritus Sanctus* esset, se unquam audivisse caussantibus, reposuit Paullus: *in quo ergo baptizati estis?* quæ quidem interrogatio manifeste supponit, Spiritus Sancti Personam, quum Baptismum administrarent, ab Apostolis fuisse semper expressam.

Paucis attigimus quibus adversæ opinionis robur omne continetur, quæ quidem ejusmodi sunt, ut aliquid ei probabilitatis adjiciant; sed eam, quam cum Angelico Præceptore defendendam suscepimus, non ita labefactant, ut nec inter probabiles opiniones connumeranda sit, sed inter anilia figmenta computanda. Sancti quidem Lucæ silentium non tanti facimus, ut evidens inde pro nostra opinione trahamus argumentum; sed nec probabile quidem traheremus, si quod S. Lucas tacet, constans Ecclesiæ traditio prædicaret: sed quum Evangelista referat, baptizasse Apostolos *in Nomine Jesu Christi*; nec certa, firmaque Ecclesiæ traditio doceat, eos nunquam a consueta verborum formula recessisse; quod scriptum est, teneo; quod non est scriptum, adserere non audeo. Scriptum est, Apostolos *in Nomine Jesu Christi* baptizasse; nefas id in dubium revocare. Scriptum non est, eos Patris & Spiritus Sancti Nomen constanter adjecisse: id fortasse præstiterint, quia lex posita fuerat, & forma præscripta baptizandi sub explicita Trinitatis invocatione; sed hanc regulam non semper forte tenuerint, quod fortassis ab ea lege nonnunquam fuerint dispensati: meque in hanc dubitationem conjicit S. Lucas, qui vel nullam baptismi ab Apostolis administrati formam refert, vel hanc unam, *in Nomine Jesu Christi*. Cur enim taceret alia Nomina, si illa pariter fuissent ab Apostolis invocata? Videmus enim, quod quum exploratum sit, Apostolorum successores baptismum in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomine consecrasse, raro legere est apud antiquos Historicos, hic, vel ille baptizatus est in Nomine Jesu Christi; sed, vel in Nomine Trinitatis, vel, in

(*a*) Lib. IV. Fidei Cap. IX.
(*b*) In Cap. ultimum Lucæ.

Digitized by Google

in Nomine Patris &c. Unde hæc illa difficultas exorta est, cujus omni ævo aliquod exstat vestigium, quinam Apostoli institutam a Christo formam servaverint, quum in uno Jesu Christi Nomine baptizasse dicantur? quæ profecto difficultas nunquam exorta esset, si præter Sacrum Historicum, aliis etiam Scriptoribus fuisset in usu, ut Baptismus in trium Personarum Nomine consecratus, in uno Jesu Christi Nomine collatus diceretur.

Quod objicitur de Sacramento Confirmationis, eidem obnoxium est difficultati; Nec enim explorata res est, Apostolos, dum confirmaret, vel Spiritus Sancti munere Fideles donarent, præter manuum impositionem, Chrismatis unctionem semper adhibuisse. Ex speciali dispensatione una manus impositione interdum fuisse usos, docet Angelicus Doctor, (*a*) eamque opinionem indicant, cùm Innocentius III. Cap. *cum venisset*, extra *de Sacra unctione*; tùm Eugenius IV. in Decreto pro instructione Armenorum: eademque probabilem judicant doctissimi Viri, Estius (*b*) Natalis Alex. (*c*) & P. Suarez (*d*) ut alios vetustiores omittam; eiq; non parum roboris accedit ex Synodo Moguntina An. 1659. quæ illi perspicuis, clarisque verbis subscripsit. (*e*)

Adde, in ea non paucos versari opinione, quod manuum impositio una, eademque actio sit cum Sacri Chrismatis inunctione. Nam & qui Chrismate alterius frontem oblinit, profecto ei manum imponit. Et secundum hanc opinionem, manuum impositio genericum nomen est, quo vel sola frontis inunctio donari poterat, si sola manuum impositione, baptizati frontem oblinieate, Sacramentum Confirmationis perfici intelligatur; vel utraque actio comprehendi, si & simplici manuum impositione, & manuum impositione, ut ita dixerim, chrismatica, tanquam distinctis actionibus idem Sacramentum constet. At ubi de Baptismo agitur, non habetur nomen gene-

(*a*) III. P. Quest. LXXII. a. 11. ad 1. & a. 4. ad 1.
(*b*) In IV. Dist. VII. § VI.
(*c*) Tom. III. in III. Part. Disput. XXXIII. sect. IV.
(*d*) Tract. III. de Sacram. Confirm. Cap. 1. A. 11. Propos. 2.
(*e*) In Doctrina Fid. Cap. XVIII.

nericum, quod vel ad unam, vel ad tres Parsonas significandas trahi possit; sed Nomen Jesu, ad secundam Personam significandum determinatum; ideoque non est par ratio.

Alteram, qua lacessitus sum, petitionem, ob formam Calicis consecrativam, brevi declinatione effugiam, Quod enim hac in re non tradunt Evangelistæ, vel Apostolus, docet traditio; nec repetendum est, nos argumentum, quod ex Actis Apostolorum conficimus, non tanti æstimare, ut ei nollemus constantem Ecclesiæ traditionem præferre, si hac in re ulla esset. Atqui nulla est Ecclesiæ traditio, quæ id suppleat, quod S. Lucas omisit, quamvis eam Juveninus confidentissime jactet (a) quam tamen ex uno S. Cypriani testimonio, & altero Augustini deducit. At duorum Patrum testimonium (etsi in ea reapse versarentur opinione, quod oppidò falsum est) duorum, inquam, Patrum testimonium, aliis Patribus reclamantibus, traditionem non probat. Quid vero si ostenderimus, traditionem nobis aperte favere; eritne quod ultra desideremus, ut ea, quæ protulimus ex Actibus testimonia, ita esse accipienda intelligamus, quemadmodum a Nobis, Angelico Præceptore facem præferente, exponuntur? Hanc vero communem esse Patrum traditionem, operosius est jam Nobis demonstrandum.

§. II

(a) Differt. 2. de Bapt. Quæst. 4. Ar. 3.

Digitized by Google

§. II.

Sanctus Cyprianus Ang. Doctoris opinionem manifestissime docuit.

Agmen eorum, quos laudaturi sumus, Patrum ducet, qui eos omnes temporis vetustate præcedit, Apostolicarum Traditionum testis locupletissimus Cyprianus, cujus verba ex eo ipso loco, qui nobis objici solet, epistola nimirum septuagesima tertia ad Jubajanum paullo adtentius excutienti, tam certa ratione constitit, eum Ang. Præceptoris opinioni suffragari, ut nec mirari desinam, a nullis, quos quidem legere mihi contigit, Theologis, aut Historicis fuisse hactenus deprehensum. Sed jam ad Cypriani Textum accedamus, hujusce rei periculum facturi.

„ *Non est*, inquit, *quod aliquis ad circumveniendam Christianam* „ *Veritatem, Christi Nomen opponat, ut dicat: in Nomine Jesu* „ *Christi ubicunque, quomodocunque baptizati, gratiam baptismi* „ *sunt consecuti*. Contendit scilicet, non esse validum baptismi Sacramentum, extra Ecclesiam ab Hæreticis in solo Christi Nomine administratum. Id autem probat, tum quod ex aliquibus Scripturæ testimoniis „ *appareat, non ea statim suscipienda*, „ *& assumenda, quæ jactantur in Nomine Christi, sed quæ gerun-* „ *tur in Christi veritate*. Dum etiam, quod Patre rerum omnium Creatore abnegato, & ab Hæreticis, quorum tunc magnus erat numerus, blasphemato, sola Nominis Christi in baptismate invocatio salutem non possit afferre. Verum quia opponi poterant sæpe memorata ex Actibus Apostolicis loca, quibus baptizati in Christi Nomine plurimi perhibentur: respondet, aliam fuisse Judæorum sub Apostolis rationem, aliam nunc esse Gentilium conditionem. Illis, quod jam per legis baptismata, seu legales cæremonias, fidei in unum Deum Patrem, rerum omnium Creatorem professionem edidissent; baptizare in uno Christi Nomine, fas aliquando fuit. Hos vero, Gentiles scilicet, quod cùm Patris, tum Filii cognitionem nondum essent adsequuti, ac neutrius fidem per aliquam divinitus in-

sti-

stitutam cæremoniam professi, in plena, & adunata Trinitate jussit Dominus baptizari. En Sancti Martyris verba „ *Quomo-*
„ *do non cognito, imo & blasphemato Deo Patre, qui apud Hæreti-*
„ *cos baptizati dicuntur, peccatorum remissam consecuti judicantur?*
„ *Alia fuit Judæorum sub Apostolis ratio, alia est Gentilium conditio.*
„ *Illi quia iam legis, & Mosi antiquissimum baptisma fuerant ade-*
„ *pti, in Nomine quoque Jesu Christi erant baptizandi, secundum*
„ *quod in Actis Apostolorum Petrus ad eos loquitur, & dicit: pœ-*
„ *nitemini, & baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Domini*
„ *Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spi-*
„ *ritus Sancti. Vobis enim est promissio, & filiis vestris, & om-*
„ *nibus deinceps, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster. Je-*
„ *su Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur,*
„ *sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post Re-*
„ *surrectionem a Domino Apostoli ad Gentes mittuntur, in Nomine*
„ *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizare Gentiles jubentur,*
„ *Quomodo ergo quidam dicunt, foris extra Ecclesiam, immo &*
„ *contra Ecclesiam, modo in Nomine Jesu Christi ubicunque, &*
„ *quomodocunque Gentilem baptizatum remissionem peccatorum con-*
„ *sequi posse, quando ipse Christus Gentes baptizari jubeat in plena,*
„ *& adunata Trinitate?* Viden, quomodo de Gentibus, non de Judæis, qui legalibus cæremoniis rite initiati ad fidem Christianam sub Apostolis convertebantur, interpretetur mandatum, quo jussi sunt Apostoli baptizare *in plena, & adunata Trinitate?* „ Ubi, inquit, Apostoli ad GENTES mittuntur, in
„ Nomine Patris &c. baptizare GENTILES jubentur. Quo-
„ modo ergo.... in Nomine Jesu Christi GENTILEM bapti-
„ zatum &c. quando ipse Christus GENTES baptizari jubeat
„ in plena, & adunata Trinitate? Id autem non ita est accipiendum, quasi Gentiles nunquam licuerit Apostolis in solo Jesu Christi Nomine baptizare; quum Cornelius Centurio una cum sociis baptizatus ab Apostolorum Principe in solo Jesu Christi Nomine referatur. Sed quod verbis evangelicis inhærendo, soli ea lege viderentur Gentiles comprehendi: unde si Cornelium excipias, quicumque in Nomine Jesu Christi baptizati in Actibus referuntur, ex Judæorum genere videntur extitisse. Atque hujus adeo alternantis in administrando baptismate disciplinæ optima est ratio, quam Sanctus Martyr insinu-

at. Quod nempe a Judæis per legis cæremonias fidem in unum Deum Creatorem palam professis, solius in Christum fidei, per baptismum in ejus Nomine consecratum, & in Spiritum Sanctum, per solennem manuum impositionem, exigenda videretur publica, & aperta professio: cum Gentiles, tum quod nulla in Dei nomine instituta divinitus cæremonia fuissent initiati; tum quod circa fidem unius Dei communiter errarent, ad profitendam plenæ, & adunatæ Trinitatis religionem, per baptismum in eius Nomine susceptum, essent adigendi.

At, qui fieri potest, inquis, ut Cypriani verbis consona sit ea, quam modo illis adlinisti, interpretatio: quum laudata Petri Apostoli verba: *baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu Christi &c.* quibus ad Judæos loquatur, exponens aperte dicat; *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur: sed ut Patri quoque Filius adjungeretur?*

Hinc sibi victoriam concinunt, ac triumphum decernunt Adversarii; & hæc quidem verba ejusmodi sunt, ut a ceteris divulsa causam eis omnino addicere videantur; quæ tamen si cum tota oratione accuratius conferantur, objecta difficultas in fumos illico abit, ac prorsus evanescit. Quum enim discrimen inter Judæos, atque Gentiles in eo positum fuerit, quod illi in Nomine Jesu Christi fuerint sub Apostolis baptizati; hi vero in plena, & adunata Trinitate jussi sint baptizari: non possumus ita intelligere, *Jesu Christi mentionem fecisse Petrum, non quasi Pater*, in ipsa baptismi forma expresse invocatus, *omitteretur*; *sed ut Patri quoque adjungeretur* in eadem baptismi forma. Quid enim tum discriminis superesset inter Judæos, atque Gentiles, quod ad baptisma in Nomine Iesu Christi, & in plena, & adunata Trinitate susceptum? Sed ita accipiendum est, *Jesu Christi mentionem fecisse Petrum, non quasi Pater*, nulla ipsius, vel ejus fidei habita ratione, ex impietate, & contemptu, quemadmodum ab Hæreticis Cerdonianis, & Marcionitis, de quibus loquitur S. Martyr, *omitteretur*; *sed ut Patri quoque*, per fidem legalibus baptismatibus, & cæremoniis consignatam jam suscepto, *Filius*, per baptismum in ejus Nomine consecratum, *adjungeretur*. Quam consona sit Cypriani propositio ac verbis isthæc interpretatio, nemo non videt. Addam tamen ex eodem contextu aliquot superius omissa, & huc refer-

servata S. Martyris verba, quibus seipsum hac ipsa de re magis aperit, ac mentem suam meliore in lumine collocat „ *Quod* „ *enim*, inquit baptismum exagitans ab Hæreticis in solo Jesu „ Nomine administratum „ *in Evangeliis, & in Apostolorum Epistolis Jesu Christi Nomen insinuatur ad remissionem peccatorum, non ita est, quasi aut sine Patre, aut contra Patrem prodesse cuique solus Filius possit; sed ut Judæis, qui jactabant, se Patrem habere, ostenderetur, quod nihil eis Pater profuturus esset, nisi in Filium crederent, quem ille misisset. Nam qui Deum Patrem creatorem sciebant, Filium quoque Christum scire debebant, ne sibi blandirentur, & plauderent de solo Patre sine Filii ejus agnitione, qui & dicebat: Nemo venit ad Patrem nisi per me. Duorum autem cognitionem esse quæ salvet, idem ipse manifestat dicens: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Quum ergo ex ipsius Christi prædicatione, & contestatione Pater ante cognoscendus sit, qui misit; tunc deinde Christus, qui missus est: nec possit esse Spes Salutis, nisi duobus simul cognitis; quomodo non cognito, imo & blasphemato Deo Patre, qui apud Hæreticos Christi Nomine baptizati dicuntur, peccatorum remissam consecuti judicantur? Alia fuit Judæorum sub Apostolis ratio &c.* Pergit deinde verbis supra laudatis ostendere, potuisse Judæos ab Apostolis in solo Jesu Nomine baptizari, quod ab iis Pater, non ex contemtu omitteretur; sed ut Patri, cujus religione fuerant initiati, Filius per baptismum in ejus nomine celebratum adjungeretur: Gentes autem ex præcepto Domini in plena & adunata Trinitate baptizari oportere. Ubi clare perspicimus, reprobari quidem Hæreticorum in Christi nomine baptismum; probari autem Judæorum; quod illi *non cognito, imo & blasphemato Deo Patre* ritum ejusmodi usurparent; hi vero Dei Patris cognitione imbuti, ac Sacris initiati fuerint in Nomine Christi sub Apostolis baptizati. Deinde, quod Gentes, non autem Judæos qui *sub Apostolis* ad Christianam fidem converterentur, jusserit Dominus *in plena, & adunata Trinitate baptizari*. Unde plane conficitur, ad baptismi formulam id unum, secundum Martyrem Cyprianum, omni ævo pertinuisse, ut ne ex impietate, & contentu Patris Nomen omitteretur; neque ex Divinis Personis aliqua in Gentibus, aut Judæis post Apostolos baptizandis præteriretur, quin suo unaquæque Nomine appel-

Digitized by Google

laretur : quibus sane Christianæ disciplinæ Capitibus, aut regulis non repugnat, aliquot ex Judæis in solo Christi Nomine fuisse sub Apostolis baptizatos.

§. III.

Eadem opinio duorum Auctorum testimonio firmatur, qui Cypriano synchroni, in ejus de rebaptizandis Hæreticis errorem calamum acuerunt.

EOrum testimonia hujusce Dissertationis Parte secunda §. *De Hæreticis ex Orientalis Ecclesiæ disciplina baptizandis*, exhibentur. Eum itaque locum Lector adeat, unde huic controversiæ plurimum lucis adfulgebit.

§. IV.

S. Hilarius eidem opinioni suffragatur.

MArtyrem Cyprianum excipiet inclytus Confessor Hilarius, qui Lib.de Synodis prope fin. Angelici Doctoris opinionem adeo manifeste docet; ut satis mirari non possim Bellarminum (a) pro contraria opinione ipsum in scenam inducere. Sic enim ait. *Ne postremo Apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti jussi, tantum in Jesu Nomine baptizaverunt.*

Nec hujusce testimonii vim elevant, qui respondent; fuisse S. Doctoris scopum, aliquot exempla proferre, quæ in speciem pugnantia videantur; nec tamen ex Sacris Libris delenda sunt, quod a quibusdam secus ac par est, intelligantur: quale est, quod Apostoli in Nomine Patris &c. baptizare jussi, tantum in Jesu Nomine baptizaverunt, nec exponere, quonam pacto ea loca concilianda sint, ne in crimine Apostoli reperi-

an-

(a) lib. 1. de Bapt. Cap. 3 & 4.

antur. Hæc, inquam, nullo pacto objecti testimonii vim elevant: non enim ait Hilarius: scriptum est tantum, legitur tantum, quod in Nomine Patris, &c. baptizare jussi, in Nomine Jesu Apostoli baptizaverint: qua quidem loquendi ratione usus ad ea loca concilianda reponere potuisset; quod quamvis unum Jesu Nomen Sacer expresserit Historicus; non inde tamen necessaria ratione, aut probabili argumentatione concludi, quod Patris, & Spiritus Sancti Nomina inter baptizandum Apostoli neglexerint. Sed ait; quod in nomine trium Personarum baptizare jussi, *tantum in Jesu Nomine baptizaverunt*: ubi particula exclusiva non actionem scribendi adficit, ut sit sensus, hoc unum Sacrum Historicum litteris consignasse; sed ad actionem baptizandi refertur, & hæc illi notio subjecta est: nonnunquam in Nomine Jesu, non autem in Patris, aut Spiritus Sancti Nomine Apostoli baptizaverunt. Unde nodus innectitur haud aliter expediendus, nisi adferatur, divina dispensatione factum esse, ne legis prævaricatores existerent.

Frustra etiam omnino sunt, qui respondent, tantum in Jesu Nomine, ex Hilarii sententia, Apostolos baptizasse; tum quod in uno ipsius merito, tum quod eo dumtaxat baptismo, quod ipse instituerat, usi sunt. Verum in præmissis Hilarii verbis baptismus in Jesu tantum nomine collatus opponitur baptismo, in Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Nomine conferendo; eadem igitur ratione, ac verborum potestate dicuntur, in uno Jesu Nomine baptizasse, qua in Nomine Patris &c. jussi sunt baptizare. Secundo, quod supra notatum est, & infra magis explicabitur: baptizare in Nomine Jesu, juxta communem loquendi morem, idem perinde est, quod hoc Sanctissimum Nomen in forma baptismatis invocare.

Digitized by Google

§. V.

Eadem fuit Auctoris quarti, & quinti libri adversus Eunomium inter Basilii opera sententia.

Basilium M. adversus Eunomium calamum acuisse, pravasque ejus opiniones libris editis evertisse, non est qui in controversiam vocet. De numero tantum horum librorum inter Eruditos disputatur: & quum tres priores nemo illi abjudicet, tota de duobus posterioribus quæstio est „ Quod si librorum „ γνησίων, aut νόθα ex multitudine, aut ex paucitate testium „ penderet (inquit eruditus Benedictinus, qui postremam „ Sancti Basilii Operum Editionem adornavit) controversiæ „ omni finem imponere facillimum esset. Cum enim non am„ plius tres aut quatuor numerari vulgo soleant, qui duos li„ bros posteriores pro falsis habuerint: contra innumeros ce„ leberrimos viros eosdemque doctissimos reperias, qui duos „ posteriores libros, perinde ut tres priores Basilio Magno ad„ scribant. Nam ut interim de antiquioribus Scriptoribus ta„ ceam, Bellarminus, Fronto Ducæus, Franciscus Combefi„ sius, Tillemontius, Helias Dupinus, & alii permulti Basi„ lium horum quinque in Eunomium librorum auctorem fa„ ciunt. Et quod majus est, illi quinque libri in Concilio „ Florentino, ut a Latinis, ita a Græcis Basilii nomine pari„ ter citantur. Horum igitur librorum Auctor, qui vel ipse Basilius est, vel pro ipso Basilio ab *innumeris celeberrimis Viris, iisdemque doctissimis* haberi potuit, & *in Concilio Florentino, ut a Latinis, ita a Græcis Basilii Nomine pariter citari*, Apostolos in solo Christi Nomine baptismum administrasse manifestissime docuit. Hæc enim habet Capite, cujus epigraphes περὶ ἀφέσεως ἁμαρτημάτων, *de Remissione peccatorum* (a) *Docete omnes Gentes, baptizantes eos in Nomine Patris &c. Gentes quæ crediderint ac edoctæ fuerint, jubet baptizari in Trinitatis Nomine*,

Pe-

(a) Μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τὰ ἔθνη φησὶ πιστεύσαντα καὶ

Petrus vero ad Judæos, qui de Christo occidendo conjurarant, ad pœnitentia ducebantur: pœniteat, inquit, unumquemque vestrum, fratres, vestræ malitiæ ac viæ pravæ, atque baptizetur in Nomine Domini Jesu, & salvabitur: tamquam possit eadem efficere Filius in lavacri regeneratione quæ Pater, & Spiritus Sanctus efficiunt. Dominus autem ad Apostolos dixit, ut Patris exspectarent promissionem, quam audistis: quoniam Joannes quidem baptizavit aqua ad pœnitentiam: vos vero baptizamini in Spiritu Sancto. Proinde si Spiritus Sanctus in Apostolis eadem operari potest, quæ Patris ac Filii Nomen in iis qui ex gentibus crediderant, & Domini Jesu Nomen in iis quos pœnituerat Judæis (nemo enim dixerit, Apostolos minus accepisse gratiæ per lavacrum, quam qui erant ex gentibus, propterea quod ipsi in Spiritu Sancto gratiam habuerunt) quomodo non est ejusdem cum Patre, & Filio Substantiæ Spiritus, qui est quoque ejusdem operationis? Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ejusdem esse Substantiæ, eademque præditos esse virtute demonstrat, quod Filii nomen in Judæorum pœnitentium baptismate invocatum eadem præstet, quæ Patris & Spiritus Sancti Nomen in eorum baptismo qui ex Gentibus crediderunt; & Spiritus Sanctus in Apostolos illapsus non minorem eis gratiam contulerit, quam Pater & Filius & Spiritus Sanctus in iis qui ex Gentibus in Nomine Trinitatis, vel qui ex Judæis in Jesu Nomine fuerunt baptizati. Quæ ratio omnino inefficax est, nisi in

μαθητευθέντα βαπτίζεσθαι ἐν τῷ τῆς τριάδος ὀνόματι. ὁ δὲ Πέτρος τοῖς συμφωνήσασιν Ἰουδαίοις εἰς τὸν κατὰ Χριστοῦ θάνατον καὶ μεταγνοῦσι, μετανοησάτω, ἔφη, ἕκαστος ἀδελφοὶ ἀπὸ τῆς κακίας ὑμῶν, καὶ ἀπὸ τῆς ὁδοῦ τῆς πονηρᾶς, καὶ βαπτισθήτω εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ καὶ σωθήσεται. ὡς δυναμένου τὰ αὐτὰ ἐνεργεῖν τοῦ υἱοῦ ἐπὶ τοῦ λουτροῦ παλιγγενεσίᾳ, ἅπερ πατὴρ καὶ πνεῦμα ἐνεργεῖ. ὁ δὲ κύριος τοῖς ἀποστόλοις ἔφη, περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς ἣν ἠκούσατε. ὅτι Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι εἰς μετάνοιαν, ὑμεῖς δὲ βαπτισθήσεσθε ἐν πνεύματι ἁγίῳ. εἰ τοίνυν τὰ αὐτὰ δύναται ἐνεργεῖν ἐν τοῖς ἀποστόλοις τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἅπερ τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ ἐπὶ τῶν πιστευόντων ἐξ ἐθνῶν, καὶ τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἐπὶ τῶν μετανοησάντων Ἰουδαίων (οὐ γὰρ ἄν εἴποι τις ἧττον τοὺς ἀποστόλους μετεσχηκέναι τῆς διὰ τοῦ λουτροῦ χάριτος, ὕπερ τοὺς ἐξ ἐθνῶν διὰ τὸ ἐν πνεύματι ἁγίῳ ἐσχηκέναι αὐτοὺς τὴν χάριν) πῶς οὐ τῆς αὐτῆς οὐσίας τὸ πνεῦμα τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ, τὸ καὶ τῆς αὐτῆς ἐνεργείας. Lib. V.

in solo Jesu Nomine Judæos Apostoli baptizaverint. Si enim Judæi inde ac Gentes fuerunt in Trinitatis Nomine baptizati, quomodo ostenderet, *eadem posse Filium efficere in lavacri regeneratione, quæ Pater & Spiritus Sanctus efficiunt?*

§. VI.

Quid senserit S. Ambrosius.

PRæcipuus susceptæ disputationis labor est, atque operæ pretium in exponendis Ambrosii verbis lib. 1. de Spiritu Sancto C. 3. quod videantur insinuare, nedum tempore Apostolorum; sed etiam modo, & quidem nullius dispensationis mentione injecta, validum esse baptismum, non tantum in Nomine Christi, verum & in solo Spiritus Sancti Nomine consecratum; ideoque quid senserit S. Doctor, operosius est nobis inquirendum. Ait igitur laudato loco exponens illud Actorum 19. *His auditis, baptizati sunt in Nomine Domini Jesu: Denique & illi ipsi, qui dixerunt; Nec si Spiritus Sanctus est, audivimus; baptizati sunt postea in Nomine Domini Jesu Christi: & hoc abundavit ad gratiam, quia jam Spiritum Sanctum* Paulo *prædicante cognoverant. Nec contrarium debet videri, quia quamvis etiam postea tacitum sit de Spiritu, tamen creditum est; & quod verbo tacitum fuerat, expressum est fide .... Nunc consideremus, utrum, quemadmodum in Christi Nomine plenum esse legimus baptismatis Sacramentum, ita etiam Sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad gratiæ plenitudinem & rationem sequamur: quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas; & Deum Patrem, a quo unctus est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & Spiritum, quo unctus est, designasti. Et si Patrem dicas; & Filium ejus, & Spiritum oris ejus pariter indicasti; Si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum dicas; & Deum Patrem a quo procedit Spiritus, & Filium, quia Filii quoque est Spiritus, nuncupasti. Unde ut rationi copuletur authoritas, in Spiritu quoque recte baptizari Nos posse, Scriptura indicat dicente Domino: vos autem baptizabimini in Spiritu.*

Hæc

„ Hæc S. Ambrosii verba exponens Angelicus Doctor illis,
„ ait Ambrosium assignare rationem, quare convenienter talis
„ dispensatio fieri potuit in primitiva Ecclesia, quia scilicet
„ nomine Christi tota Trinitas intelligebatur: & ideo serva-
„ batur ad minus integritate intelligibili forma, quam Chri-
„ stus tradidit in Evangelio. Hæc S. Thomas in perscrutandis Sanctorum Patrum sententiis, & illustrandis authoritatibus ad miraculum perspicax: sunt tamen, quibus nimium acutis esse libet; hi traditæ a D. Thoma verborum Ambrosii interpretationi non adquiescunt. Primo quod in toto Ambrosii contextu nulla fiat mentio dispensationis, quam D. Thomas supponit. Secundo quod Ambrosius indefinite loquatur, ac absolute dicat, ratum esse Sacramentum, ubi una Trinitatis Persona appellata fuit, unde non esse, cur ad solum primitivæ Ecclesiæ tempus illius sententia restringatur. Tertio quod eam rationem reddat, quæ quovis sæculo locum habeat; nempe, qui unam Personam expresse invocaverit, ceteras implicite nominarit: *qui unum dixerit, Trinitatem signavit*. Neque tamen ex ea D. Thomæ opinione his ratiunculis moveri posse quemquam existimo, qui vel mediocriter fuerit in Ambrosii lectione versatus. Ecquis enim in antiquis Patribus, & in Ambrosio imprimis, adcuratam illam, & undique sibi caventem de rebus Theologicis differendi rationem, quæ apud severiores Scholasticos obtinuit, non aliquando desideret? Similes in Ambrosio nexus alibi occurrunt, quos non aliter expedias, nisi rem, de qua agit, ad peculiarem Dei revelationem, inspirationem, aut dispensationem referas, cujus tamen in Ambrosio ne vola quidem exstet, aut vestigium. Pelagiæ non semel meminit; (*a*) eamque summis in cœlum laudibus effert, quod pudoris, ac religionis caussa violentas sibi manus adtulerit. Præclari facinoris decus totum quum uno Dei interius id jubentis (*b*) consilio atque auctoritate nitatur; id tamen nullibi indicat S. Doctor: quin iis rationum momentis rei gestæ laudes amplificat, ac Sorori Marcellinæ commendat, quæ absolute suadere videantur, fas esse Christianæ Virgini, mortem sibi ultro consciscere, ad

(*a*) Lib. III. de Virg. Cap. ult. & Epist. XXXVII. ad Simplic.
(*b*) Aug. L. 1. de Civit. Dei Cap. XXVI.

insectatores suæ pudicitiæ devitandos; nempe: quod *Deus* (*a*) *remedio non offenditur, & facinus fides ablevat; & si vim ipsam nominis cogitemus, quæ vis voluntaria? illa magis est vis, mori velle, nec posse*. Quibus verbis si absolutam, quam certe præseferunt, notionem subjicias, exitiabilis doctrinæ Auctorem facis Ambrosium; sin eorum amplissimam potestatem ita coarctaveris, ut ea tum valere solum intelligantur, quum Deus vitæ necisque supremus arbiter voluntariam mortem interiori adflatu suggesserit, aut imperarit; una erit Ambrosii, & Ecclesiæ sententia. Sed ne pluribus, iisque similibus locis, aut exemplis coacervandis diutius immorer, quam par est, alterum duntaxat proferam, iisdem omnino, ac istud de baptismo in Nomine Christi, scrupulis obnoxium.

Docet Juveninus (*b*) ex cujus ingenio superiores adversus D. Thomám ratiunculæ prodierunt, docet, inquam, cum ceteris Theologis Juveninus, simultaneam Polygamiam Naturæ lege nunquam non fuisse damnatam. Quid ergo dicturi sumus de antiquis Patribus, quos scriptura refert, plures simul uxores habuisse? qui objecta illis a Manichæis adulterii crimina diluemus? Divina, inquis, dispensatione factum est, ut jure pluribus simul uxoribus uterentur. At in toto, inquam, scripturæ contextu, nulla fit mentio dispensationis, quam laudatus Auctor cum ceteris Theologis supponit. Secundo SS. Patres Ambrosius, & Augustinus veteres Patres hac ratione defendunt, quod Polygamia nulla tunc lege prohiberetur. *Sed consideremus primum*, inquit Ambrosius (*c*) *quia Abraham ante legem Mosi, & ante Evangelium fuit, nondum interdictum adulterium videbatur: pœna criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit; nec ante legem ulla rei damnatio est, sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem prævenit, Deus in Paradiso licet conjugium laudaverit, non adulterium damnaverat*. Et S. Augustinus eamdem versans difficultatem. *Si præceptum*, inquit (*d*) *consulas; nulla lege prohibebatur*. Respondet Natalis

(*a*) ubi sup. ex L I I I. de virginib.
(*b*) Differt. X. de Matrim Quæst. IV. Art. I. Cap. I. §. III.
(*c*) lib. de Abrah. Cap. IV.
(*d*) Lib. XXII. cont. Faustum Cap. XLVII.

lis (*a*) contrariam præcepto non fuisse Polygamiam, quia nulla tunc lege positiva prohibebatur, sicuti nunc vetita est Christianis. At Ambrosius, inquam, & Augustinus indefinite loquuntur, & absolute dicunt, nulla tunc Polygamiam fuisse lege damnatam. Præterea, opinio satis communis est, eam dispensationem locum non habuisse nisi post Diluvium. At laudati Patres nullum tempus excipiunt; non est ergo; cur ad solum postdiluvianum tempus eorum verba referantur. Tertio iidem Patres, ut veteres Patriarchas absolvant, eam rationem reddunt, quæ quovis sæculo locum habeat, ne saltem naturæ jus violare, imo ne peccare quidem judicetur Infidelis, ubi Lex Evangelica nondum fuerit promulgata, si plures simul Uxores duxerit, non ad exsaturandam libidinem; sed ad suscipiendam prolem. *Secunda*, inquit Ambrosius (*b*) *Abrahæ defensio illa est, quod non ardore aliquo vagæ succensus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio conjugalem posthabuit thorum, sed studio quærendæ posteritatis, & propagandæ sobolis*. Et Sanctus Augustinus, quum *alia peccata esse*, dixisset (*c*) *contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta*, contendit, *Sanctum Virum Jacob non peccasse contra naturam, quia si naturam*, inquit, *consulas, non lasciviendi, sed gignendi caussa, illis mulieribus utebatur*. Quidquid responsi daturus es, ut traditam ab iis Patribus, circa Polygamiam doctrinam tuearis; dabo & ego, ut traditam ab Angelico Præceptore verborum Ambrosii interpretationem defendam. Responsurus ad primam difficultatem es, quod licet ejusmodi dispensationis nulla fiat in sacris litteris expressa mentio; ex eo tamen colligitur, quod eadem Sacra Scriptura, quæ vel in ipso Geneseos exordio Polygamia videtur hominibus interdixisse; veteres Patres, quod pluribus simul uxoribus usi fuerint, minime reprehendat. At ipse pariter reponam, quod licet ea, de qua nunc agimus, dispensatio in Ambrosio expresse non habeatur; inde tamen Ambrosii mens satis nobis superque perspecta est, quod idem ipse qui docuit, quod (*d*) *nisi Cathecumenus baptizatus fuerit in nomine*

(*a*) De Sacram. Matrim. Cap. I. Art. VI. Proposit. II.
(*b*) ubi sup.
(*c*) loc. laud. ex Lib. XXII. cont. Faust.
(*d*) Lib. de iis, qui initiantur Myster. Cap. IV.

mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritalis gratiæ munus haurire, docuerit etiam *in Christi nomine plenum fuisse olim baptismatis Sacramentum*. Si rationes indefinita Patrum verba coarctandi, eas esse contenderis, quibus invicte probatur, Polygamiam naturæ lege vetitam esse; nulloque vel scripturæ testimonio, vel Sancti viri facto adstrui posse, antediluviano tempore indultam divinitus fuisse dispensationem: eodem jure & ipse contendam rationes indefinita Ambrosii verba restringendi eas esse, quibus evidenter ostendimus, post Apostolorum tempora, ipsomet etiam Sancto Doctore consentiente, nunquam valuisse baptisma, quod in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non fuisset expresse consecratum. Denique si dixeris, rationem illam, qua Sancti Patres utuntur, urgendam non esse, nisi divina dispensatione supposita; idque unum voluisse laudatos Patres, nullum ab antiquo Patriarchis commissum fuisse peccatum contra naturam, quod divina id indulgente dispensatione, non libidinis, sed multiplicandæ sobolis gratia, cum pluribus uxoribus commixti sint: ac proinde valere posse eandem rationem, quovis tempore divina id permiserit indulgentia: similem ex me responsionem audies; nempe rationem, quam S. Ambrosius profert, quod qui unam Personam invocaverit, ceteras implicite nominarit, optimam esse; non urgendam tamen, nisi ubi divina accesserat dispensatio: idque unum voluisse, nullum ab Apostolis contra baptismi institutionem fuisse crimen admissum, quod divina id permittente dispensatione, non ad excludendas alias Personas ab ejusdem Divinitatis consortio; sed magis ad earum commendandam summam unitatem, una tantum appellata Persona, baptismum aliquando conferre consueverint: proindeque eandem rationem valere posse, quovis tempore, & respectu cujuscumque Personæ id fieri Deus jusserit, *seque jubere*, ut Aug. (a) ait, *sine ullis ambagibus intimaverit*.

§. VII.

(a) L. 2. de Civit. Dei Cap. XXVI.

§ VII.

S. Augustinus, Ferrandus Diaconus, Vigilius Tapsensis, S. Paschasius, & Julianus Toletanus in eadem ac Sanctus Ambrosius versantur opinione.

HOs omnes Patres in unum congessi locum, quod una ferme sit eorum sententia, sibique invicem, ac D. Ambrosio lucem maximam præstent, atque eo modo, quo Sanctum illum Doctorem §. præcedenti exposuimus, intelligendi sint. S. Augustinns eo ipso loco, qui nobis objici solet ex lib. 2. cont. Maximin. Cap. XVII. Hæreticum excludere volentem ab opere creationis Spiritum Sanctum, quod non de illo, sed de Verbo scriptum sit a Johanne: *omnia per ipsum facta sunt* sequenti argumento confutat: *si autem quia non est nominatus quod etiam per illum facta sit creatura, quando de Filio dictum est: omnia per ipsum facta sunt: ideoque putas, Dei Flium non esse Creatorem: procul dubio nec in ejus Nomine poteris baptizatos dicere, quibus ait Petrus: agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Domini Jesu Christi; quia non ait, & Spiritus Sancti: nec in Patris Nomine, quia nec ipse ibi est nominatus. Si autem etiam non nominatis Patre, & Spiritu Sancto in Nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari; & tamen intelliguntur non baptizati nisi in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: cur non sic audis de Filio Dei: omnia per ipsum facta sunt; ut & non nominatum intelligas ibi etiam Spiritum Sanctum?* Dupliciter possumus intelligere, illos, qui non nominatis Patre, & Spiritu Sancto, in Nomine Jesu jussi sunt baptizari, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fuisse baptizatos. Primo, ut Patris, & Spiritus Sancti Nomina fuerint in forma baptismatis expresse invocata. Secundo quia in unius Personæ nomine aliarum nomina implicite continentur; *& qui unum dixerit*, ut Ambrosius ait *Trinitatem signavit*. Utrovis modo id accipias, efficax est, quod Augustinus inde conficit argumentum. Priorem expo-

positionem amplectuntur, qui Apostolos nunquam, existimant, ab usitata in administrando baptismate consuetudine recessisse. Sed alteram ego expositionem præferendam censeo, quod non Ambrosium tantum, sed alios quoque Patres Augustini studiosissimos, assiduaque Librorum ejus lectione, & usu detritos eamdem consectari videam, simile omnino urgentes argumentum. Ii sunt, quos suis in epigraphe nominibus appellavi, & inferius laudandi Fulgentius, & Paulinus Aquilegiensis Episcopus.

Quæ mox subjicio Ferrandi Diaconi verba, ex Epistola ad Anatolium, superiora Augustini mirum quantum explanent, & illustrent. Ait enim: *Liceat nobis inter scientes, quomodo credamus simpliciter loqui: In Nomine Domini Jesu Apostoli baptizabant. Nunquid quia Patrem, & Spiritum tacebant, ideo negabant? aut ideo baptismus ille non dabatur in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti? quia in Nomine Domini Jesu baptizasse Apostoli perhibentur? Nonne propter unius substantiæ communionem, & propter unum nomen individuæ Trininatis etiam solo Domino Jesu nominato, Pater quoque, & Spiritus Sanctus in virtute illius Nominis, quod unum est ex tribus, nominati esse cognoscuntur? Ita etiam si solam Divinitatem Christi nominem, jam simul Humanitatem nominavi, quam sibi adunavit ex Virgine; & si solam Humanitatem nominem, simul Divinitatem nominavi, cui est adunata. Possunt hæ duæ substantiæ in Christo sine invicem loquendo proferri, non possunt sine invicem.* Apostoli Patrem, & Spiritum Sanctum tacebant, & tamen in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptismus ille dabatur; non quod eorum nomine in baptismi formula exprimerentur; sed quod in uno Jesu Nomine aliarum nomina intelligantur; & quia propter unius substantiæ communionem possunt Divinæ Personæ sine invicem loquendo proferri, non possunt sine invicem loquendo cognosci. Unde colligo, non jure eos agere, qui quod apud Augustinum legant, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti intelligi baptizatos, quos Patre, & Spiritu Sancto non nominatis, in Nomine Jesu jussit Apostolus baptizari, ejus illico auctoritatem involant, & nobis eam nimis confidenter objiciunt. Nam sicut Augustinus ait, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti eos intelligi baptizatos; ita apud Ferrandum est, quod in Nomine Patris, & Filii, & Spi-

Spiritus Sancti baptismus ille dabatur, qui tamen rotundis verbis asserit, quod Patrem, & Spiritum Sanctum Apostoli tacebant, & in sola virtute Nominis Christi pronuntiabant.

Eidem pertinent & quæ habet Vigilius Tapsensis lib. XII. De Trinitate; *Sriptum est in Actibus Apostolorum de his, qui in Samaria crediderunt, & baptizati sunt à Philippo, tantum baptizati erant in Nomine Domini Jesu. De his vero, qui Ephesi a Paulo baptizati sunt: hi quum audissent, baptizati sunt in Nomine Domini Jesu Christi. Petrus etiam Judæos alloquens: pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu Christi. Ii quum audissent, & comprobassent sermones ejus, baptizati sunt, & additæ sunt in die illo animæ quasi tria millia. Nunquid prævaricatores mandati Salvatoris effecti sunt, & contra traditionem Salvatoris baptizaverunt tantam multitudinem? Non enim scriptum est, quia baptizaverunt in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sed tantum in Nomine Domini Jesu. Nunquid ergo prævaricati sunt? Absit. Nam licet Filii nomen tantummodo dicatur, habet tamen Patrem, & Spiritum Sanctum secum pronunciatum, sicut in Scripturis Sanctis probavimus.*

Quo sensu una, vel duæ Personæ in baptismi formula expressæ secum habeant aliam, aut alias pronunciatas, clarius exponit S. Paschasius R. E. Diaconus, seu quis alius Auctor Librorum de Spiritu Sancto, qui sub ejus Nomine circumferuntur. lib. enim 2. Cap. IV. explanans illud Actor. 19. *His auditis baptizati sunt in Nomine Domini Jesu. Et quum imposuisset illis manus Paulus, venit super eos Spiritus Sanctus &c. Ecce*, inquit, *duabus personis in baptismo significatis, Pater invocatus esse non legitur; sed tantum, ut credi oportet, cum Filio, & Spiritu Sancto unitate potestatis, & Deitatis operatur*. Confirmationis Sacramentum uno baptismi Nomine comprehendit, quod salutis negotio per baptismum inchoato colophonem addat, ac summam veluti manum imponat. Ea porro ratione, dicit, una Persona invocata, alias pariter invocari, quia *tantum, ut credi oportet* cum illa, quam expresse appellamus, *unitate potestatis, & Deitatis operatur*.

Eodem modo accipienda sunt S. Juliani Toletani Antistitis verba, qui lib. 2. *ἀντικειμένων* quæst. 151. eadem sibi ex Actis Apostolorum proposita difficultate, eandem, ac Vigilius Tapsensis

ſenſis reſponſionem adhibet, ac iiſdem ferme verbis conceptam: *Nunquid*, ait, *prævaricatores mandati Salvatoris Apoſtoli effecti ſunt, & contradictione Salvatoris baptizaverunt tantam multitudinem? non enim ſcriptum eſt, quia baptizaverunt in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ſed tantum in Nomine Domini Jeſu. Sed non ſunt prævaricatores abſit; Nam licet Filii Nomen tantummodo dicatur, habet tamen Patrem & Spiritum Sanctum ſecum pronunciatum; ſicut in Scripturis Sanctis ſatis probatum eſt.* Quos hactenus laudavi Patres, quum omnes ad excuſandos Apoſtolos ob datum in uno Jeſu Nomine baptiſmum; eandem, ac Ambroſius, rationem adferant, una eſſe debet eorum verborum interpretatio, ut non in legem in plena & adunata Trinitate baptizandi peccaſſe aliquid Apoſtolos judicemus, quod non ad labefactandum Trinitatis Myſterium, alia eis baptiſmi forma nonnunquam in uſu fuerit; ſed quod aliam magis opportunam, ad inſinuandam Perſonarum Divinarum ſummam unitatem, ac poteſtatis earum *αὐθεντίαν*, Deo inſpirante cognoverint.

§ VIII.

Quæ fuerit S. Fulgentii Sententia operoſius inquiritur.

NUlli non hactenus perſuaſum fuit, fulgentiſſimum iſtud Eccleſiæ Africanæ jubar adverſam nobis amplexatum eſſe ſententiam: eoque ipſe pariter inclinabam, quam rem ab omnibus præjudicatam ad novum examen nondum revocare licuiſſet. At duo Fulgentii loca, in quibus omnino hanc adtigit controverſiam, altius verſanti, in eorum uno nihil ad animum occurrit, quod cum Angelici Præceptoris opinione *ἀσύστατον* videri poſſet; in altero autem ei plurimum favere certa ratione deprehendi. Hunc primum ſubjicio, quem proclive erit in rem noſtram derivare, ſiquidem ejus loci mens explorata nobis fuerit, atque perſpecta. Locus exſtat in Excerptis librorum decem contra Fabianum Fragmento XXXVII. ſumma rei, in qua omnis, illa oratio verſatur, in his verbis poſita eſt:

Digitized by Google

est: quod *Deus non solius vocabulum Patris; sed unum communiter naturale nomen est Trinitatis*. Id autem probat, duobus ad invicem collatis Sacrarum Scripturarum testimoniis. Matthæi 28. ubi Salvator Discipulis præcepit, ut docerent omnes Gentes, *baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et Actorum 4. ubi de Nomine Jesu Princeps Apostolorum ad Judæos ait: *Nomen non esse aliud sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Contendit enimvero Sanctus Doctor, quod siquidem hæc duo loca sibi invicem conveniant, unum esse debet nomen Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & hoc esse illud nomen, de quo dictum sit: *in quo oporteat nos salvos fieri*; Si autem non conveniant, mentitus sit Petrus, seu potius in Petro Spiritus Sanctus: *Si enim*, inquit, *convenit utrumque, necesse est, unum nomen esse Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & hoc solum nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Si vero istam doctrinam Petri &c.* Latius deinde deducit, nec Christum mentiri potuisse, nec Petrum, ac propterea concludit: *unum naturale nomen esse Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & hoc esse solum hominibus datum nomen, in quo qui recte credunt, per Sacramentum baptismatis perveniunt ad salutem*. Profecto in Sole caligat, quisquis non intelligit, quod dicat Jesu Christi, quod Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nomen: non ipsa equidem nomina personalia, quibus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus invicem distinguuntur; sed nomen Dei, quod est unum communiter Patris, & Filii, & Spiritus Sancti naturale nomen; id quod probandum, hocce, quod jam paucis proposui, argumento susceperat. Quod ut magis confirmet, Hæreticum adfirmantem, baptizari homines in tribus diversis nominibus, *quando secundum regulam Christi Salvatoris imperio constitutam, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizantur*, sequenti dilemmate adgreditur: aut subtracto vel Patris, vel Filii, vel Spiritus Sancti Nomine, integrum est baptismatis Sacramentum; an non. *Integrum dicere non audebis, quia hoc te dicere prohibebis ipsius sententia veritatis. Quid igitur restat, nisi ut respondeas, illum esse integrum baptismatis Sacramentum, quod secundum præceptum Domini datur in nomine Patris &c.* Atqui, subjungit, prolatis, ex Actibus Apostolicis, sæpius memoratis de baptismo in nomine Christi, auctoritatibus; *tot locis attestantibus invenimus*,

mus, quo dam in nomine Domini Jesu Christi auctoritate Apostolica baptizatos. Aut ergo adfirmas, eos qui baptizati sunt in nomine Jesu Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti fuisse baptizatos; aut hoc omnimodis negas. Si adfirmas, *unum proculdubio Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confiteberis nomen: & ex uno nomine, unum Deum necesse est Sanctam confitearis continuo Trinitatem*. Si negas; *quid restat nisi ut illud baptisma verum esse non putes; sed ipsos Sanctos Apostolos prævaricationis reos esse pronuncies?* Postulat omnino vis argumenti, ut non aliud, præterquam Christi personale nomen inter baptizandum Apostoli nominarint: quodque ea ratione baptizantes in nomine Jesu Christi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizaverint, quod nomen Jesu, in quo baptisma consecraverunt, sit illi cum Patre, ac Spiritu Sancto commune; hoc est, nomen Deitatis, quod unum communiter est Patris, & Filii, & Spiritus Sancti naturale nomen. Si enim alias quoque Personas suo unamquamque nomine appellassent; neque ulla esset alia caussa, cur in nomine Jesu Christi Neophytos initiasse Apostoli dicerentur; nisi quòd unà cum Patre, & Spiritu Sancto fuerit expressè invocatum, infirmo nimium tibicine niteretur. Diceret enim Hæreticus, baptizatos eos fuisse tanquam in tribus distinctis, aut diversis nominibus, qui ideo baptizati dicuntur in nomine Jesu Christi, quod istud non unicum, sed unum fuerit ex nominibus expresse invocatis. Habet autem argumentum robur invictum, si hoc solum Apostoli pronuntiaverint: nisi enim unum esset Patris, & Filii, & Spiritus Sancti naturale nomen, qui in solo Christi nomine baptizarunt, nullo modo in nomine Patris, & Spiritus Sancti baptismum contulissent; proindeque prævaricati fuissent regulam Christi Domini præcepto constitutam: quemadmodum mentitus fuisset Petrus, quum dixit, *non esse aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, nisi unum esset Patris, & Filii naturale nomen, in quo salutem consequimur. Sed *Petrus sciens unum esse nomen Trinitatis; & illud verum dixit, quia excepto nomine Christi, non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri; & quod docuit baptizari in nomine Jesu Christi, in uno baptizavit nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, idest, in uno Deitatis nomine; quod non minus ob naturæ summam uni-

unitatem Patris, & Spiritus Sancti, quam Filii nomen est: *nulla est enim*, subjungit, *in Trinitate diversitas naturalis nominis, ubi est ipsa unitas naturalis*.

Accedendum mihi nunc est ad alterum Fulgentii locum, quem in suam detorquent Adversarii opinionem. Is exstat libro de Incarnat. & Gratia cap. XI. ubi rotundis verbis adserit S. Doctor, quod *omnis, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Sacramento sanctæ regenerationis abluitur, non nisi in Christi nomine, ac morte baptizatur*. Quam suam propositionem ut probet, utitur eo Petri Apostoli testimonio, Actor. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*. Quo fit, ut idem omnino sit baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, atque in nomine Jesu Christi, & contra baptizari.

At quomodo isthæc nostræ, imo & ipsius, ut jam ostendimus, S. Fulgentii opinioni repugnent, plane non video. Contendit enim hoc loco, unam Divinæ, humanæque in Christo naturæ agnoscendam esse personam, unum eundemque Dei, ac Hominis Filium: *Et hujus*, inquit, *fidei nobis intimans veritatem ipse humani generis Conditor, & Redemptor.... ut unum eundemque se Deum, & Hominem credendum, prædicandumque monstraret, simul in se Divinam, Humanamque naturam unius Filii nomine nuncupavit dicens Apostolis: ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Ex hac verò auctoritate hoc in summa elicit argumentum acutissimus Doctor. Aut fatendum est, unam Filii Dei, & Filii Hominis esse personam: aut Filium Hominis secundum humanam naturam ita alienum esse ab opere redemptionis in Sacramento Baptismi, ut qui baptizatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non baptizetur in nomine, aut morte Christi. Quia si alia dicatur esse Filii Dei, alia Filii Hominis esse Persona, nomen illud, quod est Filio cum Patre, & Spiritu Sancto commune, ne quidem per comunicationem, ut ajunt, idiomatum poterit Filio Hominis convenire: ac proinde qui baptizatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in nomine, aut morte Christi nullatenus baptizatur. Hoc autem quam sit falsum, inde colligere est, quod Petrus Apostolus Judæos baptizari jusserit in nomine Domini Jesu Christi, quod ei licitum non fuisset, si nomen Jesu

Digitized by Google

Christi omnino esset ab opere Redemptionis in Sacramento regenerationis alienum: Si qui baptizatur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, in illo uno Jesu Christi nomine, quod est ei cum Patre, & Spiritu Sancto commune, minime baptizaretur. Sed præstat Sanctum Doctorem suis ipsum verbis differentem audire: „ Doctor igitur, & largitor æternæ salutis hanc „ ideo formam baptismatis dedit, ne quis in eodem Dei Filio „ naturas dividens, mortifero illaquearetur errore; Si aut hu- „ manam Filii Dei naturam ab opere Redemptionis humanæ „ alienam in Sacramento Baptismatis crederet, aut duas in „ Christo confitendo personas, non jam verè Trinitatis cultor, „ sed nefarius esset quaternitatis adsertor: ac per hoc cum Pa- „ tre, & Spiritu Sancto non Filium, sed filios coleret, quis- „ quis in Christo unius personæ repudiandam fidem aliquatenus „ æstimaret, quum idem sit unus Filius in Trinitate cum Pa- „ tre, & Spiritu Sancto Christus Jesus, qui mundum creavit, „ & pro nobis sanguinem fudit. Propterea omnis, qui in no- „ mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Sacramento Sanctæ „ regenerationis abluitur, non nisi in Christi nomine, ac mor- „ te baptizatur, ut evidenter appareat, illi nos consepultos es- „ se per baptismum in morte, in cujus uno cum Patris, & Spi- „ ritus Sancti constat nomine baptizatos. „ Quod producta superius ex Actibus D. Petri auctoritate, ac D. Pauli ad Rom. scribentis testimonio: *quicunque in Christo baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus &c.* Egregie confirmat, tum demum ita concludit: „ Quisquis igitur duas adserere nititur in Chri- „ sto personas; & tamen secundum regulam ore, atque impe- „ rio Domini constitutam, in uno se Patris, & Filii, & Spiri- „ tus Sancti baptizatum nomine confitetur, aut evidentissima „ blasphemia se in morte Christi baptizatum neget, ut inimi- „ cus Apostolicæ auctoritatis adpareat; aut cultorem se non „ Trinitatis, sed Quaternitatis agnoscat. Si vero utriusque „ metuit impietatis abruptum, rectam Catholicæ Fidei teneat „ toto corde sententiam, nec se dubitet in Christi baptizatum „ morte, in cujus baptizatus est nomine. Unum quippe Patris, „ & Filii, & Spiritus Sancti naturale nomen agnoscens, seque „ in illius morte ac nomine baptizatum esse considerans, de „ cujus latere Sacramentum Fontis, & Calicis manavit penden-

„ tis

Digitized by Google

„ tis in Cruce, illum pro nobis crucifixum agnoscat, quem
„ Dei virtutem, Deique Sapientiam Paulus & credit, & prædicat &c. „ Hæc Fulgentii verba quomodo in rem suam convertere Adversariis liceat, non modo animo comprehendere, sed ne adtingere quidem suspicione possum. Ita enim fit, ut in nomine, & morte Christi baptizentur, quicunque in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizantur. Idque optime probet laudata ex Actibus Principis Apostolorum sententia; etiamne consequens propterea est, ut sub expressa Patris, & Spiritus Sancti invocatione fuerit ab Apostolis initiatus, quicunque fuerit in nomine, aut morte Christi Sacramento regenerationis ablutus? non puto. Sive enim in nomine solius Christi, sive etiam in nomine Patris, & Spiritus Sancti baptizaverit Petrus, optime ex ea auctoritate conficitur, non esse Jesu Christi nomen alienum ab opere redemptionis humanæ in baptismatis Sacramento. Imo, ut deinceps forsitan expendemus, id efficacius concludit, si in solo Jesu nomine Apostoli baptizaverint.

§. IX.

Paulinus Episcopus Aquilegiensis in Concilio Forojuliensi eadem usus est opinione.

Opinioni D. Thomæ, de Baptismo in solo Jesu nomine ab Apostolis nonnunquam administrato, maximum tamdem robur accedit ex auctoritate Paulini Episcopi Aquilegiensis, qui in frequenti Episcoporum Synodo apud Forumjulium Anno 791. celebrata, sæpius commemorata ex Actibus Apostolorum loca eodem modo est interpretatus, ac Patres hactenus laudati. Quum enim vellet ostendere, non ad excludendum in emissione Spiritus Sancti à Patris consortio Filium, scriptum in Evangelio fuisse: *Spiritus, qui à Patre procedit*; sed ad commendandum mysterium unitatis, ob quam inseparabilia sunt opera Trinitatis, utitur exemplo Apostolorum, qui ad idem mysterium insinuandum, *in nomine tantum Jesu* baptismum aliquando consecraverunt; quamvis eos, Dominus jusserit, in nomine Patris,

& Filii, & Spiritus Sancti baptizare: *Sæpe*, inquit, *à nobis, nostrisque Majoribus definitum est, inseparabilia semper esse opera Sanctæ Trinitatis. In eo namque Spiritus Sanctus à Filio procedere creditur, in quo à Patre procedere non dubitatur. Sed melius hoc adprobare valemus, si rei gestæ actio, quæ per Apostolos est executa, in medio revolvatur*. Productisque ex Actibus Apostolicis, quæ sæpius commemoravimus, locis, in quibus Apostoli referuntur, in Jesu Christi nomine baptizasse, subjungit: „ Si ergo omnes „ isti, qui evangelizantibus Sanctis Apostolis credentes, bapti- „ zati sunt in nomine Jesu Christi.... ubi est illa regula Tri- „ nitatis, quam generaliter suis post Resurrectionem Dominus „ Apostolis commendavit.... Ite, inquit, docete omnes Gen- „ tes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus „ Sancti. Cur Magister, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus „ Sancti; & Discipuli, in nomine tantum Jesu præcipiunt bap- „ tizari? nunquid aliud veritas per semetipsam docuit, & aliud „ Discipuli veritatis, vel aliam formam doctrinæ Ecclesiis tra- „ diderunt? Absit hoc. Nullus sic desipit, qui sani capitis est.... „ Sed videamus, qualiter utrumque verum, & sanctum est, „ socialeque bonum, & individuum mysterium. Sacramentum „ igitur Trinitatis, quam Magister, & Dominus tribus enume- „ ratis personis, in uno tantum nomine voluit demonstrare; „ hoc ejusdem veritatis Discipuli in una de Trinitate Persona, „ idest, Filii, totam Sanctamque Trinitatem essentialiter, San- „ cto sibi revelante Spiritu, intelligere meruerunt. Hoc est, quemadmodum ad insinuandam in tribus Personis Divinæ Naturæ unitatem, non in nominibus (quæ aliorum quoque Patrum observatio est) sed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Sacramentum Dominus administrari præcepit; ita ad idem mysterium altius in hominum pectora demittendum, demonstrandumque, quod inseparabilia, & individua sunt opera Trinitatis; & quod ubicunque una aliqua de tribus Personis, Filius J. C. operatur, ibidem & Pater, & Spiritus Sanctus conjunctim, & indivise vim suam exerunt, nonnunquam Apostoli præceperunt, *Sancto sibi revelante*, proindeque & annuente, atque idipsum fieri volente, *Spiritu*, ut in solo Jesu Christi nomine baptisma dispensaretur. Unde statim adjicit: „ Quoniam „ sicut crebrius dictum est, inseparabilia sunt opera Trinitatis.

„ Ubi

„ Ubi enim Pater, ibi inseparabiliter Filius, & Spiritus Sanctus: & ubi Filius, ibi inseparabiliter & Pater, & Spiritus Sanctus: & ubi Spiritus Sanctus, ibi incomprehensibiliter & Pater & Filius. Nam etsi audierant Discipuli præcipiente Domino, & Magistro propter mysterium Trinitatis: Ite, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, audierunt profecto præsentes eum ostendentem sibi unitatem naturæ: ego, ait, & Pater unum sumus. „ Et infra „ Quam bene ergo Dominus alta, & ineffabili Sapientia ut ostenderet personaliter mysterium Trinitatis: In nomine, inquit, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.... Quam feliciter & Apostoli in nomine Jesu, idest, Salvatoris totam, sanctam, & ineffabilem docuerunt intelligere Trinitatem.... Hinc perspicue datur intelligi sempiterna Dei Patris, & omnipotens Sapientia, quæ mirabiliter intelligentiæ nostræ infantiam erudire non cessat, quum de se inclinatius loqui in sacro dignatur eloquio, ut se innotescat trinum, & unum Deum, modo propter Personarum discretionem distincte loquitur; modo vero indiscrete propter consubstantialem individuæ Deitatis unitatem. Nam si semper indiscrete, absconderet utique mysterium Trinitatis; Si verò semper distincte, excellentiam profecto celaret inseparabilem Deitatis. „ Non est profecto, quod hac in re luculentius desideremus. Hoc enim veluti certum jacit, ac ratum orationis suæ firmamentum, præcepisse aliquando Apostolos, ut *in nomine tantum Jesu* baptizarentur ii, quibus Christianam Religionem adprobaverant. Hanc vero satis concinnam, non quidem rei verborum, quibus res gesta narratur, sed rei gestæ rationem reddit; quod voluerit Dominus apertius hoc ritu declarare, conjuncta esse, & individua opera Trinitatis: *Sed melius*, inquit, *hoc approbare valemus, si rei gestæ actio, quæ per Apostolos est executa, in medio revolvatur*. Quid clarius? non ait perdoctus Episcopus; Si verba Apostolorum, vel quibus Sacer Historicus, usus est, *in medio revolvantur*. Sed, *si rei gestæ actio, quæ per Apostolos est executa &c.* Et infra jam pro certo habens, quod *Discipuli in nomine tantum Jesu præceperint baptizari*; hujusce rei præter morem quandoque gestæ rationem quærit, eamque reddit, *quam Sancto sibi revelante Spiritu intelligere* iidem Apostoli

merue-

meruerunt. Nimirum voluisse Spiritum Sanctum hac rituum varietate clarius ostendere, unam esse trium Personarum virtutem, cui indiscriminatim salutem nostram referre acceptam debemus: quam pariter rationem ceteri Patres, quos hactenus laudavimus indicarunt; quamvis Paulinus revelationis Sancti Spiritus expressus meminerit; eoque monitos nos esse voluerit, ut ne ambigeremus quidem, quin eandem, & alii Patres præ oculis habuerint, ac suorum verborum fundamentum esse voluerint. Unde quum apud eos legimus, fuisse aliquos ab Apostolis in solo Christi nomine Sacramento regenerationis ablutos, quod in una Divinarum Personarum ceteræ intelligantur; id ita accipiamus, quod *Sancto sibi revelante Spiritu intelligere* Apostoli *meruerunt*, hac forma voluisse Deum, eos quandoque uti, quo humanis cordibus Trinitatis mysterium altius insinuarent, quemadmodum superioribus §§. dictum est.

Tantam habentes impositam nubem testium, non est, quod in aliorum testimoniis exscribendis immoremur, qui in Ambrosii auctoritate unice conquiescunt, ejusque verbis utuntur. Hi sunt, Nicolaus I. in Responsis ad Consulta Bulgarorum, Ven. Beda in Cap. X. Act. Algerus lib. III. de Sacram. Corp. & Sanguin. Christi, Hugo Victorin. l. 1. de Sacram. Cap.XIII. & Magister Sentent. in IV. Distinct. III. Cap. *Ex his*. Quamvis nec illud dissimulandum, hos ferme omnes, & in Nicolaum quoque tanquam privatum Doctorem in ea versari opinione, quod validus sit etiamnum baptismus in solo Christi nomine consecratus.

§. X.

§. X.

Defenditur ratio D. Thomæ.

SEd quare ejusmodi declaratio, seu potius interpretatio decreti baptizandi in nomine trium Personarum sub Apostolorum tempora facta fuerit, aut fieri oportuerit, rationem postulant Adversarii. *Nulla enim*, inquit Suarez, *fuit in primitiva Ecclesia probabilis causa talis dispensationis.* Respondet nihilominus D. Thomas; *quod ex speciali Christi revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Chrsti, quod erat odiosum Judæis, & Gentibus, honorabile redderetur, per hoc quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in baptismo*. Quam eandem Catechismus Romanus, quamobrem id fieri oportuerit, caussam adtulit in hæc verba; *Quod si etiam aliquando tempus fuisse dicendum est, cum Apostoli tantum in nomine Domini Jesu Christi baptizarent; id quidem Spiritus Sancti afflatu eos fecisse, exploratum nobis esse debet, ut initio nascentis Ecclesiæ Jesu Christi nomine prædicatio illustrior fieret, divinaque, & immensa ejus potestas celebraretur*. At non est hæc visa laudato P. Suarez idonea ratio, cur Patris & Spiritus Sancti personalia nomina omitterentur. Esto enim, inquit, ad Christi gloriam amplificandam opportuna res fuerit, ejus nomen exprimere; cui tamen bono fuerit alias Personas occulere? Verebatur enim videlicet Christus, ne quid apud nationes de existimatione sua deperderet, si una cum Patre, & Spiritu Sancto fuisset in baptismo invocatus proferendo Sacramenti formam hoc modo: *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jesu Christi Domini nostri, & Spiritus Sancti*? Ita profecto, & suum Christo decus, & sua formæ integritas constaret.

Verum enim vero non est, ut ejusmodi adsultibus prohibendis, alia, præter ea quæ jam posuimus, doctrinæ D. Thomæ munimenta exstruamus. Quos enim ex speciali illa, quam sæpius indicavi, baptismi forma, fructus Ecclesia perceperit, quod Christo decus accesserit, quæve non ad eos tantum, qui ea forma usi sunt; verum etiam ad posteriores ætates utilitas dima-

Digitized by Google

naverit, facile reputabit, quisquis quæ adtuli Patrum loca, non perfunctorie legerit. Fuisse enim Hæreticos, constat, qui trium personarum unum, atque individuum nomen, quo Christianum Sacrum perficitur, (a) in tria nomina per summum scelus distraherent. Fuerunt etiam, qui Filium, & Spiritum Sanctum non connumerari Patri in baptismo (b) sed subnumerari tanquam inferioris notæ Genios existimarent. Fuerunt denique qui pro una Dei Hominisque in Christo Persona duas nefarie vellent obtrudere. Quid vero ad ejusmodi errores profligandos præclarius adferri unquam potuit eo argumento, quod laudati Patres eliciunt ex baptismo in unius Christi nomine ab Apostolis consecrato? Ubi hanc Historiam semel Fabianus probaverit; qua fronte ex uno triplex nomen efficiet? aut hiscere ne omnino audebit ad ea, quæ illi Fulgentius objecit? Si hunc ritum semel Apostoli usurparint; idque demum Arrianis persuaseris; eos adsuefacies (quod certe in votis erat Ambrosio) in unius Personæ nomine ceteras agnoscere, ac venerari; & ad omnes simul referre quicquid, propriis earum notis exceptis, uni, aut alteri scriptura tribuerit. Quid vero Nestoriani? Hamum vorarunt, si Fulgentio, aut Ferrando semel dederint, in uno Christi nomine fuisse olim Gentes Christiano ritu initiatas. Si enim ad salutem, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti consequendam, satis superque olim fuit nominis Christi invocatio; an non illud omnino consequens est, ut uno, eodemque tres divinæ Personæ nomine decorentur? Si divinæ virtutis opus excellentissimum, humanæ scilicet naturæ consecratio, in uno Christi nomine consummatur; quid restat, nisi ut omnes tres Personas una, eademque virtute præditas existimemus? Denique si nomen Christi salutem parit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti desponsam jam nobis & destinatam; an non illi absurdi sunt, & inepti, qui Christum dissolvere, & à Dei Filio divellere cogitarunt? Non itaque potuit opinioni, gloriæ, atque existimationi nominis Christi melius esse consultum: nisi quis dubitet, utrum ad Christi gloriam pertineat, quod una ejus, & Patris, & Spiritus Sancti sit virtus atque maje-

(a) Apud Fulg. Fragm. XXXVII. ex lib. X. cont. Fabian.
(b) Apud Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. XVII.

Digitized by Google

majestas; una vis nominis, atque præstantia; unum decus, una Sanctitas, una Deitas secum, etiam quatenus homo est, per gratiam unionis à Patre communicata: & quod ejusmodi Dei, & Hominis decora in regenerationis humanæ Sacramento modis omnibus innotescant: Eoque non omnino sapienter ex P. Suarez sententia constitutum est, nullam olim ex eo quem comminiscimur baptismi ritu utilitatis fructum exstitisse. Quos enim Ecclesia inde perceperit fructus, vel quo Patribus usus fuerit ejusmodi ritus, satis, opinor, dictum à nobis est.

Nec spernenda tamen, aut omnino prætermittenda Cypriani martyris conjectura. Contendit enim, ut supra vidimus, ideo Apostolos Judæis Christiano ritu expiandis solum Christi nomen olim adhibuisse: quod per legalia baptismata, & cæremonias, præsertim Circumcisionem, Patrem omnium rerum conditorem recepissent, seque ejus cultui, ac Religioni, solenniter devovissent; unde nihil facto opus erat, nisi *ut Patri Filius adjungeretur*; idest, ut Filii quoque Religio susciperetur per baptismum in ejus nomine consecratum; ac tum demum in e, dem gloriæ societatem veniret Spiritus Sanctus, per solennem manuum impositionem ejus religione suscepta. Et aliquanto amplius huic conjecturæ dandum existimabimus, si nobiscum reputemus, innumeras olim Hæreticorum phalanges in Ecclesiæ perniciem incubuisse, qui antiqui fœderis Disciplinam insectabantur, Patriarchas nullo non contumeliarum genere lacerabant, ac Judæorum Deum mundi hujus adspectabilis conditorem diris omnibus devovebant. Non hunc esse Deum, quem Patrem suum Christus prædicaret, cujus nomen & gloriam vellet omnibus manifesta, cujus amorem ac reverentiam omni vellet humano generi insertam. Quinimmo venisse Christum, ut Judæos ejus cultui mancipatos adsereret in libertatem, & in alterius Dei regnum, ac religionem transferret. Jam vero, ut eo referatur, unde huc declinavit oratio, qui potuisset Christus aut Judaici fœderis Sacramentis, aut legis Sanctitati, aut Dei Patris gloriæ, & honori consultius unquam, aut opportunius prospicere, quam ut ea demum mysteria in honore haberet, quæ olim fuerant apud Judæos in Dei Patris nomine celebrata? Nil vero eisdem mysteriis sempiternæ gloriæ commendandis aptius, quam ea, de qua nunc agimus, baptismi forma: per

quam scilicet palam esset, non in contemtum numinis, aut veteris disciplinæ novum induci ritum; *Sed ut Judæis*, inquit Cyprianus, *qui se Patrem habere jactabant, ostenderetur, quod nihil eis Pater profuturus esset, nisi in Filium crederent, quem ille misisset*.

§. XI.

Angelico Præceptori Origenis, & Basilii Magni autoritas conciliatur.

SS. Cypriani, Augustini, Fulgentii loca, in quibus dispofita esse cognoscimus adversæ partis præsidia, commemorare hic non est opus; quum ea jam Adversariis eripuerimus, nec dubium adhuc sit, quin eorum autoritas nobiscum faciat. Suarez præter laudatos Patres in scenam inducit Origenem, quod lib. v. in Epist. ad Roman. exponens illud: *quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*; hac sibi proposita quæstione: *Cur hic Apostolus solius Christi in baptismo nomen assumserit, quum utique non habeatur legitimum baptisma, nisi in nomine Trinitatis*: eam sequentibus verbis expediat; *quoniam in præsenti loco non tam baptismatis rationem, quam mortis Christi discutere cupiebat ...... Et non conveniens erat, ut ubi de morte dicebat, vel Patrem nominaret, vel Spiritum Sanctum. Nec conveniebat, ut diceret: quicunque baptizati sumus in nomine Patris, vel in nomine Spiritus Sancti, in morte ipsius baptizati sumus*. Addit, consuetudinem esse Apostoli non semper integrum verborum textum referre; *sed ea tantum, quæ præsentis caussæ requirebat adsertio*. At leves omnino sunt conjecturæ, quas ex his verbis Adversarii petunt. Quid enim inde argumenti elicies, cui non expeditam obduxerim responsionem? An quod Origenes, Apostolis specialem formam in usu olim fuisse, non dixerit, in quo argumenti vim collocat P. Vasquez? At quid opus erat hujusmodi responsione, quum aliam, & quidem optimam, & loco Epistolæ, quem exponebat, adprime congruentem ipse Pauli contextus suppeditaret? An quod idem Origenes statuat, non semper Apostolum integra verba referre, sed ea tantum, quæ præsen-

præsentis caussæ requirebat adsertio, ut eundem morem in Actibus tenuisse Lucam æque concludat? At id scripsit Origenes de Apostolo, non de Luca: & si ejus de Pauli verbis, aut stylo sententiam ad eos, de quibus nunc agimus, Lucæ textus detorseris, sine causa Origenem in alios Patres concitabis, quos supra vidimus, unanimi ferme consensu tradere, integram sæpe memoratis locis baptismi formam contineri, quam Apostoli nonnunquam proprio ipsis, ac speciali privilegio usurparunt. Addam Origenem in hoc ipso loco haud obscure nostræ opinioni suffragari. Quum enim omissæ ab Apostolo, ubi de baptismo agit, unius, vel alterius Personæ peculiarem caussam requirat ex ipso textu petitam, veluti: *quia de morte Christi docere cupiebat; nec tam baptismatis rationem, quam mortis Christi discutere*... Nullaque ejusmodi ratio extundi possit ex tot Lucæ textibus, ubi Jesu Christi nomen, aliis prætermissis, commemoratur; plane sequitur, ut ideo fuerint in historica narratione omissa, quia non fuerant in sacro ritu commemorata. Et hinc elice, Apostolicæ Sententiæ mysteriis sæpissime involutæ, & historicæ narrationis, cujus prima laus in simplicitate versatur, disparem esse rationem.

Secundo loco opponunt Adversarii S. Basilii testimonium lib. de Spirit. S. Cap. XII. Quem tamen locum adtente percurrenti, ne verbum quidem occurrit, quod S. Thomæ opinionem vel leviter adtingat. Docet nimirum (*a*) *harum vocum usum, Patris scilicet, & Spiritus Sancti, indifferentem non esse, quod eas Apostolus in baptismatis commemoratione frequenter omittat*. At hæc nostra pariter sententia est; non esse earundem vocum usum indifferentem, quod eas aliquando Apostoli speciali ratione inducti inter baptizandum omiserint. Docet, (*b*) *interdum & Spiritus tantum in baptismate Apostolum fecisse mentionem.... At non ideo*, subjungit, *quis dixerit, perfectum esse baptisma, in quo solum Spiritus nomen invocatum est*. At nos huic Basilii decreto subscribere nihil vetat. Quin & addimus, solius Christi mentionem in ipsa

(*a*) Καὶ μηδένα παρακρουέσθω τὸ τῶ Ἀποςόλου, ὡς τὸ ὄνομα τῶ πατρὸς καὶ τῶ ἁγίου πνεύματος, ἐπὶ τῆς τῶ βαπτίσματος μνήμης πολλάκις παραλιμπάνοντος, μηδὲ διὰ τῶτο ἀπαρατήρητον οἰέσθω τὴν ἐπίκλησιν εἶναι τῶν ὀνομάτων.

(*b*) Ἀλλ' ὁ παρὰ τῶτο τέλειον ἄν τις εἴπῃ βάπτισμα, ᾧ μόνον τὸ ὄνομα τῶ Πνεύματος ἐπεκλήθη.

ipsa baptismi forma interdum fecisse Apostolos: at non ideo, quis dixerit, perfectum esse baptisma, in quo solum Jesu Christi nomen fuerit invocatum. Non enim debet aliis exemplo esse, quod suo quodam ac singulari jure sibi Apostoli vindicarunt. Docet, solo Spiritus Sancti nomine invocato perfectum non esse baptismum, eo quod, *oporteat inviolabilem manere traditionem, quæ in vivifica gratia data est.* Sed hanc nos quoque traditionem & amplectimur, & veneramur, atque adeo Sanctam existimamus, ut qui eam attentarit, Sacramenti vim omnem penitus labefactaverit. Docet, baptismi formæ (a) „ quidquam ad-
„ dere, vel detrahere plane esse ab æterna vita excidere.....
„ In baptismo separare Spiritum à Patre, & Filio, ut periculo-
„ sum est baptizanti; ita esse baptismum accipienti inutile.....
„ Quod sicut credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum
„ Sanctum; sic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, &
„ Spiritus Sancti. „ At quando nobis, aut Angelico Præceptori in mentem venit istorum decretorum auctoritatem infringere? Annon hæc ipsa S. Thomas totidem articulis firmat? Ecquid igitur ex Basilio tandem elicies, quod à nostris rationibus esse videatur alienum? Quid vero si habere velimus pro idoneo Basilii interprete Ambrosium? Annon ille ex hoc ipso Basilii textu rationem petiit, cur Apostolis aliquando licuerit ad consecrandum baptismum solum Christi nomen usurpare? Hanc enim omissi ab Apostolo, ubi de baptismate agit, aut Patris, aut Spiritus Sancti rationem Basilius commentus est, quod, *Christi appellatio totius Deitatis est professio. Quippe quæ simul declarat, & Deum qui unxit, & Filium qui unctus est, & Spiritum Sanctum qui est unctio, quemadmodum à Petro in Actis didicimus Jesum Nazarenum, quem unxit Deus Spiritu Sancto.* Quæ verba pro more suo in se transferens, suaque faciens Ambrosius, ita accepit, ut iis putarit, idoneam contineri rationem, cur in ipsa baptismi forma Patris, & Spiritus Sancti nomen aliquando Apostoli omiserint. Quid igitur? parumne commodum dices Basilii interpretem Ambrosium? Ve-

(a) *Τὸ προσθεῖναί τι ἢ ἀφελεῖν, ζωῆς ἐστι τῆς ἀϊδίου προδήλως ἔκπτωσις ..... ἐν τῷ βαπτίσματι ὁ Χωρισμὸς τοῦ Πνεύματος ἀπὸ πατρὸς καὶ υἱοῦ ἐπικίνδυνος μὲν τῷ βαπτίζοντι, ἀνωφελὴς δὲ τῷ δεχομένῳ ..... ὡς γὰρ πιστεύομεν εἰς Πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα, οὕτω καὶ βαπτιζόμεθα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος.*

Verùm ne aliquis ſcrupulus ex Sancti Doctoris verbis ſuperſit, obſervari velim, quod & ſupra circa Origenem animadverſum eſt, non eandem eſſe Apoſtolicæ Sententiæ, quam Baſilius explanat, & hiſtoricæ narrationis, quæ in Actis exſtat rationem; ut quamvis hoc dederim, & conceſſerim, Ambroſio non fuiſſe exploratam Baſilii mentem; non ideo quis putet Pauli, & Lucæ verba eadem eſſe interpretatione donanda; ut Lucam perinde ac Paulum ideo Spiritus Sancti nomen, & Patris mentionem omiſiſſe ſtatuamus, quod *Chriſti appellatio totius Deitatis ſit profeſſio*. Loca Apoſtoli, quæ Baſilius exponit, hæc ſunt: *quicunque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Quicunque in Chriſto baptizati eſtis, in mortem illius baptizati eſtis.* Horum verborum, *baptizari in Chriſto*, vel, ut habent Græca Exemplaria, *in Chriſtum*; & *baptizari in nomine Jeſu Chriſti*, non una omnino eademque poteſtas eſt, ut propterea neceſſe ſit ad hæc poſteriora referre quidquid ad priora illuſtranda fuerit ab Interpretibus adlatum. Priora verba ad baptiſmi formam referri niſi ineptè non poſſunt: poſteriora verò de baptiſmi forma cum Patres communiter intellexerunt; tum Adverſariorum præcipui nobiſcum agnoſcunt; licet iis integram contineri formam adhuc repugnent: in his omnia plana ſunt & aperta, & quæ non decet quæſitis hinc inde rationibus obſcurari; in illis autem arcana vis quædam eſt animo potiùs æſtimanda, quàm verbis efferenda.

§. XII.

Digitized by Google

brum non dixerit Apostolus, *abluti estis in nomine Patris*, non illam fuisse, ait, quod Apostolico ævo nomen Patris omitteretur; sed, *quia nihil referre censebat, an modo hujus, modo illius Personæ meminisset*. Quam responsionem, nihil vetat, quin Lucæ verbis accommodemus.

Ad hæc tamen multiplex est responsio. Dico enim primo: quod laudata verba quum scriberet Chrysostomus, communem baptismi regulam à Christo Domino constitutam præ oculis habuit, non autem peculiarem illam, quam Apostoli divinitus admoniti nonnunquam sequuti sunt. Ad hanc igitur communem baptismi regulam, juxta quam plurimos ex Corinthiis fuisse baptizatos in dubium revocari nolumus, quum animum adtenderet S. Doctor, jure optimo ait, quod si illi quidem in nomine Patris non fuerant baptizati, nec abluti, nec sanctificati fuerant: &, si fuerant tincti baptismo, in Patris utique nomine sacer fuerat ritus peractus. Et merito ad communem regulam dirigit Chrysostomus orationem, ut qui ex verbis Apostoli ad Corinthios scribentis argumentum trahat, circa quos communem morem promiscue fuisse retentum, nullus dubito. Non enim sic adserendum censeo, baptizasse Apostolos in nomine Jesu Christi, ut nunquam hodiernum ritum formamque adsciverint. Quid enim si cum Cypriano dixerimus, Judæorum præsertim caussâ ab usitata consuetudine Apostolos recessisse, nec nisi raro admodum, & forsitan semel tantum cum Gentibus usos fuisse privilegio; Ecclesiæ autem Corinthiorum maximam partem ex Gentibus fuisse collectam? Quid si dixerimus, eos tantum in Christi nomine fuisse ablutos, quorum baptismum, utpote præter morem, & primam institutionem administratum, Sacer Historicus dignum censuit, ut eum ejusque formam adcuratius describeret: quumque nihil ejusmodi de Corinthiis memoriæ proditum sit, nihil circa eos præter consuetudinem fuisse gestum? annon hæc satis erunt ad opinionem D. Thomæ cum auctoritate Chrysostomi conciliandam? Quid enim tandem ex Chrysostomi verbis elicies? Nimirum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatos fuisse Corinthios; *annon ISTI*, inquit, *in nomine Patris baptizati sunt*? Id autem nec D. Thomas ierit inficias, ut qui nullibi tradiderit, in solo Christi nomine Corinthios fuisse regeneratos.

Dico secundo, rem non esse omnino certam, & exploratam, num ad ipsam baptismi formam laudata Chrysostomi verba referenda sint: hanc enim neque Apostolum significare voluisse, quum ait: *Sed abluti estis &c. in nomine Domini Jesu Christi*, verba quæ statim sequuntur, *& in Spiritu Dei nostri*, pro argumento sunt. Hæc enim orationis inæqualitas formam certè non indicat, quæ uno semper tenore fluit. Quin & ii Interpretes mihi videntur cum Pauli oratione maximè consentire, qui de spiritali ablutione, cujus corporalis ablutio caussa, & Sacramentum sit, Apostolum interpretantur: cum eorum autem sententia alibi & ipse Chrysostomus manifestissimè facit (*a*). Quæ quum ita sint, ægre in animum induxerim, ut de baptismi forma Chrysostomum intelligam. Sed quum duplicem interioris Sanctitatis caussam prodat laudatis verbis Apostolus, Christi scilicet Humanitatem, quum ait: *abluti estis &c. in nomine Domini Jesu Christi*; & Spiritus Sancti Divinitatem, quum addit: *& in Spiritu Dei nostri* (*b*) ea videtur fuisse Chrysostomi mens, Corinthios neque ablutos fuisse, neque sanctificatos, si quemadmodum in virtute Spiritus Sancti; ita non fuissent in Patris nomine, aut virtute baptizati. Nec enim valde repugnarim, quum eum circumstantiæ postulant, hunc esse harum vocum usum, & potestatem.

Dico tertio, quod Chrysostomus caussam proferens, *quamobrem non dixerit Apostolus, abluti estis in nomine Patris*; ideo non illam esse ait, quod Apostoli nonnumquam Patris nomen omiserint; *Sed quia nihil referre censebat, an modo hujus, modo illius Personæ meminisset*, quod priorem illam interpretationem Pauli verba nullo modo ferant. Quum enim ad universam Corinthiorum Ecclesiam scriberet Paulus; cuinam tandem persuadere Chrysostomus potuisset, omnem illam Gentem, de qua nihil ejusmodi scriptura prodit, insueto ritu vel ab ipso Apostolo, vel ipsius auspiciis fuisse baptizatam? Quumque ut idem Chrysostomus advertit, ex variis Pauli Epistolarum locis compertum fit, eum modo uni, modo alteri Personæ non tam baptismum, quam baptismi effectus, & mysteria tribuere; optime ait, quod nihil

(*a*) Homil. XVI. in cap. VI. primæ ad Corinth.
(*b*) Vid. D. Thom. Lect. II. in prioris ad Corinth. cap. VI.

nihil referre censebat, *an modo hujus*, *modo illius Personæ meminisset*. At vero nihil ejusmodi ex toto Actorum Libro elicere est; Sed quorum baptismum formam exprimendo describit; eos omnes S. Lucas refert in uno Christi nomine fuisse similiter baptizatos: eoque fit, ut quam Pauli verbis rationem Chrysostomus aptavit, eadem non possit æquè Lucæ verbis accommodari.

Non est mihi Chrysostomus de manibus ante deponendus, quam ex hoc ipso loco aliquid depromam, in quo nonnihil momenti sit, ad Angelici Præceptoris doctrinam confirmandam. Quid vero ad hanc rem his Chrysostomi verbis magis opportunum, quibus *hoc ipsum* statuit, *vel maxime ostendere*, *eum*, Sanctum videlicet Spiritum, *ejusdem essentiæ esse* cum Patre, & Filio, *quod Paulus varie hoc usus sit*, (*a*) modo scilicet Patri, modo Filio, modo Spiritui Sancto, vel naturæ, vel gratiæ opera tribuendo. Hinc enim vires sumit argumentum, quo superius propositam à D. Thoma conjecturam statuminabam, unàque cum eo varium hunc ritum Apostolico ævo obtinuisse conjiciebam, quod ille aptissimus esset ad nominis Christi gloriam amplificandam. Hoc enim summum hujusce Sanctissimi nominis decus est, quod in eo Divini Nominis vis omnis, atque majestas contineatur; quod certe commodius, aut apertius declarari non poterat, quam baptismi ritum alternando modo solius Christi, modo trium Personarum nomine invocato. Nam *hoc ipsum quoque*, ut Chrysostomi verbis utar, *vel maxime ostendit*, *eum*, idest Filium, *ejusdem essentiæ*, & virtutis *esse* cum Patre, *quod Apostoli varie hoc usi sint*.

(*a*) Ἡ γὰρ αὐτὸ τοῦτο μάλιστα δείκνυσι τῆς αὐτῆς οὐσίας ὄντα αὐτὸν, τὸ διαφόρως κεχρῆσθαι τὸν Παῦλον αὐτῷ.

§ XIII.

Exploduntur argumenta ex S. Johanne Damasceno, ex Canone XLIX. eorum quos Apostolicos vocant, & Theophilacto deprompta.

QUartus in scenam vocatur S. Johannes Damascenus, ex quo itidem plura adversus opinionem D. Thomæ conflantur argumenta: plura enim docet, quæ cum nostra sententia vix posse conciliari Adversarii existimant. Primo docet, quod (a) *etsi Apostolus dicit: in Christum, & in mortem ipsius baptizati sumus; non tamen hoc vult, baptismi invocationem ex his verbis constare debere: verum hoc demum, baptismum mortis Christi figuram præferre. Baptismus siquidem, qui trina mersione peragitur, tres dies significat, quibus Dominus tumulo conditus jacuit.* Unde colligit P. Vasquez, ita necessariam existimasse Damascenum formam illam, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ut non sufficeret etiam tempore Apostoli invocatio solius Christi. Nam si hæc invocatio satis esset pro forma, facile respondere poterat, pro eo tempore invocationem Trinitatis necessariam non fuisse. Cum igitur hoc modo non respondeat, tum etiam asserat, rebaptizandum esse eum in nomine Trinitatis, existimare plane videtur, neque invocationem unius solum Personæ Trinitatis, aut solius Christi ad verum baptismum umquam satis fuisse. Hæc totidem verbis P. Vasquez (*b*)

Verum enim vero quid opus fuit, ut privilegii Apostolis olim concessi mentionem hoc loco injiceret Damascenus; quum aliam, & quidem optimam responsionem ex ipso textu petitam, & ipsius Apostoli menti omnino consonam, ut supra jam est circa

(*a*) *Εἰ γὰρ καὶ φησὶν ὁ θεῖος ἀπόστολος, ὅτι εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν, οὐχ οὕτω δεῖν γίνεσθαί φησι τοῦ βαπτίσματος τὴν ἐπίκλησιν, ἀλλ' ὅτι τύπος τοῦ θανάτου τοῦ Χριστοῦ ἐστι τὸ βάπτισμα. διὰ γὰρ τῶν τριῶν καταδύσεων, τὰς τρεῖς ἡμέρας τῆς τοῦ κυρίου ταφῆς σημαίνει τὸ βάπτισμα.* Lib. IV. Fidej. cap. IX.

(*b*) Tom. 11. in 3. part. Disput. CXLIII. cap. III.

circa Origenem, & Baſilium obſervatum, ipſa Apoſtolica verba ſuppeditarent? Quæ ratio erat, ut Apoſtolicum privilegium in medium adduceret Damaſcenus; quum propoſitio Apoſtoli quoſcumque Fideles complectens: *quicunque*, inquit, *in Chriſto Jeſu baptizati ſumus, in morte ipſius &c.* ad illud ne veroſimiliter quidem adludat, nec enim probabilis mihi opinio videtur, quod in ſolo Chriſti nomine ab Apoſtolis tincti fuerint, quicumque vel ex Judaiſmo, vel ex Gentili ſuperſtitione ad Chriſtiana Sacra tranſirent? Quum Eunomiani, quos hic Damaſcenus manifeſto perſtringit, id ex ſpeciali privilegio feciſſe Apoſtolos, quod ipſi, ſi Theodoreto, (*a*) Socrati, (*b*) & Sozomeno (*c*) habenda fides, paſſim uſurpabant, admiſſuri non eſſent? Quum, vel ipſo Vaſqueſio auctore, de forma baptiſmi eo loco Apoſtolus non loquatur; nec de illa loqui, eodem Vaſqueſio teſte, Damaſcenus unquam exiſtimaverit? Deinde, ex quo Damaſcenus adſerit, eum eſſe iterum baptizandum, qui Eunomiano ritu, *in Chriſtum, & mortem ipſius* baptizatus fuit, id elicere, quod S. Doctor plane exiſtimaverit, ſolius Chriſti invocationem ad verum baptiſmum neque ex peculiari privilegio unquam ſatis fuiſſe; næ illam ridendam potius, quam confutandam conſecutionem!

Ut autem ſemel de Eunomianis mentio facta eſt, non eſt jam mihi diſſimulandum id, quod eſt à modernis Criticis deprehenſum; Canonem ſcilicet XLIX. eorum qui Apoſtolici dicuntur, quo ſciſcitur, ut, *ſi quis Epiſcopus* (*d*) *aut Presbyter non trinam merſionem unius myſterii celebret, ſed ſemel mergat in baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur. Non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate: Sed, euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; diſſimulandum, inquam, non eſt, ejuſmodi Canonem Eunomianorum

(*a*) Lib. IV. hæret. Fabul. cap. III.
(*b*) Lib. VI. Hiſtor. cap. XXIII.
(*c*) Lib. VI. Hiſtor. cap. XXVI.
(*d*) *Εἴ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος μὴ τρία βαπτίσματα μιᾶς μυήσεως ἐπιτελέσῃ, ἀλλ' ἓν βάπτισμα εἰς τὸν θάνατον τοῦ κυρίου διδόμενον, καθαιρείσθω. Οὐ γὰρ εἶπεν ὁ κύριος εἰς τὸν θάνατόν μου βαπτίσατε. ἀλλὰ, πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.*

norum hæresi recentiorem esse: Id quod certe Vasquesium, & Suaresium omnino latuit. Vidissent enim, quam infirmo tibicine niteretur quod inde petitur argumentum; quod optime vidit P. Harduinus, cui propterea laudati modo Scriptores tanquam communis caussæ prævaricatores pœnas dederunt his ab eo verbis, tacite quidem, sed & graviter reprehensi „ Quid „ enim, inquit, jam attinet . . . . . . aut falsa deinceps, aut „ dubia fulciendæ huic caussæ firmamenta conquirere? id quod „ ii faciunt, qui baptismum in Christi nomine collatum damna- „ ri illo arbitrantur Apostolorum, ut vocant, Canone XLIV. „ *Εἴ τις ἐπίσκοπος* &c. *Si quis Episcopus &c.* Non jus defendere, „ sed prævaricari caussæ merito videar, id si genus probatio- „ nis adhibeam. Exploratum enim mihi liquido est, nec ante „ A. CCCLXXXV. sancitam hanc legem esse; & eandem con- „ tra Eunomianos quosdam primo latam, quos non idcirco sy- „ nodus, quæcumque est illa (nam id obscurum est.) perstrin- „ xit, ac notavit, quod baptismi forma, præter eam, quæ usi- „ tata est, uterentur: Sed quod & submersione simplici scele- „ stissimæ hæreseos pestiferum virus obtegerent: & eandem „ fortassis in iis interrogationibus, quæ baptismum antecedunt, „ aperte profiterentur ac præseferrent. Damnantur iidem eo „ nomine & in Epistola scripta Constantinopoli ad Martyrium „ Antiochenum Antistitem circa annum CCCCLV. quæ recita- „ tur à Leunclavio, libro quarto Juris-Græco-Romani &c. „ Hęc ideo ex Harduino descripsi, quod apprime valeant ad castigandam Suaresii fidentiam, qui sibi plane ex laudato Canone colligere visus est, usitatum morem nunquam Apostolos deseruisse. Ecquis enim baptismum Eunomiano ritu celebratum non aversetur, nedum adprobet, si pro illis verbis Evangelicis; *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, hæc ex Apostolo nefarie detorta impiis hominibus pro forma erant; *in Christum, & in mortem ipsius*, vel ut Vasquez interpretatur, *in nomine Christi mortui?* Quo enim privilegio, seu potius sacrilegio id sibi juris profani homines vindicarunt, ut sancitum Christi Domini lege, & autoritate ritum, & perpetua ac ferme non intermissa Ecclesiæ consuetudine Sacrum, in alium sibi ad arbitrium confictum, & quantum eis videbatur, ad profitendam hæresim accomodatum, atque compositum commutarent? Eadem ferme responsio

Con-

Digitized by Google

Constitutionibus Apostolicis adhibenda est, si quisquam earum autoritatem aliquo in loco habenda, & urgendam existimet; quod tamen, pro ea in qua versamur artis Criticæ luce, non mihi facile persuaserim. Quis enim adeo aut oculis captus ut non jam videat, aut tam obesis naribus, ut non odoretur insignem fraudem, & malum dolum, quo illæ olim Apostolis fuere suppositæ, & in Apostolicorum librorum censum relatæ. Sed est ad Damascenum revertendum.

Docet secundo loco S. Doctor, quod *in Christum baptizatum esse nihil aliud indicat, quam in illum credendo salutifera aqua tingi* (*a*) Quibus ex verbis colligit P. *Suarez*, eandem interpretationem adfingi posse quibuscunque superius protuli ex Actibus Apostolorum locis: qua in re tamen ei contradicitur a Vasquesio, licet in eadem versetur opinione, & baptismum in Christi nomine administratum rejiciat. „ Deinde, inquit, notandum „ est, cum ait (*Damascenus*) idem esse in Christum, & in „ mortem ipsius, quod in fide Christi baptizari, id solum exi„ stimasse de hoc modo, qui est apud Paulum ad Roman. 6. ve„ rum non proinde putasse idem esse in nomine Jesu Christi, „ ut dicitur in Actis, & in fidem ipsius baptizari; nec negasse „ in Actis mentionem fieri invocationis Christi, quæ fieret in „ baptismo; sed solum de modo illa loquendi apud Paulum lo„ quutum fuisse. „ Hæc Vasquez, cui concinit P. Harduinus, qui quamvis prolixa satis *de baptismo in nomine Christi* dissertatione totus in eo fit ut evincat „ baptizatos in nomine Jesu eos „ esse intelligendos, qui baptizati sunt, postquam invocarunt & „ confessi sunt nomen Domini Jesu . . . . . . ut his vocibus, *in* „ *nomine Domini Jesu*, non baptismi formam, sed baptizando„ rum fidem consignatam intelligamus, invocatumque ab iis id „ nomen ante lavacrum sub Antistitis manu: ipsum tamen deinde suæ opinionis pœnituit, eamque emendare vi veritatis coactus est Epistola ad D. de Langhenmantel ad calcem editæ laudatæ de baptismo Dissertationis, ubi ait, multitudine testimoniorum, quæ ex Antiquitate petita, enucleatius explicanda erant, factum esse, ne controversiam istam paucis ac dilucide diri-

(*a*) Τὸ ἐν εἰς Χριστὸν βαπτίζεσθαι δηλοῖ, τὸ πιστεύοντας εἰς αὐτὸν βαπτίζεσθαι. Ubi supra.

dirimeret; tum addit „ Ad loca quidem Scripturæ ex Actis „ brevior fortassis, veriorque, & magis cum stilo Sacræ Scripturæ congruens responsio fuit, *baptizari in nomine Jesu Christi*, „ idem ibi valere, ac baptizari per invocationem Domini Jesu, „ quæ fit verbis istis Evangelicis, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Nam in his verbis, in hac (inquam) formula, & in Libris Sacri novi Testamenti, Filii nomen, nomen „ est, non Verbi solius, sed Jesu Christi, hoc est, humanitatis „ Verbo conjunctæ. Ac deinceps. In Sacris, inquit, litteris, „ *in nomine Domini*, idem semper valet, atque, *invocando nomen Domini*; vel, *in Domino quem invocamus*. Ejusmodi est illud „ solenne; *Adjutorium nostrum in nomine Domini. Baptizari igitur in nomine Domini Jesu Christi*, non sic dicitur, ut Patris, „ & Spiritus Sancti nomina omittantur; Sed ut in invocatione „ Trinitatis homo etiam Christus Jesus commemoretur, & „ idem Filii nomine intelligatur. Et infra. Vides, inquit, „ quam tecum candide, & aperte loquar. „ Hactenus Harduinus, qui & rationem adfert, laudatisque verbis interserit commemorati tantum à Luca, quum de baptismo ageret, nominis Jesu, cui faciam suo loco satis. Interim id molimur, eoque sumus intenti, ut nobis *candide & aperte* detur, quod *brevior, veriorque, & magis cum stilo Sacræ Scripturæ congruens responsio sit*, baptizare in nomine Jesu Christi, *idem ibi*, hoc est in Actis, *valere, ac baptizari per invocationem Domini Jesu, quæ fit verbis istis Evangelicis*, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hoc est, quæ fit per ipsam baptismi formam. Quod profecto mutata priore sententia, in qua probe confirmanda omnem operam posuerat, Vir Cl. nos nequaquam moneret, nisi id esset divinæ Scripturæ verbis ac stilo quam maxime consentaneum, unde frustra fuit Suaresii consilium, quo illam interpretationem, quam Pauli verbis S. Johannes Damascenus apte congruenterque adlinivit, ad Lucæ itidem verba voluit accommodare; quasi baptizari *in Christo*, vel, *in Christum*, juxta usitatum Scripturæ morem idem perinde sit ac baptizari *in nomine Jesu Christi*, & vicissim.

Docet tertio S. Johannss Damascenus, ea quoque de caussa Apostolum, quum de baptismate ageret, solius in Christum fidei juxta hanc suam expositionem meminisse, quod *fieri non possit*

possit (*a*) *ut in Christum credamus, nisi Patris, & Filii, & Spiritus Sancti cognitione imbuti simus. Christus enim est Filius Dei vivi, quem Pater unxit Spiritu Sancto &c.* Quæ manifesto ex M. Basilio desumta sunt, nec dispari ratione expedienda. Quamvis nec illud prætermittendum, quod scite est ab Harduino animadversum; aliam invocationis, aliam fidei rationem esse: & appellationem, seu invocationem Christi explicitam, implicitam esse Trinitatis invocationem; at Christi fidem explicitam, qualem animo informatam & habemus ipsi, & ceteris in docendo tradimus, simul esse explicitam fidem Trinitatis: quam observationem laudatus Auctor his Damasceni verbis inlustrat. Hæc ideo monuerim, quia peti inde quoque potest, non eandem verborum Pauli, & Lucæ habendam esse rationem. Si enim fides Christi explicita fides est explicita Trinitatis, Paulo de regenerandorum fide loquenti satis fuit Christi fidem inculcare. Quum autem invocatio Christi explicita, non sit invocatio explicita Trinitatis, id Lucæ non satis erat habendum, ut solum Christi nomen memoraret, si baptismi forma, quam refert, integra & explicita Trinitatis invocatione constabat.

Objicitur tandem à P. Suarez Theophylactus. At quid, si tædio victus longius jam provectæ Dissertationis, quam proposita ratio postularet, Theophilactum illi concessero; nunquid propterea dolendam nimis jacturam fecerim? Sed age torporem excutiamus, & Theophilactum quoque Adversariis eripiamus, ut nec eo patrono glorientur. Quærit ille sub finem Evangelii Lucæ tractans illa verba: *& prædicari in nomine ejus pœnitentiam;* & pœnitentiæ nomine baptismum intelligens *quomodo* (*b*) *baptisma in nomine solius Christi fieri intelligamus, quum alias doceamur baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Et respondet. *Primum dicimus, quod quando dicimus, baptisma fieri in nomine Christi, non dicimus quod oporteat in solius Christi nomine fieri*,

(*a*) Ἀδύνατον δὲ εἰς Χριστὸν πιστεῦσαι μηδιδαχθέντας τὴν εἰς Πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον Πνεῦμα ὁμολογίαν. Χριστὸς γάρ ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος ὃν ἔχρισεν ὁ πατὴρ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. Ubi supra.

(*b*) Πῶς δὲ τὸ βάπτισμα νοήσομεν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ μόνου γίνεσθαι, καὶ ταῦτα ἀλλαχοῦ διδασκόμενοι εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος πλάττειν; πρῶτον μὲν οὖν τοῦτο φαμέν, ὅτι τὸ βάπτισμα ὅταν λέγωμεν ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ γίνεσθαι, οὐ τοῦτο λέγομεν ὅτι δεῖ ἐπὶ μόνῳ τῷ τοῦ Χριστοῦ ὀνόματι τοῦτο

fieri; sed quod Christi baptisma spirituale est . . . . . Insuper baptisma in nomine Christi, intellige in morte Christi . . . . . Et aliter: Christi nomen in se ipso continet & Patrem inungentem, & unctionem Spiritum, & unctum Filium.

℟. quod hæc scripsit Theophilactus Lucæ Evangelium exponens, non Acta Apostolorum, sive illa ex Actis loca quæ nunc præ manibus habemus. At quid distat, inquis, inter Evangelium, & Acta? Multum, inquam, per omnem modum. Eo enim tendunt omnes Theophilacti rationes & responsa, ut demonstrent, noluisse Christum, seu potius Evangelistam, quum ait: *prædicari in nomine ejus pœnitentiam*; id est, ut ipse quidem exponit, his verbis, *in baptisma, nomine ejus*, formam baptismi designare. Id vero quis neget? Quod si contendas, idem etiam dicturum Theopilactum, si sæpius memorata ex Actibus loca illi exponere contigisset; non repugnaverim, si unum esse evincas istarum propositionum sensum: *in Christi nomine baptismum prædicare*; Et: *in Christi nomine baptizare*. Sed quum distent quam maxime; quibus, rogo te, machinis interpretationes priori propositioni adhibitas in posteriorem derivabis? Prior propositio, tum eas quæ sunt à Theophilacto collectæ, tum alias recipit, illam præsertim, qua nos in alicujus nomine agere, quod vice illius ejusque autoritate præditi agimus, dicere consuevimus. Sic legatum Regis in ejus nomine negotia Reipublicæ administrare, bellum indicere, pacem sancire, fœdera subscribere dicimus; id quod etiam Italico idiomate hoc modo efferimus: *il legato tratta i negozj della Republica, dichiara o intima la guerra, stabilisce la pace, soscrive le allianze in nomine del Re*, quod hæc, & his similia tradita sibi à Rege potestate, autoritateque perficiat. At vero secunda propositio significat, nomen Christi ad consecrandum baptismum per modum formæ adhibere, ut sæpe jam diximus, multisque testimoniis confirmavimus; ut ut sit, sive illud solum, sive una cum Patris, & Spiritus Sancti nomine invocaretur.

Dices, non ita videtur Theophilactus Evangelii verba accepisse;

ψιλόν, ἀλλ' ὅτι τὸ τοῦ Χριστοῦ βάπτισμα ὃ Χριστὸς ἐβάπτισεν, τουτέστι, Πνευματικόν.... ἔτι τε ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ βάπτισμα, ἀντὶ τοῦ, εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ νόει.... ἄλλως τε τὸ Χριστὸς ὄνομα ἐν ἑαυτῷ ἐμφαίνει καὶ τὸν Πατέρα τὸν χρίσαντα, καὶ τὸ χρίσμα τὸ Πνεῦμα, καὶ τὸν χρισθέντα υἱόν.

piffe; sed prædicare pœnitentiam in Christi nomine, idem illi fuit, quod baptismum in Christi nomine consecrandum annuntiare: *quando*, inquit, *dicimus*, *baptisma fieri in nomine Christi*: nec tamen intellexit, in solo Christi nomine per modum formæ invocato fieri oportere; unde subjungit; *non dicimus*, *quod oporteat in solius Christi nomine fieri*. Quidni ergo & idem pari ratione diceret, si quæ sæpius memoravimus ex Actibus loca exponeret?

Respondeo, multum interesse inter Evangelicam quam Theophilactus interpretatur propositionem, & quæ ex Actibus prolatæ sunt, ut ex illa ad has non liceat argumentum derivare. Evangelica propositio universalis est: *prædicari*, inquit, *in nomine ejus pœnitentiam in omnes Gentes*, quæ proinde exposita de baptismo in uno Christi nomine celebrando opponitur alteri propositioni itidem Evangelicæ sancienti de Gentibus omnibus *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti* baptizandis; eoque necesse fuit, quas Theophilactus commentus est, priori propositioni affingere expositiones. Quod autem aliqui ex peculiari privilegio in solo Christi nomine baptizentur, non est contrarium præcepto baptizandi omnes Gentes *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus Sancti*: adeoque consequens non est, ut si priorem propositionem universalem exponendo, non intellexit integram baptismi formam in uno Christi nomine continere, idem esset particulares ex Actibus propositiones exponendo dicturus.

Notandum tamen est, quod si prædicto modo hæc Evangelii verba: *prædicari in nomine ejus &c.* exponenda putavit Theophilactus, vim eis intulit manifestam: nec enim is esse potest germanus eorum sensus: *prædicari pœnitentiam*, seu baptismum, *in nomine ejus*, hoc est, in ejus Spiritu, aut morte &c. *celebrandum*. Quod animadversum velim, ne quis putet proferri ex Sacris litteris posse locum, ubi baptizare in nomine Christi aliud significet, quam baptismum Christi nomine invocato consecrare. Quoad hoc enim, quidquid sit de aliis, firmissimum censeo quod superius retuli P. Harduini placitum, quod *in Sacris litteris in nomine Domini idem semper valet*, *atque invocando nomen Domini*, *vel in Domino quem invocamus*.

Digitized by Google

§. XIV.

Satisfit ἀποφατικῷ seu neganti argumento: Et ostenditur Facundum Hermianensem Adversariorum doctrinam ex Theodoro Mopsuesteno hausisse, qui primus fuit contrariæ nobis opinionis adsertor.

EST ne etiam occurrendum neganti, quod Græci, ut est apud Ciceronem in Topicis, ἀποφατικὸν vocant, argumento occurrendum? occurratur, quod in eo primum caussæ suæ firmamentum collocet P. Vasquez. Sed quod in eo parum, aut nihil momenti inesse putem, paucis expediatur „ si unquam licuisset „ in solo Christi nomine baptizare, Clemens, Dionysius, atque „ Justinus, qui Apostolos, aut ejus Discipulos viderunt, aut „ alii etiam Patres illius privilegii meminissent, qui tamen ne „ verbum quidem de illo habent.

Se prodit hoc argumenti genere Vasquesius in eorum numero esse habendum, quos Harduinus insimulavit, quod *falsa aut dubia fulciendæ* suæ ipsorum *caussæ firmamenta conquirerent*. Nam post Canonem Apostolicum, de quo supra, Clementem sibi succenturiatum exhibet, Auctorem scilicet Apostolicarum Constitutionum, quas tamen Clementi universa jam Eruditorum Natio abjudicat. Dionysium deinde laudat. At nemini jam licet esse adeo inerudito, ut ignoret, quæ sint a viris doctis circa Areopagiticorum γνησιότητα in utranque partem disputata. Mutum Justinum quasi pro se loquentem inducit, perinde ac si Justini, aut aliorum illius ævi Patrum silentium fidem abrogare valeat Cypriani Martyris testimonio: vel nihil jam sit adserendum, quod Auctor Apostolicarum Constitutionum, & seu verus, seu personatus Dionysius, ac Justinus Martyr tacuerint: vel quæ Apostolis in usu fuerint, omnia ex tribus illis Auctoribus sint repetenda; ut jam neminem ante octa-

Digitized by Google

octavum diem Infantem Apostoli baptizaverint; quod nullus prædictorum Patrum suis id libris expresse consignaverit; vel ob eorundem silentium actum jam sit de illorum opinione, qui docent, Apostolos Azymis esse usos in sacrificio. Quod addit, neque alios Patres ejusmodi privilegii meminisse, si explicite id intelligat, non repugno. At implicite meminisse, inde jure colligitur, quod Apostolos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizare jussos, nonnunquam in solo Jesu nomine baptismum celebrasse tradiderunt; nec tamen divini præcepti prævaricatores fuisse vel suspicati sunt.

Unus itaque superest ex antiquis scriptoribus, qui palam Adversariis faveat, licet ab eorum nemine laudatus Facundus Hermianensis, doctus quidem Auctor, sed schismaticus. Hic enim libro primo pro defensione trium Capitulorum Cap. III. contrariam nobis opinionem amplectitur, eamque sequentibus verbis haud inscite nec ineleganter exponit. *Quod autem in Nomine Domini Jesu hi quos memoravimus baptizati narrantur, non ex eo credendum arbitror, quia non in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati sunt, ut etiam in ipsis servaretur verbis a Domino constituta forma baptismi. Sed quia hoc erat insinuandum, quod baptismo novo fuerint baptizati, sufficere judicatum est ad discretionem ipsius novi baptismi solum Nomen Domini Jesu memorare, quod neque in baptismo Johannis, neque in aliis baptismis Judaici ritus interserebatur. Ceterum illis sacratis verbis, id est in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati mihi videntur. Nec mendaciter dictum, quod absit, existimo: baptizetur unusquisque vestrum in Nomine Jesu Christi, aut quia baptizati sunt quidam in Nomine Domini Jesu, quoniam certissime in Nomine Jesu baptizabant Apostoli, & si non in solius Domini Jesu, idest, Filii nomine baptizabant, verum etiam in Patris, & Spiritus Sancti. Ac per hoc arbitror, quod cum baptisma celebraretur, in ipsis quoque sacratis verbis servabatur illa forma baptismi: in narratione vero sufficiebat, ad discretionem aliorum baptismatum, solius Domini Jesu facere mentionem. Propterea vero credo, quod de omnium trium personarum commemoratione Domini Jesu nomen ad insinuandum novum baptismum magis assumptum est, quoniam ipsi consepelimur per baptismum in mortem.* Non abs re arbitror fuisse ipsa Facundi verba, etsi paullo prolixiora repræsentasse, quod

quod nihil luculentius adferri possit, vel a Recentioribus hactenus adlatum sit, ad verba Sacræ Scripturæ juxta eorum systema interpretanda, ac Lucæ historicam narrationem cum Evangelica Christi Domini lege conciliandam.

Verum ut ut hæc se habeant, neque inconcinne videantur a Facundo disputata; huic tamen scriptori Ambrosium, Vigilium Tapsensem, & Ferrandum Diaconum censeo præferendos, quorum aliam fuisse sententiam in notis ad hunc Facundi locum recte monuit Vir Cl. Jacobus Sirmondus „ Alia, in„ quit, fuit sententia S. Ambrosii, qui in libro de Spiritu San„ cto Cap. III. Apostolos censuit in Nomine Domini Jesu tan„ tummodo baptizasse: plenum tamen fuisse mysterium, quia „ qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Quod ipsum in li„ bro de Trinitate latine tantum edito scripserat Sanctus Atha„ nasius: *nunquid prævaricatores &c.* Verba, quæ Sirmondus tanquam Athanasii refert, sub Vigilii Tapsitani nomine superius nobis descripta sunt. Hos enim libros inscite olim pro Athanasianis habitos Vigilio fuisse restituendos, multa suadent „ In eadem quoque sententia, addit Sirmondus, est Ferran„ dus idem Diaconus in epistola ad Anatolium. Quod ipsum de Vigilio, ac Ferrando concedit laudata sæpius Dissertatione P. Harduinus. Atqui eodem modo loquuntur, ut n. III. supra ostendimus, Augustinus, Fulgentius, Paschasius, Julianus, Paulinus; quod eorum & verba & scopum consideranti quisque possit per se facile animadvertere. Eos igitur omnes uni Facundi testimonio merito objicimus, ac præponimus.

Quis autem Facundum in hanc opinionem induxerit, non injuria mihi videor, & Vigilii Papæ Constituto de tribus Capitulis conjecisse. Primum enim Theodorum Mopsuestenum baptismum in Christi nomine suspectum habuisse inde constat; quò scilicet errorem suum, quo Nestorio præivit, tueri facilius posset. Hunc enim errorem penitus profligari, si Apostoli in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizare jussi, tantum in Jesu Christi nomine baptizaverunt, S. Fulgentius Libro de Incarnat. & Gratia cap. XI. egregie demonstravit. Facundum autem Theodoro addictissimum, & librorum ejus tuendæque ejus famæ in tantum studiosum fuisse constat, ut in ejus gratiam pessimo ac nefario schismati vires addere Libris conscriptis

tis minime dubitarit. Itaque sicuti pravas Theodori opiniones Catholico sensu interpretari studuit; ita non inanis est conjectura, eas Mopsuesteni sententias adoptare, & in se recipere voluisse, quæ nulla erroris nota inuri posse videbantur; qualis est de qua nunc disceptamus, an sine ulla exceptione consuetam baptismi formam semper Apostoli retinuerint. Retinuisse enim primus omnium Theodorus docuit sequentibus verbis apud Vigilium in Constituto cap. XVII. *In nomine autem celebrandum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Hoc enim quod est, ut baptizetur unusquisque in nomine Jesu Christi, hoc adstruitur, quia in ea invocatione, quæ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti est, relinquentes Jesum Christum in baptismate vocent; sed . . . . . sic quod ab ipso datum est susciperent baptisma, in ipso quidem primo constitutum, qui & primus baptizatus est, ab ipso autem & ceteris traditum &c.* Et qualem magistrum sequutus est Facundus, impiissimum Theodorum novum Judam, qui ad dividendas in Christo personas ejusmodi interpretationem commentus est. Quod optime vidit Vigilius Papa in ejusdem Capituli censura. „ In supradicto, *inquit*, Cap. XVII. ex verbis Beati Petri, „ quibus in Actis Apostolorum dicit: Baptizetur unusquisque „ in Nomine Jesu Christi, hoc adstruitur, quia in ea invoca- „ tione, quæ in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti „ fit, non contineatur & Christus .... ut secundum hunc in- „ tellectum appareat introducta quaternitas. Hæc non ideo dicta velim, ut aliqua inde contrariæ opinioni confletur invidia, sed ne aliquid omitteretur, quod ad præsentem quæstionem illustrandam pertinere videretur.

§. XV.

§. XV.

Respondetur argumento petito ex Actuum Cap. XIX. & aliæ P. Harduini, coniecturæ exsufflantur.

MAgnifacit, ac supra modum extollit argumentum ex Actuum Capite XIX, petitum, & supra §. 1. propositum Harduinus „ Sed quid, inquit, conjecturas sequimur, cum „ luculenta n. IV. extent divinæ vocis oracula, quæ ab ipsis „ quoque Apostolis sub invocatione Trinitatis baptismum esse „ collatum, vel tacentibus nobis clament ac prædicent? *Cum* „ *Paulus veniret Ephesum, & inveniret quosdam Discipulos dixit* „ *ad eos, si Spiritum Sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt* „ *ad eum; sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus. Ille vero* „ *ait in quo ergo baptizati estis?* Si nec invocatum est primum „ a vobis, si nec invocatum deinde super vos, Patris, & Fi- „ lii, & Spiritus Sancti Nomen; utrumque si abfuit, *in quo* „ *ergo baptizati estis? qui dixerunt in Johannis baptismate*: in quo „ nempe nec fides Trinitatis ab eo qui ablui debet exigitur „ aut redditur: nec a Ministro Trinitas invocatur. *His audi-* „ *tis, baptizati sunt in Nomine Domini Jesu*: hoc est, creden- „ tes Jesum esse Christum, ac Filium Dei, atque adeo Trini- „ tatis fidem professi demum abluti sunt.

Atqui stupenda est, ac viro docto indigna istorum verborum *ἀνακολουθία*. Si enim baptismum præcedebat confessio Trinitatis ab eo reddita, qui salubri fonte abluendus erat, annon hæc satis omnino erat, ut Paulus Spiritus Sancti ignaros interrogaret, in quo fuissent baptizati? Si te auctore, quod in ista propositione, *baptizati sunt in Nomine Domini Jesu*, passivæ formæ vocabulum occurrat, quo baptizandorum fides, non autem pronuntiata a Ministro baptismi formula designatur: Quin ergo & in hæc Pauli interrogationis, quæ passivæ ibidem significationis est, ad eorum potius qui abluti fuerant fidem, non autem ad ministri verba pariter adludatur? sed esto potu-

erit,

erit, vel initiandorum fides, vel Antistitis verba, vel utrumque simul æque designari; quo jure postremum hoc potius, aut secundum, quam primum illud adsumes?

Duplicem nunc propono hujus loci cum D. Thomæ opinione conciliandi viam; utramque facilem & expeditam, & in quibus nihil salebrarum insit, aut quod cum Apostoli mente, aut Apostolicis traditionibus non belle consentiat. Prima sit. *Si neque si Spiritus est, audistis; in quo ergo baptizati estis?* in quo estis sanctificati baptismo? si enim in baptismo Christi; hunc catechismus præcedit, quo salutari lavacro initiandus fide Trinitatis imbuitur; eundemque impositio manuum subsequitur, qua super Neophytos Sanctus invocatur Spiritus, cujus & donis augentur, & charismatis imbuuntur. Qui ergo fieri potest, ut neque si Spiritus Sanctus est, audieritis? *At illi dixerunt: in Johannis baptismate*. Viden, illos Apostoli interrogationem non de Antistitis prece, nec de initiandi fide, sed de baptismi conditione aut genere accepisse?

Fac tamen, Paulum interrogasse de nomine, quod vel ipsi mox abluendi, vel sacrorum rituum Administri, vel utrique pariter invocarant: quid tum? *In quo ergo*, ait Paulus, *baptizati estis*? idest, in quo nomine? Nam vel in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti juxta pervulgatam consuetudinem, & Sanctum in quo baptizati estis Spiritum ignorare vobis non licet; vel extra morem, & ex peculiari privilegio, in solo Nomine Christi; neque eadem laborare ignorantia vobis permittitur, tum quod ante baptismum docere omnes gentes jussi simus præcipua fidei Mysteria; tum quod hoc Sacramentum sive in nomine trium Personarum, sive in unius tantum Personæ nomine celebratum Confirmatio excipiat, qua per impositionem manuum Spiritus Sancti plenitudine æternæ vitæ candidati donantur.

Fuisse enimvero solenne illud omni ævo servatum, ut qui salutari lavacro tingendos se sisterent, fidem sive Symbolum rogarentur, neque Harduinus negat, & si opus esset, ex tota retro Antiquitate confirmarem. Sed non est opus: neque enim esse puto aliquem in lectione Patrum & Conciliorum tam hospitem & peregrinum, & veteris Ecclesiæ Disciplinæ adeo imperitum, ut contra dicat. Consulat cui per otium vacat

Tertullianum libro de Pudic. Cap. IX. Firmilianum epistola ad S. Cyprianum, S. Ambrosium libro de iis qui initiantur Cap. IV. S. Augustinum lib. de Fide & Operibus Cap. X. & alios. Consulat Synodi Arelatensis I. Cap. VIII. & Laodicenæ Canonem XLVI. & Martini Bracarensis Cap. XLIX. &c. nec dubitabit, eam fuisse quovis tempore Ecclesiæ disciplinam, ut nemo salutaribus undis perfunderetur, qui præcipua Fidei dogmata non fuisset edoctus. Hanc eandem saluberrimam consuetudinem Apostolos quoque perquam diligentissime coluisse, demonstrat Origenes libro V. in Epist. ad Rom. ex illis verbis Apostoli: *an ignoratis Fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus &c.* Ait enim „ mihi vero ne illud quidem otiose præmisisse in hoc capi„ tulo videtur Apostolus quod dicit: aut nescitis. Per quod „ ostendit, quia tunc, hoc est, Apostolorum temporibus, non „ ut nunc fieri videmus, typus tantummodo mysteriorum his, „ qui baptizabantur, sed virtus eorum ac ratio tradebatur; & „ tanquam scientibus & edoctis, quia qui baptizantur, in mor„ te Christi baptizantur, & consepeliuntur ei per baptismum „ in mortem: & quia sicut Christus surgens a mortuis per glo„ riam Patris; in novitate vitæ ambulare debeant hi qui ba„ ptizati sunt. Hæc Apostolus scribit. Nec minore evidentia probari idem potest ex Christi Domini verbis ac præcepto ad Apostolos: *euntes docete omnes Gentes baptizantes eos &c.* quæ sic interpretatur Hilarius „ Primum docent omnes Gentes, de„ inde edoctas intingunt aqua. Non enim fieri potest, ut cor„ pus baptismi recipiat Sacramentum, nisi ante anima fidei susce„ perit veritatem.... Ordo præcipuus, jussit Apostolis, ut pri„ mum universas docerent Gentes, deinde fidei tingerent Sa„ cramento: ac post fidem & baptisma, quæ essent observan„ da præciperent. Eadem habet in hunc locum S. Hieronymus. Hanc igitur jussionem, hoc divinum præceptum nunquam Apostolos fuisse prævaricatos, sed ei sine ulla exceptione morem gessisse, supponit illa Pauli interrogatio ad eos qui *neque si Spiritus Sanctus est*, se audivisse responderant. Supponit enim fieri non potuisse, ut qui Christi baptismate fuissent initiati Spiritus Sancti notitia vacui omnino essent, & cognitione fideque Trinitatis expertes. An vero id cognoscere debuissent ex

ipsa

ipsa forma baptismi, vel ex Catechesi, quæ baptismum præcederet, vel ex utraque, Pauli interrogatio non probat. Sed id demum quod sive baptismum in solo Jesu nomine, vel etiam in Patris, & Spiritus Sancti nomine suscepissent, dum tamen in Christo, vel in Christi baptismo fuissent regenerati, Spiritum Sanctum ignorare non possent. Quod vel hoc argumento conjicere quisquam facile potuisset, quod *impossibile sit*, ut ait Damascenus, *in Christum credere eos, qui non prius edocti sint confiteri Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum*. Vel ut ait ipse Harduinus, *Christum credere nemo possit, quin Patris simul idem & Spiritus aperte meminerit*; vel demum, quod *Christi fides explicita simul sit explicita fides Trinitatis*. Videatur Vasquez Disput. 143. Cap. 2. sub finem, ubi quæ sit hujus argumenti, quod tanti Harduinus facit, imbecillitas, minime dissimulandum putavit.

Quod si luculenta P. Harduini argumenta tam nullo negotio dissolvuntur; quid de iis statuendum erit, quæ & ipse conjecturas appellat? qualis imprimis est illa de differentia activæ & passivæ vocis in verbis *baptizare*, & *baptizari*, quasi baptizari in Christi Nomine in Actibus Apostolorum significet, ad ejus solum, qui salubri fonte abluitur, confessionem ac fidem, non ad abluentis præcise formulam id loquendi genus per se referri oportere. Quæ sententia quum suo Auctori, ut vidimus, displicuerit, decreveritque magis cum stilo Sacræ Scripturæ congruere, quod *baptizari in Nomine Jesu Christi*, idem in Actibus valeat, ac baptizari per invocationem Domini Jesu, quæ fit verbis istis Evangelicis, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non est, cur in vanitate istius conjecturæ demonstranda immoremur.

Nec plus momenti habet argumentum, quod ex Christi exemplo desumpsit, iisque verbis proposuit „ An id Apostolis „ liceret, quod nec Christo ipsi licuit? Nam cum sit ille pri„ marius baptismi cujusvis administer, *ipse est enim qui baptizat*: „ nefas aliam a Vicaria potestate formam adhiberi, quam quæ „ a suprema, siquidem adesset illa, usurpari commode posset. „ Dicturumne unquam Christum ipsum putas, Ego te baptizo „ in Nomine Christi? quo ille loquendi genere alium se a sei„ pso proderet, cum baptizatorem alium esse ab eo oporteat,

 „ cujus

„ cujus in nomine baptismum impertit. Diceret igitur, Ego
„ te baptizo in Nomine meo. At quantumvis non rapinam ar-
„ bitratus sit esse se æqualem Deo, hac si nihilominus forma
„ uteretur, nec se ministrum tantum esse Sacramenti ostende-
„ ret, ut est reipsa qua homo est: nec sanctificationis prima-
„ riam caussam esse Trinitatem ostenderet.

Hoccine est Rev. Pater, per se perspicua, nec falsa, nec dubia fulciendæ tuæ ipsius caussæ firmamenta adtulisse? Id enim quod minus præstiterint e tua Societate Vasquesius & Suaresius, eo a Te sunt nomine castigati. At quis ignoret, multa ad exaltationem sui nominis Christo dum passibilis inter homines degeret, si fas ita loqui, minime licuisse, quæ Apostolis, seu potius Christo ipsi per Apostolos post suam Resurrectionem ad ejusdem Nominis gloriam amplificandam licuerunt? Deinde illud ex te scire velim; Num licuerit Christo adhuc passibili dicere Dæmonibus e corporibus expellendis, in nomine meo vos ejicio, dicere mortuis ad vitam revocandis, in nomine meo vivite: dicere claudis quorum plantas solidavit, in nomine meo surgite & ambulate: dicere peccatoribus, in nomine meo pœnitentiam agite: dicere demum pœnitentibus, in nomine meo vobis peccata remitto: an non? Si adfirmes, hæc omnia Christo licuisse dum mortalis inter homines versaretur; eccur ei licere non potuit, ut diceret: in nomine meo te baptizo? Si neges; nunquid negare poteris, hæc omnia post ejus Resurrectionem Apostolis, sed potius Christo ipsi per Apostolos licuisse? Eccur ergo non potuerunt Apostoli, seu potius Christo per Apostolos post suam Resurrectionem dicere: ego te baptizo in nomine Jesu; licet id Christo, dum mortalis inter nos ageret, minime licuisse, gratis darem? Gratis, inquam, nec enim moveor eo P. Harduini argumento: quod si Christus hac forma uteretur, ego te baptizo in nomine meo, nec se ministrum tantum esse Sacramenti ostenderet, ut est re ipsa qua homo est: nec Sanctificationis primariam caussam esse Trinitatem ostenderet. Non moveor, inquam, hac P. Harduini conjectura: refellitur enim manifesto ejusdem Christi Domini exemplo. Quum Paralytico ait Christus: *Fili remittuntur tibi peccata tua*; nec se Ministrum tantum esse humanæ justificationis ostendit, ut est reipsa qua homo est: unde scribæ ea loquendi ratio-

ne

ne offensi dicebant intra se, ut est apud Evangelistam: *quis potest peccata dimittere nisi solus Deus?* Nec Sanctificationis primariam caussam esse Trinitatem ostendit: Respondit enim: *ut autem cognoscatis, quia Filius hominis habet in terra potestatem dimittendi peccata &c.* Quibus verbis potestatem dimittendi peccata, quæcumque illa esset, seu primaria, quæ illi convenit qua Deus est, seu potestatis excellentiæ, qua homo, sibi explicite adseruit, non autem in Trinitatem refudit. Quid igitur, si non dissimili ritu, aut dispari forma in abluendis ac regenerandis per baptismi Sacramentum hominibus uti voluisset? esset ne quod in eo P. Harduini censura notaret?

Superest tandem, ut paucis rationem refellam, quam idem Harduinus laudata superius Epistola reddit, cur dictum sit „ baptizari eos oportuisse in nomine Jesu Christi, potius quam „ in nomine Trinitatis quamvis in forma baptismi necesse esset appellari Trinitatem. Quoniam, inquit, ne per invocationem quidem Trinitatis voluit Deus baptismum prodesse „ absque invocatione facta simul nominis Jesu Christi. Nam „ quin invocatio nominis Dei esset necessaria, nemo ambigebat. Sed ad illam adjiciendum esse præterea nomen Jesu „ Christi, sive Filii, semper Apostoli inculcarunt, quoniam „ is homo Deus esset; atque id credi maxime sane semper interfit.

Non illud solum quæro: cur Princeps Apostolorum Judæos adloquens dixerit: oportere eos in nomine Domini Jesu Christi baptizari: Sed illud ulterius; cur Lucas Historiam conscribens, semper in nomine Jesu baptizatos fuisse referat, quotiens aliquam baptismi formam indigitat, nunquam autem in nomine Trinitatis. Si respondeas, quia nemo ambigebat, eos in nomine Trinitatis fuisse baptizatos; vel id, inquam, notum fuisse credidit Lucas iis, quibuscum ipse vivebat; vel iis etiam existimavit facile persuasum iri, qui ejus deinceps historiam lecturi essent. Si primum dixeris, tum nihil respondes; id enim est quod in controversiam vocamus, num morem baptizandi in nomine Trinitatis Apostoli adeo sancte inviolateque servarint, ut omnibus notum esset, nunquam eos in solo nomine Jesu hunc eundem ritum administrare: Tum etiam non bene consulis Sacri Historici existimationi, atque ejus prudentiam vide

de ne impiorum morosorumque Criticorum ludibriis aut censuris exponas: nec enim prudentis Historici videtur esse, eorum tantum quibuscum vivit, sed vel maximam seræ posteritatis habere rationem. Si alterum adfirmaveris: Sacrum Historicum fefellit eventus. Non enim solum in dubitationem adductum est a quampluribus, & in controversiam vocatum, num iis verbis ***in nomine Jesu Christi*** integra baptismi formula contineretur; sed id etiam est à præcipuis Patribus, & Theologis, ut jam vidimus, traditum.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆCEDENTIS DISSERTATIONIS

Πάρεργον.

De Hæreticis qui baptiſmi formam olim adulterarunt.

QUum ea quæ ad propoſitam *de Baptiſmo in Nomine Chriſti* Quæſtionem pertinere arbitrabar, jam mihi viderentur pleniſſimè diſputata; operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi quædam P. Harduini placita, ad Auctoris arbitrium, ut mihi videbatur, conſtituta; & laudatæ ſæpius de eodem argumento Diſſertationi præter rem inſerta, ad examen revocarem, deque iis, non ex propriis conjecturis, ſed ex receptis probatiſque monumentis judicium ferrem. Moroſi autem hominis fuiſſet, & nimium otio ſuo abutentis minutiſſima quæque conſectari; quare iis omiſſis, ad ea me animo cogitationeque converti, in quibus mihi plurimum a veterum traditione deſciſcere viſus eſt; & quæ tamen laudati Opuſculi bonam partem, ne dicam maximam faciunt. In eo ſiquidem præter ſuſcepti operis ſcopum & argumentum ejus induſtria elaboravit, ut ab omni Hæreticorum ſecta violati baptiſmi ſuſpicionem amoliretur, ac nullum ferme ex ea hominum colluvie fuiſſe oſtenderet, quem tanti ſacrilegii jure poſſemus inſimulare. Eſt autem in hunc ſermonem delapſus ſumta occaſione ex Canone XLIX. eorum quos Apoſtolicos vocant; quem tamen contra Eunomianos fuiſſe ſancitum cum aliis hujus ætatis peritiſſimis Criticis optime animadvertit; à quibus tamen in eo diſſentit, quod eoſdem Eunomianos baptiſmi formam corrupiſſe negat, quod idem ſubinde de aliis Hæreticis ſtatuit, & præſertim de Bonoſiacis, & Cataphrygibus, & quod maximè mirere, de Paulianiſtis. Hæc mihi viſa ſunt non ſine aliqua animadverſione prætermittenda: iiſque examinandis alteram ſuſceptæ Diſſertationis partem deſtina-

Digitized by Google

ſtinavi. Porro, ut inſtitutum ab Harduino ordinem teneamus, primo de Eunomianis diſſerendum erit, tum de Bonoſiacis, & Cataphrygibus, tertio de Paulianis, poſtremo de quibuſdam aliis *Hæreticis*, quos pariter ὑποθέσει ſerviens baptiſmi formam nihil violaſſe contendit.

De Eunomianis.

CAnonem inter Apoſtolicos XLIX. quo cavetur, ne quis Epiſcopus aut Presbyter in morte Domini baptizet, ſed in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, adverſus Eunomianos fuiſſe conditum, concors ferme eſt Eruditorum omnium ſententia, quibus ne Harduinus quidem refragari audet. At Synodum, quæcumque illa fuerit, Eunomianos ideo perſtrinxiſſe, ac notaſſe negat, quod alia baptiſmi forma, præter eam quæ uſitata eſt, uterentur: ſed quod & ſub merſione ſimplici ſceleſtiſſimæ hæreſeos virus obtegerent: & eandem fortaſſis in iis interrogationibus, quæ baptiſmum antecederent, apertè profiterentur, ac præſeferrent. Sed quibus, inquis, argumentis hoc probat? duobus omnino nititur, quorum primum pro Eunomianis præcipuum eſt ac peculiare, alterum autem ad omnes hæreſes valet. Primum deſumit ex Auguſtino, Sozomeno, & Epiphanio, qui Eunomium verbis Evangelicis ſub plena Trinitatis invocatione baptiſmum impertiiſſe, auctores ſunt. At nos imprimis de Eunomianis inquirimus, non de Eunomio, cujus Sectatores à Magiſtri ſui hac in re diſciplina deſciviſſe, neque Auguſtinus negat, & Sozomenus conceptis verbis adfirmat, & Socrates indicat: licet Sozomenus rem non omnino exploratam fuiſſe dicat, num Eunomius ipſe, ſeu potius ex ejus decretis Eunomiani baptiſmi ritum deformarint. „ Ajunt, inquit,
„ (a) Eunomium primum omnium auſum eſſe aſſerere, quod
„ ſacrum baptiſma unica merſione peragendum ſit: & Apoſto-
„ licam traditionem quæ etiamnum ubique ſervatur, corrupiſ-
„ ſe,

(a) Φασὶ δέ τινες, πρῶτον τοῦτον Εὐνόμιον τολμῆσαι εἰσηγήσασθαι ἐν μιᾷ καταδύσει χρῆναι ἐπιτελεῖν τὴν θείαν βάπτισιν, καὶ παραχαράξαι τὴν ἀπὸ τῶν ἀποστόλων εἰσέτι νῦν ἐν πᾶσι φυλαττομένην παράδοσιν, καὶ ὡς εἶπον, ἑτέραν τινὰ τῆς αὐτοῦ ἐκκλησίας ἐξευρεῖν ἀγωγὴν, σεμνότητι καὶ ἀκριβείᾳ πλείονι τὴν καινότητα περιπέττουσαν... Ὡς ἄλλοις δοκεῖ, τ' ἀληθέστερον, οἶμαι, λέγουσιν, ὡς Θεοφρόνιος ὁ Καππαδόκης, καὶ

„ se: aliam denique Ecclesiæ suæ disciplinam plerisque in re-
„ bus introduxisse, quæ gravitate ac severitate quadam novi-
„ tatem suam obtegerent. Et infra . Alii verò dicunt , quos
„ quidem veriora dicere arbitror , Theophronium Cappado-
„ cem, & Eutychium istius hæresis acerrimos defensores , se-
„ quentis Imperatoris principatu , cum se ab Eunomio abru-
„ pissent, tum alia ex Eunomii decretis, tum ea quæ ad sacrum
„ baptismum pertinent innovasse , asserentes non in Trinita-
„ tem, sed in Christi mortem baptizari oportere. Eunomium
„ certè nihil hac in parte novasse affirmant &c. Et infra : Et
„ hæc alii quidem hoc modo, alii verò aliter narrant. Verum
„ sive Eunomius , sive qui alii hæc in baptismi traditione in-
„ novarint &c. „

Similia habet Socrates lib. V. cap. XXIV. „ Ac Theophronii, inquit, (a) „ Sectatores, vulgo vocant Eunomiotheophroniani : „ qui autem Eutychio se adjunxerunt, Eunomieutychiani . . . . „ Hoc unum dicam , eos sacrum baptisma adulterasse. Non „ enim in Trinitatem baptizant , sed in mortem Christi . „ Quamvis igitur Eunomium ipsum nihil circa baptismi ritum innovasse constaret ; ex eo tamen non liceret ad Eunomianos argumentum trahere . Quod enim facinus Eunomius fortassis adgredi non est ausus , ut divinam scilicet baptismi legem everteret, id ejus Discipuli adgressi sunt : Nam semel revulsis paternarum traditionum claustris , nullus est sacrilegiorum finis; & id sibi licere Posteriores facile persuadent, quod Prioribus & Magistris fuisse licitum animadvertunt , ut scilicet Religionem pessundent , & quidquid in ea sanctum est profana temeritate depopulentur. Unde præclare Tertullianus „ Mentior, „ inquit (b) si non etiam a regulis suis variant inter se, dum

 „ unus-

Εὐτύχιος σπουδαῖοι ταύτης τῆς αἱρέσεως, ἀποτμηθέντες σφᾶς ἐπὶ τῆς ἐχομένης βασιλείας, περί τε ἄλλα τῶν Εὐνομίῳ δοξάντων, καὶ περὶ τὴν θείαν βάπτισιν ἐνεωτέρισαν· οὐκ εἰς τριάδα, ἀλλὰ εἰς τὸν τοῦ Χριστοῦ θάνατον βαπτίζεσθαι εἰσηγησάμενοι. Εὐνόμιον μέντοι μηδὲν περὶ τούτου καινοτομῆσαι.... ταῦτα οἱ μὲν ὧδε, οἱ δὲ ἑτέρως λέγουσιν. ἀλλ' εἴτε Εὐνόμιος, εἴτε ἄλλοι τινὲς περὶ τὴν παράδοσιν τοῦ βαπτίσματος ταῦτα ἐνεωτέρισαν &c. Lib. VI. Cap. XXVI.

(a) Ὀνομάζονται οὖν οἱ μὲν Θεοφρονίῳ ἀκολουθήσαντες Εὐνομιοθεοφρονιανοί· οἱ δὲ Εὐτυχίῳ, Εὐνομιευτυχιανοί.... πλὴν ὅτι τὸ βάπτισμα παρεχάραξαν· οὐ γὰρ εἰς τὴν τριάδα, ἀλλ' εἰς τὸν τοῦ Χριστοῦ θάνατον βαπτίζουσι.

(b) Lib. de Præscript. Hæretic. cap. XLII.

Digitized by Google

„ unusquisque proinde suo arbitrio modulatur quæ accepit, „ quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. „ Agnoscit naturam suam, & originis suæ morem, profectus „ rei. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Mar- „ cionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. De- „ nique penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum aucto- „ ribus suis dissentientes deprehenduntur. „ Quidni igitur & Eunomianis licuerit quod Eunomio, ut aliquid novi in religionem inferrent, & baptismi formam quam ille fortasse intactam reliquit, hi sacrilego ausu interpolarent?

Verum enim vero quod velut in opinione positum Sozomenus repræsentat, & de quo diversa fuisse refert hominum judicia, Epiphanius, & Theodoritus Auctores imprimis graves adseveranter produnt, ipsum scilicet Eunomium vetere abrogato ritu alium de suo arbitrio compositum invexisse, ipsa etiam baptismi formulâ hæreticis additamentis constupratâ: *Eos*, inquit Epiphan. (*a*) *qui baptizati jam fuerant, iterum baptizat Eunomius . . . . Repetiti porro illius baptismi ea formula est: In nomine Dei increati: & in nomine Filii creati: & in nomine Spiritus Sanctificantis, & à creato Filio procreati*. Theodoritus autem omnem etiam Trinitatis invocationem Eunomium sustulisse refert, quod tamen, ut mox dicam, de Eunomianis potius intellexerim, quam de Eunomio: *Ipse quoque*, inquit, (*b*) *subvertit Sancti baptismi ritum à Domino & Apostolis ab initio traditum, & contrariam legem aperte tulit, dicens, non oportere ter immergere eum qui baptizatur, nec Trinitatem invocare, sed semel baptizare in mortem Christi*.

Quæ cum ita sint, ac de Eunomiano baptismi ritu tam varia ferantur, ea sic facile componi posse existimo, ut Eunomio nefariæ sectæ propagatori relata ab Epiphanio formæ interpolatio tribuatur: Eunomianos vero ulterius progressos, cum alia plurima

---

(*a*) Ἀναβαπτίζει γὰρ τοὺς ἤδη βαπτισθέντας.... ἀναβαπτίζει δὲ αὐτοὺς εἰς ὄνομα Θεοῦ ἀκτίστου, καὶ εἰς ὄνομα υἱοῦ κεκτισμένου, καὶ εἰς ὄνομα Πνεύματος ἁγιαστικοῦ, καὶ ὑπὸ τοῦ κεκτισμένου υἱοῦ κτισθέντος. Hæresi 76. sub fin.

(*b*) Αὐτὸς καὶ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος ἀνέτρεψε τὸν ἀνέκαθεν παρὰ τοῦ Κυρίου, καὶ τῶν ἀποστόλων παραδοθέντα θεσμὸν, καὶ ἄντικρυς ἀντενομοθέτησε, μὴ χρῆναι λέγων τρὶς καταδύειν τὸν βαπτιζόμενον, μηδὲ ποιεῖσθαι τὴν τῆς Τριάδος ἐπίκλησιν, ἀλλ' ἅπαξ βαπτίζειν εἰς τὸν θάνατον τοῦ Χριστοῦ.

Digitized by Google

rima circa baptismi ritum innovasse, quæ laudari scriptores non sine quodam horrore referunt, tum omnem Trinitatis invocationem sustulisse. Nam & Eunomium aliquid hac in re ausum esse præter Epiphanium idoneum, & Synchronum testem, argumento esse potest, ea qua apud plerosque laboravit infamia, ut apud Sozomenum est. Omnem autem Trinitatis invocationem ab Eunomianis fuisse de medio sublatam auctores sunt Theodoritus (cujus verba de Eunomianis accipio, ut cum Epiphanio consentiat) & Socrates, & Sozomenus: neque enim satis esse puto, ut (quod ab eis traditum est) non in Trinitatem Eunomiani baptizarint, eos trinam mersionem abolevisse, nisi etiam invocandæ Trinitatis legem abrogarint. Id enim proprie est quod baptismum in nomine Trinitatis constituit.

At enim ad baptismi formulam Epiphanii verba minime pertinere Harduinus monet, quemadmodum nec ista Hieronymi de Arrianis (*a*) *in Patre solo vero Deo, & in Jesu Christo Salvatore creatura, & in Spiritu Sancto utriusque servo*. Vel ista apud Athanasium de iisdem Arrianis (*b*) *non enim in Patris, & Filii nomine dant baptismum*: ἀλλ' εἰς κτίσαν καὶ κτίσμα, καὶ εἰς ποιητὴν, καὶ ποίημα. *Sed in nomine Creatoris & rei creatæ, effectoris & rei factæ.* Quasi aut Epiphanius expressius significare potuerit; ad ipsam baptismi formam sacrilegum additamentum pertinuisse: aut eadem habenda sit ratio verborum Epiphanii de Eunomio, & Hieronymi, vel Athanasii de Arrianis. Quid enim Hieronymus? *Episcopus*, inquit, *si imponit manum, his imponit, qui in recta fide baptizati sunt: qui in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto tres personas, unam substantiam crediderunt. Arrianus vero quum nihil aliud crediderit ..... nisi in Patre solo vero Deo &c. quomodo Spiritum Sanctum ab Ecclesia recipiat, qui necdum remissionem peccatorum consequutus est?* An opus erat, ut hæc ad baptismi formam non esse referenda, Harduinus moneret? Quid vero Athanasius? an non aperte docet, eandem fuisse ab Arrianis baptismi formam, & à Catholicis usurpatam? *Baptismus*, inquit, (*c*) *quem illi dare putantur, à vero baptismo alius est, etiamsi no-*

(*a*) Dialogo adversus Luciferianos.
(*b*) Orat. II, al. III. cont. Arrian. pag. 510. Novis. Edit. Paris.
(*c*) Ἄλλο ἂν εἴη τῆς ἀληθείας τὸ παρ' αὐτῶν νομιζόμενον δίδοσθαι, κἂν τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, διὰ τὸ γεγραμμένον ὀνομάζειν προσποιῶνται. Ubi supra.

men Patris & Filii , ut præcipit Scriptura proferre assimulent , *ut præcipit*, inquit, *Scriptura* , non ergo hæretico aliquo adulterio depravata ea nomina proferebant ; unde quod ait , dedisse eos baptisma *in nomine creatoris & creaturæ* , non ad verborum sonum spectat , sed ad pravam interpretationem ac perperam eis subjectam ab Arrianis notionem . Quid vero simile apud Epiphanium de Eunomio? an non ille , Petavio interprete , disertis verbis adfirmat , blasphemam illam precationem Eunomiani baptismi *formulam* exstitisse? Quo ergo tandem auctore dicitur, quod *non iis vocibus formæ typus, sed fidei perversitas*, *quæ fuit vel sub legitima verborum forma dissimulata describitur?*

Unus, inquis, superest Augustinus, quem pro se facere Harduinus jactat lib. III. de baptismo Cap. XV. Sed jure, an injuria jactet, prolatis Augustini verbis palam fiet: „ Si , inquit , „ Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii , & Spiritus „ Sancti, Marcion baptismum consecrabat , integrum erat Sa„ cramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opi„ nantis quam catholica veritas docet, non esset integra , sed „ fabulosis falsitatibus inquinata. Nam sub eisdem verbis, idest, „ in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti , non solum „ Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius, sed ipsi „ carnales parvuli Ecclesiæ . . . . Si possent singuli diligenter „ interrogari, tot diversitates opinionum fortassis, quot homi„ nes numerarentur . . . . Numquid tamen ideo non integrum „ Sacramentum accipiunt? „ At quo demum artificio hinc extundes, baptismi formam non fuisse ab Eunomio hæretica licentia violatam? Primo enim non ait Augustinus, quod Marcion verbis Evangelicis baptismum consecraret ; sed , si Marcion verbis Evangelicis baptismum consecrabat , integrum erat Sacramentum, multum autem distat inter utramque propositionem. Prima enim dubia esse potest, & forsitan falsa; altera autem verissima est, & catholicæ fidei dogma . Deinde , non ait S. Doctor, quod Marcion, aut Valentinus, aut Arius, aut Eunomius si verbis Evangelicis baptismum consecrabant, integrum erat Sacramentum; sed quod sub istis verbis , *in nomine Patris &c.* non solum Marcion, Valentinus, Arius, & Eunomius, sed etiam carnales parvuli Ecclesiæ non eundem sensum , non eandem perciperent Trinitatem. Unde quod addit : *numquid tamen ideo*

ideo non integrum Sacramentum accipiunt; non ad Hæreticos, ſed ad carnales Eccleſiæ parvulos pertinet; horum enim exemplo, ut de quorum Sacramentis non ambigebatur, etſi perperam aliquando Trinitatem intelligant, demonſtrare inſtituerat, & Marcionis, & quorumcunque Hæreticorum, qui Evangelicis verbis uterentur, eſſe integra Sacramenta, quamvis eorum fides non eſſet integra, ſed fabuloſis falſitatibus inquinata.

Alterum pro Eunomianis argumentum, quod tamen pro aliis etiam Hæreticis valet, trahit Harduinus ex his Auguſtini verbis lib. VI. de Baptiſmo contra Donatiſtas „ Quis neſciat non „ eſſe Baptiſmum Chriſti, ſi verba Evangelica, quibus Symbo„ lum conſtat, illic defuerint? Sed facilius inveniuntur Hære„ tici, qui omnino non baptizent, quam qui non illis verbis „ baptizent „. Quibus Auguſtini verbis ex hac ſua interrogatione fore credidit, ut non minimum roboris ac firmitatis accederet. „ Quos enimvero ſuſpicari liceat vel eo ſponte pro„ lapſos, vel aliorum ſuaſu in eam pertractos amentiam, ut „ alia ſe forma verborum, quam quæ eſt à Chriſto Domino „ præſtituta, tingi paterentur? „ An Montaniſtas &c. Subjicit præcipuarum hæreſum indiculum, quas adverſus formam Chriſti lege ſancitam admodum religioſas exſtitiſſe Patrum autoritate confirmat. Sed de his inferius dicendum erit; ad Auguſtinum interim convertamur.

S. Doctoris verba aliquo eſſe temperamento condienda, argumento eſſe poteſt ejus de Paulianis judicium, quos, ut deinceps videbimus, ideo exiſtimavit in Eccleſia Catholica ex Nicenæ Synodi decreto baptizandos eſſe, quod regulam baptiſmatis non tenerent. (a) Ne autem incaſſum diſputemus, num univerſe plures fuerint hæretici, qui omnino non baptizarent, quam qui non illis, ideſt, Evangelicis verbis baptizarent, Sanctum Auguſtinum interpretor de Hæreticis, qui tunc potiſſimum in Africa graſſabantur. Manichæos enim frequentiores in Africa fuiſſe Eunomianis, & Pauliniſtis, omnino ſuadent tot adverſus priores illos à S. Doctore conſcripti libri, tot cum eis habitæ concertationes; qui tamen poſteriores nullo unquam ſingulari volumine exagitavit. Porro Manichæos baptiſmum omnino

(a) Lib. de Hæreſibus cap. XLIV.

nino repudiasse, Auctor est idem Augustinus lib. de Hæres. cap. XLVI. *baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre, nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandos putant*: atque in eodem errore positos olim fuisse Seleucianos, vel Hermianos ejusdem impietatis Surculos, tradit ibidem cap. LIX. *Seleuciani*, inquit, *vel Hermiani* .... *baptismum in aqua non accipiunt*: quos & recentiores Manichæos, seu Paulicianos esse hac in re imitatos, testis est Euthymius in Panoplia. Habita igitur Africæ, sive etiam totius Occidentis ratione, nullus dubito quin facilius fuerit invenire Hæreticos, qui omnino non baptizarent, quam qui non illis, idest, Evangelicis verbis baptizarent.

Et vero Sanctorum Patrum verba, quamvis generalia, ad ea loca vel tempora esse aliquando restringenda, quibus illi vixerunt, exemplo esse potest insignis ille, & Interpretum conjecturis plurimum vexatus Clementis Alex. locus ex lib. 7. Stromatei, ubi hæresum epocham determinans, eas generatim ex Apostolico ævo removet, & in posteriora, hoc est, Hadriani tempora rejicit: „ Quod enim, inquit, (a) Catholica Ecclesia „ posteriora sua fecerint conciliabula, non est opus multis pro„ bare. Nam Domini, quæ fuit in adventu doctrina, cum cœ„ pisset ab Augusto, medio tempore Tiberii consummatur: „ Apostolorum autem ejus doctrina, usque ad Pauli ministe„ rium, Neronis tempore consummatur. Inferius autem circa „ tempora Adriani Imperatoris fuerunt, qui hæreses excogita„ runt, & pervenerunt usque ad ætatem Antonini natu majo„ ris, sicut Basilides .... Valentinus .... Marcion &c. „ An non hinc eliceres, hæreses sub Hadriani demum principatu erupisse, & Basilidem, Valentinum, & Marcionem omnium fuisse hæreticorum Patriarchas? Verum ad Apostolica tempora primos hæresum satus esse revocandos, quod vel pueri nostri sciunt,

(a) Ὅτι γὰρ μεταγενεστέρας τῆς Καθολικῆς Ἐκκλησίας τὰς ἀνθρωπίνας συνηλύσεις πεποιήκασιν, οὐ πολλῶν δεῖ λόγων. ἡ μὲν γὰρ τοῦ Κυρίου κατὰ τὴν παρουσίαν διδασκαλία, ἀπὸ Αὐγούστου, καὶ Τιβερίου Καίσαρος ἀρξαμένη, μεσούντων τῶν Αὐγούστου χρόνων τελειοῦται· (hæc verba ita videntur refingenda: ἀπὸ Αὐγούστου ἀρξαμένη, μεσούντων τῶν Τιβερίου Καίσαρος χρόνων τελειοῦται.) ἡ δὲ τῶν Ἀποστόλων αὐτοῦ, μέχρι γε τῆς Παύλου λειτουργίας ἐπὶ Νέρωνος τελειοῦται· κάτω δὲ περὶ τοὺς Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως χρόνους οἱ τὰς αἱρέσεις ἐπινοήσαντες γεγόνασι, καὶ μέχρι γε τῆς Ἀντωνίνου τοῦ πρεσβυτέρου διέτειναν ἡλικίας, καθάπερ ὁ Βασιλείδης.... Οὐαλεντῖνος.... Μαρκίων &c.

sciunt, Clemens non ignorabat. At ille de hæresibus loquitur, quæ tum maxime Ecclesiæ sinum laniabant, cujusmodi erant Basilidianorum, Valentinianorum, Marcionitarum: quos in eandem rem coævus Clementi Tertullianus producit, quo scilicet Catholica doctrina recentiorem hæresum originem demonstret. (a) „ Ante Christiani quam Christus inventus? ante hæ„ resis quam vera doctrina? .... Ceterum satis ineptum, ut „ prior in doctrina hæresis habeatur .... Ubi tunc (idest, sub „ Apostolis) Marcion Ponticus Nauclerus? Ubi Valentinus „ Platonicæ sectator. Nam constat illos neque adeo olim fuisse, „ Antonini fere principatu. „ Quemadmodum Clementis, & Tertulliani verba, quamvis generalia, & communia coarctanda sunt tamen ad illas hæreses, quæ id temporis Catholicam Religionem potissimum infestabant, sive, ut idem loquitur Tertullianus, *ad insigniores, & frequentiores adulteros veritatis*: Ita sub Augustini verbis licet universalibus eæ tantum hæreses comprehenduntur, quæ Africanam Ecclesiam potissimum exercebant.

Neque magis mirandum est, aliquos *vel eo sponte prolapsos, vel aliorum suasu in eam pertractos amentiam, ut alia se forma verborum, quam quæ est à Christo Domino præstituta, tingi paterentur*, quam vel aliquos fuisse, qui baptismi legem omnino repellerent; vel intemerata Altaris mysteria iis propudiis, & obscœnitatibus inquinarent, quæ dicere, vel cogitare honestus animus reformidat. Et vero quid est in religione adeo sanctum, & inviolabile, à quo hæretica impudentia sacrilegas, & impias manus abstinuerit? Qui mores, quæ leges, quæ traditiones, aut consuetudines tam graves, & ipsa jam senectute sua tam venerabiles, quas insano furore non procul caverit, aut deformaverit? Quid est quod non audeat semel à Deo desertus animus, & qui se ab ipsa veritate, quæ totius fons est honestatis, abalienaverit? Quod si de quibusvis hæreticis minime est incredibile, ut iis, quæ de Eunomianis dicta sunt proclivius fides adhibeatur, faciunt quæ de illorum in administrando baptismate disciplina S. Epiphanius, ac Theodoritus referunt, quæ adeo jocularis fuit, & ludicra, ut eam laudatus Epiphanius *scenicis artibus*

(a) Lib. de Præscript. cap. 29.

artibus comparet, & eorum Ecclesiam *μίμων ἐργαστήριον*, *histrionum officinam* fuisse decernat.

De Cataphrygibus, & Bonosiacis.

DE hujusmodi Hæreticis hæc primum præ oculis habenda sunt M. Gregorii verba libri XI. Epistola LXVII. alias LXI. quæ inscripta est ad Quiricium, & ceteros Episcopos in Hiberia Catholicos, ubi de variis ritibus agens, quibus hæretici è variis sectis ad Ecclesiæ unitatem redeuntes olim recipiebantur, hæc de Bonosiacis, & Cataphrygibus habet: „ Hi vero hæretici, qui in Trinitatis nomine minime baptizantur, „ sicut sunt Bonosiaci, & Cataphrygæ: quia & illi Christum „ Dominum non credunt, & isti Sanctum Spiritum perverso „ sensu esse quendam pravum hominem Montanum credunt, „ quorum similes multi sunt alii; cum ad Sanctam Ecclesiam „ veniunt, baptizantur: quia baptisma non fuit, quod in errore positi in Sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt. „ Nec potest hoc ipsum iteratum dici baptisma, quod, sicut „ dictum est, in Trinitatis nomine non erat datum.

Quærit Harduinus, *quo sensu* Pontifex neget, Bonosiacos, & Cataphryges fuisse in Trinitatis nomine baptizatos: *an*, inquit, *quod baptismi formam illi adulterarent? Minime verò: nam Bonosiacos prorsus hac culpa liberat Concilium Arelatense II. quod annis fere centum & quinquaginta Gregorium antecessit*. De Cataphrygibus vero subjungit, quod quum duûm generum exstiterint, alii *κατὰ Πρόκλον*, quorum inculpata fuit de Trinitate sententia: alii *κατ' Αἰσχίνην*, qui in Sabellianorum dogma deflexere, de neutris ostendi potest, eos in baptismi forma quidquam turbasse, præsertim Athanasio, & Philastrio refragantibus.

Si hæc eo demum spectarent, ut errore facti deceptum fuisse Pontificem demonstraret, ejus utcumque tolerabilis esset opinio. At non eo Harduini tendit oratio, neque M. Gregorium latuisse vult, quæ fuerit ab iis hæreticis usurpata baptismi forma integra scilicet, ut ipse decernit, & incorrupta; Sed eorum tamen baptismum abrogasse, quod in fide Trinitatis, aut Incarnationis errarent, eosdemque errores in præviis baptismo interrogationibus palam facerent. Id enim omnino vult Hardui-

duinus, quum aliam superius laudatis M. Gregorii verbis rationem contineri vult, quam quæ ex depravatione formæ repetitur: quamvis impræsentiarum expedire nolit, *an isthæc ex Orientalium potius, quam ex suo sensu Pontifex dicat*.

Duo mihi videntur in hac sententia minime toleranda: Primum, quod S. Gregorii verbis alienam omnino interpretationem adfingit: Secundum, quod eidem Sancto Pontifici erroneam plane, & hæreticam opinionem tribuit. Quis enim vero ferat Harduinum negantem de baptismi forma loqui M. Gregorium quum ait: Bonosiacos, & Cataphryges *in Trinitatis nomine minime baptizari*; Sed de fidei confessione, quæ baptismum præcedit? Quis, inquam, ferat integram, & incorruptam hujus loci sententiam prava hac, & exotica expositione corrumpi? an non vides, quod te sequatur absurdum, quo volens, nolensve ducaris, ut Romanorum Pontificum eruditissimum, paternarum traditionum scientissimum, fidei propugnatorem acerrimum, & Ecclesiasticæ disciplinæ custodem perquam severum, & accuratum, erroris insimules, qui neque in Occidentalium partium Episcopo vel mediocriter erudito, nedum in Romano Pontifice, ferri ea tempestate quodammodo potuisset? Vide enim, quid de hoc baptismo, quem in Trinitatis nomine collatum fuisse negat, Apostolica demum auctoritate decernat, eum pro vero baptismo non esse habendum; propterea baptizandos esse, qui eo tantum fuissent abluti, nec iterari tamen baptismum, *quia baptisma non fuit, quod in Trinitatis nomine minime perceperunt, quod in Trinitatis nomine non erat datum*. Baptismum legitima forma, & materia constantem, ob vitiosam precem eidem baptismo præmissam, Romanus Pontifex imo, & Romanorum Pontificum sapientissimus irritum fuisse decerneret? An ignorabat Gregorius, quæ decessor ejus Stephanus Cypriano rescripserat, & quid ex Apostolica Traditione saluberrimo illo decreto constituerat, quod deinceps plenarii concilii, ad quod sæpius Augustinus provocat, & totius Ecclesiæ reverentia consecravit? *si quis*, inquit, (a) *à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam*. Si enim vitiosa precatio, aut hæreseos professio

 ante

(a) Apud S. Cyprian. Ep. LXXIV. ad Pompei.

Digitized by Google

ante lavacrum sub antistitis manu, baptismum irritat, meliorem certe caussam Cyprianus, quam Stephanus propugnabat. Quis enim hæreticus, qui à se deceptum sub ipsum mysteriorum tempus sibi arctius adglutinare perversa fidei expositione non studeat? An hæc erat Bonosiacorum, & Cataphrygum singularis consuetudo, ut errores suos sub ipsam baptismi horam prædicarent; adeoque factum est, ut illorum baptismum præ ceteris Pontifex improbaret, & in Trinitatis nomine datum fuisse negaret? At quo argumento quis probet, ea in re ab Arrianis non fuisse peccatum, ut ideo Pontificem ratum eorum baptismum habuisse demonstret?

Sed incertum est, inquis, *an isthæc ex Orientialium potius, quam ex suo sensu Pontifex dicat*. Atqui certum est, inquam, neque ex suo tantum, neque ex Orientalium sensu, sed ex ea quam ab antiquis Patribus acceperat traditione, isthæc Pontificem pronunciasse „ Ab antiqua, inquit, Patrum institutione „ didicimus, ut quilibet apud hæresim in Trinitatis nomine „ baptizantur, cùm ad Sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctio- „ ne Chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione „ fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde Arrianos „ per impositionem manus Occidens, per unctionem vero San- „ cti Chrismatis Oriens reformat. Monophysitas vero & alios „ ex sola vera confessione recipit: quia Sanctum baptisma, „ quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emun- „ dationis recipit, cum vel illi per impositionem manus Spiri- „ tum Sanctum acceperint, vel illi propter professionem veræ „ fidei, Sanctæ & universalis Ecclesiæ visceribus fuerint uniti. „ Hi vero hæretici qui in Trinitatis nomine minime baptizan- „ tur &c. „ viden, ut omnia ad antiquam Patrum institutionem referat Pontifex? ut Arrianos non abnuat in Trinitatis nomine fuisse baptizatos, quamvis non esset eorum, quam Cataphryghum minus impia de Trinitate sententia? ut monere non negligit variam fuisse Occidentis, & Orientis, in recipiendis Arrianis disciplinam? Quod si in re meræ, ut plures existimant disciplinæ, ea fuit Summi Pontificis solicitudo; dic sodes, quæ caussa fuerit, cur non eadem vigilantia sit usus in ea quæstione, quæ ad fidem jam pertinebat: num quorundam hæreticorum baptismus legitima forma, & materia constans, esset an

non

Digitized by Google

non irritandus ob pravam aliquam vel dantis, vel accipientis de Trinitate ſententiam: quumque adfirmantem opinionem doceat; qui fieri potuit, ut monere neglexerit, eam ſe opinionem ex Orientalium potius, quam ex ſuo ſenſu docere? *baptiſma*, inquit, *non fuit, quod in errore poſiti &c. nec poteſt hoc ipſum iteratum dici baptiſma &c.* Itane Pontifex loqueretur non ex ſuo ſenſu? has, inquam, in Chriſti Sacramenta blaſphemias effutiret, & earum à ſe invidiam ne verbo tenus amoliretur? Non eſt itaque dubitandum, de baptiſmi forma loqui M. Gregorium; & quæ loquitur, non ex aliorum, ſed ex ſua ſententia loqui: nec quorumdam Orientalium opinionem referre, ſed quæ *ex antiqua Patrum inſtitutione* didicerat pronunciare. Quum igitur conſtet, quæ fuerit de Cataphrygibus, & Bonoſiacis SS. Pontificis opinio, videndum eſt, an ejus de illis judicium veritate nitatur.

Quoad Montaniſtas ſeu Cataphryges, ſpectanda imprimis eſt eorum in duo genera, quam Harduinus quoque adtigit, diſtributio. Alii enim dicebantur *κατὰ Πρόκλον*, quorum una fuit cum Catholicis de Trinitate ſententia: alii vero *κατ' Αἰσχίνην*, qui ad Sabellianos defecerunt. Neque recens invecta fuiſſe hæc opinionum in Montaniſtarum ſecta divortia, colligitur ex antiquo Authore ſupplementi ad Tertulliani Librum de Præſcriptionibus, cap. LII. „ Acceſſerunt alii hæretici, qui dicuntur „ ſecundum Phrigas: ſed horum non una doctrina eſt. Sunt „ enim qui *κατὰ* Proclum dicuntur, ſunt qui ſecundum „ Aeſchinem pronuntiantur. Hi habent aliam communem blaſ„ phemiam, aliam blaſphemiam non communem, ſed peculia„ rem, & ſuam: & communem quidem illam, qua in Apoſto„ lis quidem dicant, Spiritum Sanctum fuiſſe; Paracletum non „ fuiſſe: & qua dicant, Paracletum plura in Montano dixiſſe, „ quam Chriſtum in Evangelio protuliſſe; nec tantum plura, „ ſed etiam meliora, atque majora. Privatam autem blaſphe„ miam illi, qui ſunt *κατὰ* Aeſchinem, hanc habent, qua adji„ ciunt etiam hoc ut dicant, Chriſtum ipſum eſſe Filium, & „ Patrem. „ Idem colligitur ex Theodoreto, lib. III. Hæretic. Fabul. cap. II. *Quidam*, inquit, (a) *illorum tres Divinitatis hypoſtaſes*,

(a) Τινὲς δὲ αὐτῶν τὰς τρεῖς ὑποςάσεις τῆς θεότητος Σαβελλίῳ παραπλησίως ἠρνήσαντο, τὸν αὐτὸν ἄνω λέγοντες καὶ πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα παραπλησίως τῷ Ἀσιανῷ Νοητῷ.

stases, sicut Sabellius, infitiati sunt, eundem esse dicentes & Patrem; & Filium, & Spiritum Sanctum, quemadmodum Nœtus Asianus. Quibus verbis quosdam tantum è Montanistis Sabellianæ hæreseos insimulat, cum de Montano ipso præmiserit: *Doctrinam vero de Trinitate non corrupit*. Quod de puris etiam Montanistis dicendum est.

Hæc autem quamvis ita se habeant, fuere tamen ex Patribus, qui nulla adhibita distinctione omnes promiscue Cataphrygas hujus erroris invidia onerare visi sunt: & fuere itidem alii, qui generatim omnes ejusdem invidiæ onere levaverunt. Montanistas generatim absolvunt, atque ab omni circa Trinitatem prava opinione innoxios declarant S. Epiphanius, & Philaster, *Cataphriges*, inquit ille (*a*) *de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto eadem cum Ecclesia Catholica sentiunt*. Hic vero (*b*) *Cataphriges Prophetas, & legem accipiunt, Patrem, & Filium, & Spiritum confitentur, carnis resurrectionem expectant, quæ & Catholica Ecclesia prædicat*. Eosdem autem communiter reos agunt, ac prave de Deo, deque Trinitate sensisse, Basilius, & Hieronymus produnt. Basilius quidem Ep. I. Canonica ad Amphilochium, ubi Montanistas Manichæis, Valentinianis, & Marcionistis adnumerat, & hæreticis adcenset, qui de ipsa in Deum fide dissentirent (*c*) Hieronymus vero Epist. XXVII. al. LIV. ad Marcellam, ubi de Montanistis agens, ac de eorum dogmatum ab Ecclesiæ Catholicæ dogmatis dissonantia: *Primum*, inquit, *in fidei regula discrepamus. Nos Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum in sua unumquemque Persona ponimus, licet substantia copulemus: illi Sabellii dogma sectantes, Trinitatem in unius Personæ angustias cogunt*.

Verum quemadmodum variæ sunt de Cataphrygum doctrina Patrum opiniones; sic variè de illorum in administrando baptismate disciplina Patres loquuntur. Eorum baptismum ratum habuisse Dionysium Alexandrinum, testis est Basilius laudata

su-

(*a*) Οὗτοι γὰρ οἱ κατὰ Φρύγας καλούμενοι .... περὶ Πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος, ὁμοίως φρονοῦσι τῇ ἁγίᾳ Καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ. Hæresi XLVIII. n. I.

(*b*) Catal. Hæref. p. 3. cap: 2.

(*c*) Αἱρέσεις δὲ, οἷον ἡ τῶν Μανιχαίων, καὶ Οὐαλεντίνων, καὶ Μαρκιονιστῶν, καὶ αὐτῶν τούτων Πεπουζηνῶν. εὐθὺς γὰρ περὶ αὐτῆς τῆς εἰς Θεὸν πίστεώς ἐστιν ἡ διαφορά. Can. I.

superius ad Amphilochium Epistola: est autem prorsus inverisimile, virum, ut eum Basilius appellat, Canonicum, ideft, Canonum peritissimum probasse eorum baptisma, qui non verbis Evangelicis baptizarent, vel sacri hujus Mysterii formam turpiter interpolarent. Et eos quidem apud quos mansit recta de Trinitate sententia nihil in baptismi forma turbasse; cùm est per se ipsum valde probabile, tum probabilius efficitur Tertulliani testimonio, & exemplo, quem constat in Montanistarum castris retinuisse, & Trinitatis fidem, & baptismi regulam, primævæ militiæ tesseras, quas ad hostes transfugiens, secum abstulit. (*a*) Alia tamen fuit aliorum Patrum de Cataphrygum baptismo sententia. Eos enim baptismi formam violasse ex jam laudato Basilii loco haud obscurè colligitur. Sic enim habet: „ Pepuzenorum autem baptismus nullam mihi habere rationem „ videtur: (*b*) & miratus sum, quomodo hoc magnum Dionysium, qui fuit canonum peritus, præteriit. Antiqui enim illum baptismum suscipiendum putarunt, qui nihil à fide recedit. *Et infra*. Quamnam ergo habet rationem, verum eorum „ baptisma judicari, qui in Patrem & Filium, & Montanum „ Priscillamve baptizant? Non enim sunt baptizati, qui non in „ ea quæ nobis sunt tradita baptizati sunt. Quare etiamsi hoc „ magnum Dionysium latuit, nobis tamen non est servanda erroris imitatio. Ipsa enim absurditas est omnibus aperta, & „ evidens, qui modo rationis vel parva ex parte sunt participes. Non est præsentis instituti disquirere, num rebaptizantium catalogo M. Basilius sit adcensendus: opinio jam ferme præjudicata, non est, cur novo examini subjiciatur. In eorum numerum, qui datum ab hæreticis baptismum improbaverunt, M. Basilium referre per me liceat; dum eò tamen verba modo descripta minimè trahantur: his enim Pepuzenorum, seu Cataphry-

(*a*) Vid. lib. cont. Praxeam, cap. XXVI.

(*b*) Τὸ δὲ τῶν Πεπουζηνῶν, οὐδένα μοι λόγον ἔχειν δοκεῖ· καὶ ἐθαύμασα, πῶς κανονικὸν ὄντα τὸν μέγαν Διονύσιον παρῆλθεν· ἐκεῖνο γὰρ ἔκρινον παλαιοὶ δέχεσθαι βάπτισμα τὸ μηδὲν τῆς πίστεως παρεκβαῖνον. Τίνα οὖν λόγον ἔχει τὸ τούτων βάπτισμα ἐγκριθῆναι, τῶν βαπτιζόντων εἰς Πατέρα, καὶ Υἱὸν, καὶ Μοντανὸν, καὶ Πρίσκιλλαν; οὐ γὰρ ἐβαπτίσθησαν οἱ εἰς τὰ μὴ παραδιδόμενα ἡμῖν βαπτισθέντες· ὥστε εἰ καὶ τὸν μέγαν Διονύσιον τοῦτο παρέλαθεν, ἀλλ᾽ ἡμῖν οὐ φυλακτέον τὴν μίμησιν τοῦ σφάλματος· τὸ γὰρ ἄτοπον, αὐτόθεν πρόδηλον, καὶ πᾶσιν ἐναργὲς, οἷς τι καὶ μικρὸν τοῦ λογίζεσθαι μέτεστιν.

Digitized by Google

phrygum baptismum reprobari existimo non ob aliquam rationem hæreticis omnibus communem, sed ob violatam ab eis, ac vexatam hujusce Sacramenti formam. Ut ita sentiam facit imprimis illa de Magno Dionysio S. Doctoris expostulatio: quid enim caussæ fuisset, cur tantopere miraretur horum hæreticorum baptismum à Dionysio fuisse adprobatum, nisi illi in proferenda forma peccassent? facit etiam illud ad quod appellat Antiquorum decretum, quo statutum fuisse ait, ut ille tantum baptismus susciperetur, qui nihil à fide recederet. Non enim, ut ex hac ipsa liquet epistola, ignarus erat Basilius controversiarum, quæ decessorem suum Firmilianum, Cyprianumque exercuerant, & Catholicorum Præsulum animos in contrarias sententias distraxerant, ut vel mirari debuerit Dionysium, quod datum à Pepuzenis, seu Cataphrygibus baptismum adprobasset; vel ei Antiquorum decretum objiceret, quasi contraria disciplina ab omni retro fuisset Antiquitate sancita. Sed quid conjecturas sequimur, quum luculentis verbis adfirmet, in Montanum, & Priscillam nefarios homines baptizasse, & eorum se propterea baptismum reprobare, quod *non in nobis tradita* celebraretur. Neque vult, *in nobis tradita dogmata*; sed *in nobis tradita nomina*: alioquin contrariam, ut ipse putabat, Dionysii sententiam non adeo male habuisset, nec tam fidenter *erroris* insimulasset.

At non est, inquis, verosimile, Dionysium canonum peritissimum eorum baptismum ratum habuisse, qui Montani, & Priscillæ nominibus fœde fuisset interpolatum. Ita profecto est, inquam; sed neque est verosimile, ut M. Basilius verbis adeo gravibus Dionysii opinionem fuisset insectatus, ut ejus absurditatem omnibus apertam, & evidentem esse voluerit, *qui modo rationis vel parva ex parte sunt participes*; nisi reapse dissonæ illum, & absurdæ opinionis auctorem instituisset. Sic igitur habendum est; Basilium & Montanistarum quorundam sibi notorum disciplina de Montanistis omnibus etiam antiquioribus statuisse; eique baptismo, quem è recentioribus Montanistis quidam in eum modum adulteraverant, similem fuisse credidit, quem Dionysius suscipiendum esse decreverat.

Synodus Laodicena nulla itidem adhibita distinctione, nec minus universe, quam Basilius Cataphrygum baptisma sequenti

Ca-

Canone reprobavit. (*a*) „Eos, qui ab eorum hæresi, qui Phryges dicuntur, convertuntur, sive sint in clero, qui apud illos existimatur, sive maximi dicantur; omnes eos cum omni studio catechizari, seu initiari, & baptizari ab Ecclesiæ Episcopis, & Presbyteris. De tempore hujusce Synodi disputatur. Illustrissimus Annalium Parens ante Nicæni Concilii tempora coactam suspicatur: Verum communior sententia in Post-Nicæna tempora conjicit: maximèque mihi probatur Illustrissimi de Marca (*b*) conjectura, ob quam ejus æram anno CCCLXV. consignari posse putavit. Illo etenim anno Synodus habebatur ab Episcopis Asianæ Diœceseos, ad quos literas suas, & Synodicam Illyriciani Concilii Valentinianus Imperator transmisit cum hac epigraphe apud Theodoretum (*c*) *Episcopis Diœcesis Asianæ, Phrygiæ, Cataphrygiæ Pacatianæ*. Porro Synodus Laodicena, ut ejus inscriptio testatur, *ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν τῆς Ἀσιανῆς*, *è diversis Provinciis Asianæ Diœcesis* collecta est Laodiceæ, quæ Phrygiæ Pacatianæ Metropolis est. Quin hujus Synodi Patres in laudato Canone, qui numero octavus est, condendo, quemadmodum & præcedente Canone septimo, quo statuitur, ut Novatiani sine novo baptismo, sed fidei dogmatis imbuti, & Sancto Chrismate inuncti Sacris Mysteriis communicent, Nicænorum Canonum XIX. & VIII. quibus paria de Paulianistis, & Catharis sancita sunt, præcipuam rationem habuerint; imo ad eorum instar hos canones condiderint, nullus dubito; adeoque Paulianistarum sententiæ Cataphryges subjecisse pro certo habeo, quod non eorum tantum de Trinitate opinionem adoptassent; sed nefarium etiam, & sacrilegum baptismi ritum imitarentur. Ejusdem Synodi Patres, ut illud etiam obiter dicam, non autem Nicænos designasse puto Basilium, quum laudata superius ad Amphylochium Epistola permisit, ut Catharorum baptisma, licet à Firmiliano, & Cypriano improbatum, propter multorum œconomiam, & dispensationem

(*a*) Περὶ τῦ τοὺς ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν λεγομένων Φρυγῶν ἐπιςρέφοντας, εἰ καὶ ἐν κλήρῳ νομιζομένῳ παρ' αὐτοῖς τυγχάνοιεν, εἰ καὶ μέγιςοι λέγοιντο: τοὺς τοιούτους μετὰ πάσης ἐπιμελείας κατηχεῖσθαί τε καὶ βαπτίζεσθαι ὑπὸ τῶν τῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπων τε καὶ πρεσβυτέρων.

(*b*) Lib. III. de Concordia Sacerd. & Imper. Cap. III.

(*c*) Lib. IV. Histor. Cap. VIII.

nem susciperetur, quoniam sic nonnullis Asiaticis visum esset; *Verum enim vero antiquis*, inquit, (a) *visum est, Cypriano dico, & nostro Firmiliano, eos omnes uni calculo subjicere, Catharos &c. Sed quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum œconomiam, & dispensationem, eorum baptisma suscipi, suscipiatur.* De Patribus Nicænis tam frigide nunquam Basilius loquutus esset: nec ratio patitur, aut loquendi usus, ut Episcopi e cunctis ferme Orbis Christiani partibus congregati, nonnullorum Asiaticorum loco habeantur, quod Nicæam, quæ Urbs est Asiæ, convenerint. Sed nonnulli Asiatici dicti sunt Episcopi, qui e diversis Asianæ Diœceseos Provinciis Laodiceam Asiæ itidem Urbem confluxere: horum enim utpote recentiorum recentior erat apud Basilium memoria.

Montanistas eidem baptismi legi promiscue subjiciunt Canon, qui in priore Concilio CP. Septimus occurrit, & 95. inter Trullanos, Euchologium Græcum e Bibliotheca Regia desumtum, & à Dom. de Marca vulgatum in Not. ad Concil. Claromontanum, Theodorus Studita Epist. IV. ad Naucratium, Timotheus Presbyter in scripto de modo hæreticos suscipiendi, & Auctor Libri de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. XXII. al. 52. De quibus monumentis, quoniam plerasque alias hæreses comprehendunt, inferius dicendum erit. Atque hæc satis esse existimo, ne quis temere Gregorium erroris audeat arguere, quod Cataphrygas scripserit in Trinitatis nomine minime fuisse baptizatos.

Cl. Noster Lequien in Not. ad cap. IX. Libri IV. Johannis Damasceni de Fide, inter hæreticos, qui variis modis baptismi ritus, & verba adulterarunt, reponit e Montanistis Tascodrugetas apud Theodor. lib. I. hæret. fab. c. XII. & Quintillianos apud Tertullianum lib. de Bapt. cap. I. Verum Ascodrytæ, vel Ascodrupetæ, de qnibus Theodoritus laudato loco, sive Tascodrungi apud Thimoteum Presbyterum Valentinianorum germina erant, non autem Montanistarum; neque eis tribuit, quod bap-

(a) Πλὴν ἀλλ' ἔδοξε τοῖς ἀρχαίοις, τοῖς περὶ Κυπριανὸν λέγω, καὶ Φιρμιλιανὸν τὸν ἡμέτερον, τούτους πάντας μιᾷ ψήφῳ ὑποβαλεῖν, Καθαροὺς &c. Ἐπειδὴ δὲ ὅλως ἔδοξέ τισι τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν οἰκονομίας ἕνεκα τῶν πολλῶν, δεχθῆναι αὐτῶν τὸ βάπτισμα, ἔστω δεκτόν.

baptismum omnino repudiarent, & quævis alia sensibilia mysteria de medio tollerent „ Eorum, inquit (*a*) partem esse di-
„ cunt eos, qui à nonnullis Ascodrutæ, ab aliquibus autem
„ Ascodrupetæ vocantur. Hi autem dicunt, non oportere di-
„ vina mysteria, quæ sunt invisibilium signa, per res, quæ vi-
„ dentur peragi; nec incorporea per sensibilia, & corporea . . .
„ quapropter nec eos qui accedunt baptizant, nec ab eis pera-
„ gitur mysterium baptismatis, & infra. Anathematizant au-
„ tem lavacrum, & mysteriorum communionem. „ Eadem de illis habet Timotheus, Tertullianus autem laudato loco Quintillianorum non meminit, sed Quintillæ, quæ baptismum oppugnarit; non autem ejus duntaxat ritum everterit; neque illam Montanisticam; sed e Cajana hæresi viperam dicit; nec postremo indicat, an aliqua sub ejus nomine Quintillianorum secta fuerit propagata „ Nuper, inquit, conversata istihc quædam
„ de Cajana hæresi vipera venenatissima doctrina sua plerosque
„ rapuit, in primis baptismum destruens plane secundum natu-
„ ram: Nam fere viperæ, & aspides, ipsique reguli serpentes
„ arida, & inaquosa sectantur. Sed nos pisciculi secundum
„ ἰχθὺν nostrum Jesum Christum in aqua nascimur, nec aliter
„ quam in aqua permanendo salvi sumus. Ita Quintilla monstro-
„ sissima, cui nec integre quidem docendi jus erat, optime no-
„ rat pisciculos necare, de aqua auferens. „ Quapropter Quintillianos istos, si in aliquam sectam coaluerunt, & Theodoriti Tascodrugetæ, seu Ascodrupetæ in eorum numerum referam, qui baptismum omnino repudiarunt, quò minus miremur, scripsisse Augustinum, facilius inveniri hæreticos qui omnino non baptizant; quam qui non illis, idest, Evangelicis, verbis baptizant. Meminit quidem inter Montanisticas sectas Tascodrugitarum, & Quintillianorum Epiphanius (*b*) sed de illorum baptismo nihil habet; etsi ludricam orandi formam, ex qua eis

(*a*) Τούτων εἶναι τμῆμα φασὶ ϗ τὰς παρ' ἐνίων Ἀσκοδρούτας, παρ' ἐνίων δὲ Ἀσκοδρουπίτας καλουμένους. Οὗτοι δὲ φασι, μὴ χρῆναι τὰ θεῖα μυστήρια, ἀοράτων ὄντα σύμβολα, δι' ὁρωμένων ἐπιτελεῖσθαι πραγμάτων, ϗ τὰ ἀσώματα δι' αἰσθητῶν ϗ σωματικῶν . . . . διὰ τοῦτο, οὔτε βαπτίζουσι τὰς προσιόντας, οὐδὲ ἐπιτελεῖται παρ' αὐτοῖς τὸ βαπτίσματος τὸ μυστήριον . . . . Ἀναθεματίζουσι δὲ τὸ λουτρὸν, ϗ τὴν τῶν μυστηρίων μετάληψιν.

(*b*) Hæref. XLVIII. sub fin. & hæresi XLIX.

Tascodrugitarum appellatio indita est; & horrendum, ac detestandum Sacrificii ritum ex innocentis pueruli sanguine acubus æreis confossi; vel ex pane, & caseo, quod inter eos Artotyritis peculiare fuit, graviter reprehendat.

Athanasii locum, quem Gregorio Harduinus objicit, inferius exponam. Philastius autem loco, quem idem laudat, ne verbum quidem habet de Cataphrygum baptismo.

De Bonosiacis eadem fere mihi dicenda occurrunt, ac de Cataphrygibus. Et primo quidem certo certius statuendum est, non alia de caussa Gregorium eorum improbasse baptismum, quam quod credidit, Sacramenti formam ab eis fuisse violatam. Si enim propterea reprobasset, ut Harduinus innuit, quod *Christum Dominum non crederent*, pari ratione neque Nestorianorum baptismum de quo fuerat interrogatus probare, & admittere debuisset. Quis enim in Ecclesiastica Historia adeo rudis, ut ignoret, Paulum Samosatenum, Photinum, Bonosum, ac deinde Nestorium paria de Christi Domini Incarnatione sensisse? Non enim eo sensu Bonosus Christum Dominum esse non credidit, ut neque inhabitantem in Christo homine Dei Filium agnosceret; quum in eo maximè erraret, quod duos in Christo Filios prædicaret, æternum unum, alterum temporalem; qui purus putusque fuit error Nestorii. Unde Marius Mercator in Appendice ad Contradictionem XII. Anathematismi Nestoriani ait; *Ebionem Philosophum secutus Marcellus Galata est: Photinus quoque, & ultimis temporibus Sardicensis Bonosus, qui à Damaso Urbis Romæ Episcopo prædamnatus est*. Ideo dicit, prædamnatum à Damaso Bonosum, quia Damasus parte secunda Epistolæ, quam ex Synodo Romana ad Paulinum Antiochenum scripsit, antequam Bonosus hæresim disseminaret, anathematizaverat *eos, qui duos in Salvatore Filios confitentur*. Quod exprobratum fuisse Nestorio idem Marius testatur in Epistola in qua Pauli Samosateni, & Nestorii dogmata invicem componit: *Samosateni Pauli, atque Nestorii est ista; non minus impia, quam vana doctrina*, & infra. *Verum cum ei à Catholicis objicitur; cur per hunc sensum duos Jesus Christos, & duos Filios sentiat &c.* Id autem reapse fuit objectum Nestorio à S. Cyrillo Alex. Ep. 8. ad Clerum CP. ubi hanc mentem Nestorianis fuisse dicit, *duos prædicare Christos, ac duos Filios; & hominem seorsim, ac Deum seorsim*

sim constituere. (a) Quæ cum ita sint; quæ ratio adferri potest, cur Bonosiacos per lavacrum, Nestorianos sine novo baptismo suscipi Gregorius jubeat; quum utrique baptismum in eodem *errore positi* pari ratione perciperent? An quod illi, non autem isti publicam ederent ante lavacrum erroris sui confessionem? Sed ut alia omittam; *Quis istud demum*, ut ipsis Harduini verbis utar, *prona animi assensione sine teste, ac tabulis affirmanti credat?*

Secundo exploratum habeo, à Bonoso, & antiquioribus Bonosiacis nihil fuisse in baptismi forma turbatum. Id vero non solum ex Patribus alterius Synodi Arelatensis; sed etiam ex Innocentio primo, qui propior illis temporibus fuit, mihi videor manifeste colligere. Nam Epistola XXII. C. V. de his, qui à Bonoso post ejus damnationem fuerant ordinati decernens, ne dignitatis suæ privilegiis fruerentur, eosque de gradus sui, & Clericatus honore dejiciens, aperte supponit, & Ordinationem, & cetera Sacramenta ritu plane Catholico apud eos & *secundum consuetudinem* celebrare ,, Dicat mihi, volo, quisquis hoc credit: Si non post ordinationem Bonosi interfuit, cum conficeret Sacramenta &c. Et infra. Nunc illud quod superest interrogo: qui post mensem aut eo amplius rediit, cum se presbyterum à Bonoso consideret ordinatum, si non Sacramenta confecit, si non populis distribuit, si non missas secundum consuetudinem complevit, quid de his censeatis quæso, promatis apertius. Ad summam certe, qui nihil à Bonoso acceperunt, rei sunt usurpatæ dignitatis, qui conficiendorum Sacramentorum sibi vendicaverunt auctoritatem, atque id se putaverunt esse, quod de his (al. eis) nulla fuerat regulari ratione concessum. ,, Quam eorum facinus amplificare studeat, qui suscepta sacrilega Ordinatione sese Christianis Sacris celebrandis immiscuerant, quo eos Clericatus honore indignos ostendat; silentio neutiquam præteriret temerariam sacrorum rituum profanationem, si cœlestia Sacramenta non integra apud eos celebrari, sed nefario scelere pollui deprehendisset: Neque enim alterius cujusque sceleris exprobratio

L 2 vehe-

(a) Σπουδὴ ἐκείνοις δύο λέγειν Χριστοὺς, καὶ δύο υἱοὺς, καὶ τὸν μὲν ἄνθρωπον ἰδικῶς, τὸν δὲ Θεὸν ἰδικῶς.

vehementius in eos bonorum omnium animos inflammasset. Nil ergo circa initium sæculi quinti, anno nempe CCCCXIV. quo laudata ad Episcopos Macedoniæ Epistola scripta est, in quam Provinciam sese potissimum Bonosiacorum error infudit; nec medio eodem sæculo, anno scilicet CCCCLII. quo secunda Synodus Arelatensis celebrata est, probari potest quidquam a Bonosiacis fuisse in Sacrorum mysteriorum administratione turbatum. Sed eo demum sæculo ad exitum properante Gennadius in Libro de Ecclesiasticis dogmatibus inter hæreticos, quos per lavacrum in Ecclesiam recipi jubet, quod *non in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti juxta regulam à Domino positam tincti essent*, Bonosianos recenset: Sed hoc ejus decretum vereor ut ad Bonosiacos proprie dictos pertineat. Sed quid, vereor? immo vero pro certo habeo, & in eam me sententiam ipsius Gennadii verba facile inducunt. Sic enim habet: *Neque enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris &c. ut sunt Paulianistæ, Prociani, Borboritæ, Siphori, qui nunc vocantur Bonosiani &c.* quibus verbis aliam se indicat ab antiquis Bonosiacis hæreticorum sectam memorare, quibus tum primum ob aliquam fortassis erroris adfinitatem Bonosianorum adhæserit appellatio. Hos autem eosdem esse Bonosiacos quos S. Gregorius memorat, haud ægre in suum inducet animum, quisquis Gennadii, & Gregorii loca contulerit; est enim tanta utrinque similitudo; ut non levis suspicio sit, sua Gregorium ab Gennadio ferme fuisse mutuatum. Nam etsi verbis contextuque orationis aliquatenus discrepent; neque Gregorius, ut est apud Horatium

Verbum verbo curarit reddere, fidus
Interpres.

inter se tamen sententiis iisdem, ac præceptionibus continentur; id quod ex utriusque loci parallelismo facile constabit.

Verum sive alii fuerint Bonosiaci, de quibus Innocentius, & Synodus Arelatensis; Gregorius, & Gennadius loquuntur, sive eadem hæreticorum Secta; extra omnem tamen dubitationis aleam positum esse debet, recentiores Bonosiacos à Majorum suorum disciplina discessisse. Quod ne nobis sine teste, ac tabulis adfirmantibus credere Harduinus recuset; adferam enimvero testimonium omni exceptione majus; Canonem scilicet XXXI. tertii Concilii Aurelianensis, quod anno DXXXVIII, me-

medio circiter inter Gregorium, & Gennadium tempore celebratum est. Statuitur enim laudato Canone, ut „ Judex Civitatis „ vel loci, si hæreticum, aut Bonosiacum, vel cujuslibet alte- „ rius hæresis Sacerdotem, quamcumque personam de Catholi- „ cis repabtizasse cognoverit, quia reges nos constat habere „ Catholicos, non statim rebaptizantes astrinxerit, & ad regis „ fidem atque justitiam propterea distringendos adduxerit, an- „ nuali excommunicationi subdatur. „ Quam certum est, veteres sub Innocentio Bonosiacos baptismum, & reliqua Sacramenta ritu Catholico administrasse; tam exploratum habeo, non eos consuevisse Catholicis qui ad eorum sectam defecissent, iterati baptismi legem imponere. Non enim tanti facinoris crimen inultum, impunitumque dimisisset Innocentius, qui eos tam severe castigavit, quod temere auderent, non quidem novo baptismo transfugas, sed illicita ordinatione polluere. Si autem in rebaptizandis Catholicis à majorum suorum legibus desciverunt; neque bipertitos Bonosiacos somniamus, sed olim fuisse, legitimis testibus demonstramus, quorum alii Catholicos iterum baptizarent, alii se ab hoc scelere cohiberent; Quidni pariter *in uno & eodem errore tingendi morem fuisse disparem ac discrepantem existimemus*? Quidni bipertitos itidem Bonsiacos in scenam producamus, & hos quidem baptismum ritu Catholico celebrantes; illos autem suis utentes in ejus administratione legibus & institutis? Si enim ob Innocentii primi autoritatem Bonosiacos agnoscimus quorum animus ab iterando Sacramento abhorreret; & ob laudatum Canonem Aurelianensem qui se hoc piaculo obstrinxerint admittere non veremur: quid erit, cur ob Gregorii ac Gennadii testimonium Bonosiacos agnoscere recusemus, a quibus fuerit baptismi formula constuprata; licet alios admittere necesse sit, qui eam integram intactamque servaverit, ob ejusdem Innocentii & laudatæ sæpius Arelatensis Synodi testimonium? Proclive est enim existimare, non ea tantum de caussa Catholicorum baptismum improbasse, quod Ecclesiæ tingendi autoritatem abrogent; sed etiam quod alio ritu, aliisque in ejus administratione legibus uterentur.

De

Digitized by Google

De Paulianiſtis, & Photinianis.

SEd omnem, mea quidem ſententia, audaciam ſuperat quod de Paulianiſtarum ac Photinianorum baptiſmo, leviſſimis nixus conjecturis, Harduinus litteris conſignavit. Et hos enim hæreticos nihilo ſecus atque alios ſtatuit, in baptiſmi formam fuiſſe religioſos, neque Evangelica verba, quibus ea forma conſtat, adjectione, ſeu detractione aliqua depravaſſe.

At ſi nihil eſt ab eis in baptiſmi forma peccatum; ediſſere, amabo te, quamobrem magna illa Nicæna Synodo *de Paulianiſtis*, (a) *qui deinde ad Eccleſiam confugerunt, ſtatutum eſt, ut ii omnino rebaptizentur?* Nam Innocentius I. Epiſt. ad Epiſcopos Macedoniæ hanc unam hujuſce legis rationem adfert, *quia Paulianiſtæ in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti minime baptizabant*. Neque alia Auguſtino in mentem venire potuit lib. de hæreſ. C.XLIV. *Iſtos ſane Paulianos baptizandos eſſe in Eccleſia Catholica Nicæno Concilio conſtitutum eſt; unde credendum eſt, eos regulam baptiſmatis non tenere, quam ſecum multi hæretici, cum de Catholica diſcederent, abſtulerunt, eamque cuſtodiunt*. Eandem rationem innuit & Synodus Arelatenſis II. Poſtquam enim cap. XVI. *Photinianos ſive Paulianiſtas ſecundum Patrum ſtatuta baptizari oportere* ſanxit; de Bonoſiacis cap. XVII. ſubjungit; quod eos *cum Chriſmate & manus impoſitione in Eccleſia recipi ſufficit*; quia quamvis *ex eodem*, inquit, Paulianiſtarum *errore venientes*, tamen, *ſicut Arrianos baptizari in Trinitate manifeſtum eſt*; id eſt, quamvis cum Paulianiſtis erroris communione conjuncti ſint; doctrinæque ratione habita, non minus quam Photiniani, uno *Paulianizantium* Παυλιανιζόντων nomine contineantur; ab eis tamen diſcrepant diſciplina, atque inter Photinianos & Bonoſiacos hoc intereſt, quod hi ſecus atque illi Sacrum *in Trinitatis nomine* lavacrum peragunt; adeoque Patrum Nicænorum definitione minime tenentur, pro eis certe non edita qui verbis Evangelicis uterentur.

Et ſanè cum tria in baptiſmo ſicut in ceteris Sacramentis ſpectars

---

(a) Περὶ τῶν Παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ὅρος ἐκτέθειται ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος. Can. XIX.

ctari possint, materia, forma, & intentio; si non fuit error in forma, vel in materia peccatum est, vel in intentione, sed intentio nisi aliquo actu prodatur, soli Deo manifesta est, neque de illa judicium sibi usurpat Ecclesia: Paulianistas autem pravam mentis intentionem exterioribus actibus declarasse, quis qua ratione probabit? legitimam profecto materiam in eorum baptismo non fuisse desideratam probat verbum ἀναβαπτίζεσθαι *rebaptizari*, sive iterum aqua perfundi, quo Concilium utitur; ergo si neque in forma peccatum est, baptismum legitima materia, legitima forma, legitima demum intentione constantem Concilium Nicænum improbavit, & repeti atque iterari constituit. Id vero si ita est, contra Nicænorum Patrum statuta definivit Ecclesia „ Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione „ faciendi, quod facit Ecclesia, esse verum baptismum. Paulianizantes enim in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ex Harduini sententia, cum intentione utique faciendi quod facit Ecclesia, baptismum dabant; at eorum tamen baptismus non fuit Nicænis Patribus ratus ac verus baptismus: Pugnat igitur cum Nicæno Canone Tridentinus, suumque in priore illo Concilio de hac controversia judicium in hac posteriore Synodo partim rescidit Ecclesia. Id quod ab ejus rationibus adeo semper alienum fuit, ut Patres & Romani Pontifices in Concilii Nicæni definitione primum esse voluerint Catholici Dogmatis firmamentum.

Ita Siricius ep. 1. ad Himerium cap. 1. „ Prima itaque paginæ tuæ fronte signasti, baptizatos ab impiis Arianis, plurimos ad fidem catholicam festinare, & quosdam de fratribus „ nostris eosdem denuo baptizare velle, quod non licet: cum „ hoc fieri & Apostolus vetet, & Canones contradicant, & post „ cassatum Ariminense Concilium, missa ad Provincias à venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta „ prohibeant, quos nos cum Novatianis aliisque hæreticis, sicut „ est in Synodo constitutum, per invocationem solam septiformis Spiritus episcopalis manus impositione, catholicorum conventui sociamus; quod etiam totus Oriens Occidensque custodit.

Ita Innocentius 1. laudata sæpius ep. „ Numquid nam, cum

„ de

„ de Paulianistis jubent, omnes qui ab hæreticis revertuntur,
„ erunt hoc exemplo baptizandi? quod cum nullus audeat fa-
„ cere, de ipsis tantum esse præceptum, ratio ipsa demonstrat.

Ita Synodus Arelatensis Capp. superius laudatis. Ita Hieronymus Dialogo adversus Luciferianos his verbis: „ Synodus „ quoque Nicæna omnes hæreticos suscipit, exceptis Pauli Sa- „ mosateni discipulis.

Ita demum Augustinus ad *Plenarium Concilium* innumeris in locis provocat, quo *baptismum Christi*, ut ejus verbis utar (*a*) *id est, verbis Evangelicis consecratum, ubique eundem esse*, *NEC HOMINUM, QUORUMLIBET ET QUALIBET PERVERSITATE violari demonstret* „ secundum Scripturarum Sanctarum „ autoritatem, decrevit, *inquit* (*b*) Concilium Catholicum or- „ bis terrarum, etiam in hæreticis inventum Christi baptismum, „ non esse improbandum. Qui plenarii Concilii nomine Nicænum apud Augustinum intelligunt, ad veritatem propius mihi videntur accedere: in hoc enim optime, neque in aliud melius convenire possunt elogia, quibus plenarium suum Concilium S. Doctor exornat; modo illud vocans *plenarium totius orbis Concilium* (*c*) modo Concilium *ex universo orbe Christiano* (*d*) Concilium *universæ Ecclesiæ* (*e*) *Sanctum Concilium cunctarum Gentium* (*f*) *Concilium Catholicum orbis terrarum* (*g*) cujus auctoritati *ipsa Concilia, quæ per singulas regiones vel provincias fiunt, sine ullis ambagibus cederent*. Hoc ergo tam grande tantæque auctoritatis Concilium, qua nulla major aut excellentior vel ipsi Nicænæ Synodo adtribui posset, auctore Augustino, definivit, Christi baptismum verbis Evangelicis consecratum, ubique eundem esse, nec hominum quorumlibet, & qualibet perversitate violari; adeoque nec Paulianizantium, nec Photinianorum perfidia vel impietate corrumpi, si baptismum verbis Evangelicis consecrassent.

Verum non fuerit Nicæna Synodus, quam plenarii Concilii nomine S. Augustinus indigitat; sed, quod viris etiam erudi- tissi-

(*a*) Lib. VI. de Bapt. cap. 25. (*b*) Ib. cap. 13.
(*c*) Lib. I. cap. VII. (*d*) Lib. II. cap. III.
(*e*) Lib. V. cap. XVII. (*f*) Lib. VI. cap. XIII.
(*g*) Lib. II. cap. III.

tissimis placuit, prior Arelatensis; hoc ipso multo commodius: Nam ad Nicæni Concilii auctoritatem, qua superius laudati Patres & Romani Pontifices adversus Rebaptizantes utuntur, Plenarii Concilii, quod sæpissime S. Augustinus appellat, auctoritas adjungetur; quæ tanta fuit, ut in ejus sententiam iret orbis terrarum, & universarum Nationum consensum extorqueret. Quis enim adeo desipiat, ut inter utramque Synodum non plenissime convenire existimet? Attamen seu consenserint; seu dissenserint, nihil interest. Si enim una fuisse dicatur utriusque Synodi sententia; quum prior, interprete Augustino, decreverit, baptismum Christi, id est, verbis Evangelicis consecratum ubique eundem esse, nec hominum quorumlibet, & qualibet perversitate violari; hæc eadem profecto fuit consequentis, idest, Nicænæ Synodi definitio; adeoque verbis Evangelicis minime constabat ab ea reprobatus Paulianistarum baptismus. Si autem diversa fuit Arelatensis & Nicænæ Synodi sententia; quum utraque ad suam caussam orbem Christianum adjunxerit, utraque fuerit Christiani orbis Concilium; variavit ergo de eadem re Ecclesiæ universæ judicium; & quæ anno CCCXIV. in Synodo Arelatensi *secundum Scripturarum Sanctarum auctoritatem decrevit, etiam in hæreticis inventum Christi baptismum (idest, verbis Evangelicis consecratum) non esse improbandum : nec hominum quorumlibet, & qualibet perversitate violari* : paucis post annis, hoc est, anno CCCXXV. in magna illa Nicæna Synodo in Paulianistis *inventum Christi baptismum, idest, verbis Evangelicis consecratum*, statuit *esse improbandum*: & quorumdam *hominum perversitate violari*. Poteftne quidquam absurdius fingi, aut à Christiana gravitate alienius excogitari?

Quod autem de Paulianistis dictum est, idem quoque de Photinianis censendum. Nicæna enim Synodus *τῶν Παυλιανισάντων Paulianizantium* nomine non eos tantum hæreticos intellexit, qui Pauli impium dogma *ἀμύνων*, ac non alium ab eo sectæ magistrum ac ducem secuti tuerentur: sed qui exstinctum jampridem perfidiæ illius incendium paucis ante diebus iterum excitassent, & scelus imitarentur. Instauratæ impietatis auctor Marcellus Ancyranus pluribus visus est; quam tamen opinionem præstare nolim. Verum seu Marcellus, seu quivis alius sub ipsa Concilii Nicæni tempora nefariæ sectæ fundamenta jecerit,

cerit; constat ei deinde Marcelli discipulum Photinum supremam manum admovisse; ex eoque hujus hæresis sectatores, ut est apud Augustinum, Photinianos, quam vel ex Paulo Paulianos, vel ex Marcello Marcellianos celebrius fuisse nuncupatos. Hos itaque hæreticos, quibus postea male auspicatum nomen Photinus indidit, τῶν Παυλιανισάντων nomine. Quos Nicæna Synodus rebaptizari jussit, censendos esse, clara est & aperta Synodi alterius Arelatensis opinio: *Photinianos*, inquit, *sive Paulianistas secundum Patrum statuta baptizari oportet*. Quam vana est autem P. Harduini conjectura, qui Photinianorum baptismum integrum fuisse ariolatur, quia Bonosiacos ex eodem Photinianorum errore venientes in Trinitate fuisse baptizatos, eadem Synodus aperte testatur, *quis enim*, inquit, *in uno & eodem errore tingendi morem fuisse disparem ac discrepantem existimet*? Sed ut alia exempla præteream, quæ hujus conjecturæ vanitatem in medio ponerent, ea tantum leviter refricabo, quorum in præsenti Dissertatione mentio facta est. An non Ascodrupetæ ex eodem Valentinianorum errore venientes, baptismum omnino repudiarunt, licet Valentiniani suo quodam lavacro uterentur? An non Eunomiani ex eodem Arrianorum errore venientes trinam mersionem aboleverunt, licet Arriani Catholicum ritum integrum incorruptumque servaverint? An non in uno & eodem Bonosiacorum errore fuisse ostendimus qui Catholicos rebaptizarent; quum alii tamen ab hoc scelere temperarent? Te penitus obruerem, si obvia quæque producerem monumenta ex quibus planissime constat, sæpe in uno & eodem errore non solum tingendi, sed etiam cetera Sacramenta conficiendi morem fuisse disparem ac discrepantem.

Eodem modo quo laudata Synodus Arelatensis Nicænum Canonem S. Augustinus exposuit, ac τῶν Παυλιανισάντων nomine Photinianos, seu Photinianorum prodromos intellexit. (a) „ Pauliani à Paulo Samosateno Christum non semper fuisse di- „ cunt . . . . . Ista hæresis aliquando cujusdam Artemonis fuit: „ Sed cum defecisset, instaurata est à Paulo, & postea sic à „ Photino confirmata, ut Photiniani quam Pauliani celebrius „ nuncupentur. Istos sane Paulianos baptizandos esse in Eccle-

fia

(a) Libro de Hæres. cap. XLIV.

Digitized by Google

„ fia Catholica Nicæno Concilio constitutum est. Unde creden-„ dum est, eos regulam baptismatis non tenere &c. „ Quid clarius? Et habere se tamen putat Harduinus, unde sibi vel aliis persuadeat, ratum fuisse Augustino Photinianorum baptismum; sibique suffragari existimat hæc S. Doctoris verba lib. IV. de baptismo cap. XVI. „ Constituamus ergo duos aliquos „ isto modo, unum eorum V. G. id sentire de Christo, quod „ Photinus opinatus est, & in ejus hæresi baptizari extra Ec-„ clesiæ Catholicæ communionem; alium vero hoc idem senti-„ re, sed in Catholica baptizari, existimantem ipsam esse Ca-„ tholicam fidem. Istum nondum hæreticum dico, nisi mani-„ festata sibi doctrina Catholicæ fidei resistere maluerit, & il-„ lud quod tenebat elegerit; quod antequam fiat, manifestum „ est, illum qui foris baptizatus est esse pejorem. Itaque in hoc „ sola falsa opinio, in illo autem etiam ipsa divisio corrigenda „ est. Sed in neutro ipsorum Sacramenti veritas repetenda. „ Quid hic agitur, nisi ut Augustinus non solum sibi ipsi, sed etiam Concilii Nicæni decretis contraria statuisse credatur? Paulianizantium enim, atque isto nomine Photinianorum baptismum ex Synodi Nicænæ sententia repetendum esse, cum idem Augustinus aperte docet, tum ipse Harduinus variis argumentis confirmare nititur, quacunque demum ex caussa id fuerit à Patribus constitutum: verbis autem modo ex S. Doctore adlatis efficitur, ut non sit in Photinianis *Sacramenti veritas repetenda*. Qui possunt hæc invicem conciliari? nullo negotio, inquam; Augustinum modo, non ex nostro sensu, sed ex ipsomet & Augustino libeat interpretari: & quæ de Photinianorum baptismo data opera differit, his præferamus, quæ rem hanc penitus non adtingunt, & quæ bene se habent, seu legitimam & incorruptam baptismi formam, seu adulterinam & interpolatam Photiniani adhibuerint. Porro quæ in Libro de hæresibus de Photinianis & eorum baptismo S. Augustinus habet, adcurate ab eo, ut qui hoc ibi argumentum pertractat, cogitateque perscripta sunt. At vero in Libris de baptismo non id quæritur, quo baptismi genere vel Photiniani, vel alii hæretici usi sint; sed hoc agitur, ut nobis persuadeatur, *baptismum Christi, id est, verbis Evangelicis consecratum, ubique eundem esse, nec hominum quorumlibet, & qualibet perversitate violari*: quod

quidem argumentum postulabat, ut ex insanioribus quibusque sectis exempla peterentur; neque tamen quum eas in exemplum S. Doctor adducit, singularum ritus aut consuetudines præstare debet; sed earum baptismum promiscue generatimque tueri, qui tamen fuerit verbis Evangelicis consecratus. Itaque de omnibus, qui violati baptismatis invidia olim conflagraverunt, intelligo locutum esse S. Doctorem, quomodo de Marcionis baptismo Libro tertio loquutus est. *Si Evangelicis verbis in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Marcion baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum &c.* Ita si Photinus Evangelicis verbis baptismum consecrabat, non erat in Photinianis Catholicam ex ea secta properantibus Sacramenti veritas repetenda.

Præcipuum tamen opinionis suæ fundamentum in Athanasio collocat Harduinus: „ Quid, inquit, conjecturis opus, cum liquido prodat Athanasius, qui Synodo Nicænæ ipse interfuit, „ Manichæos, Phrygas, similiterque Samosateni discipulos, hoc „ est, Paulianizantes, quorum baptisma nihilominus respuitur, „ nomina tamen Sacrosanctæ Triadis perinde proferre solitos, „ atque Arianos? An vero ullus esse potest in hoc negotio fi„ delior eo teste, aut utique gravior? Μανιχαῖοι, ϰ̀ Φρύγες, ϰ̀ οἱ „ τοῦ Σαμοσατέως μαθηταί, τὰ ὀνόματα λέγοντες, οὐδὲν ἧττον εἰσὶν αἱρετικοί. *Manichæi, & Phryges, & Samosatensis discipuli, quamvis proferunt nomina, nihilominus sunt hæretici.*

Verumtamen si S. Doctoris verba penitus, & adtente perpendamus, eum omnino alienum ab Harduini opinione reperiemus: neque ullus hac de re supererit dubitandi locus, postquam integrum ejus textum huc more nostro fideliter adlatum diligenter fuerimus perscrutati: „ Itaque multæ quoque aliæ hæreses „ (a) nomina tantum pronunciant: verum cum recte non sen„ tiant, uti dictum est, nec sanam habeant fidem, inutilis est „ aqua quam donant, quippe cui desit pietas, itaut quemcun„ que illi adsperserint, impietate fœdetur potius, quam redi„ ma-

(a) Πολλαὶ γοῦν ϰ̀ ἄλλαι αἱρέσεις λέγουσαι τὰ ὀνόματα μόνον, μὴ φρονοῦσαι δὲ ὀρθῶς, ὡς εἴρηται, μηδὲ τὴν πίστιν ὑγιαίνουσαν ἔχουσαι ἀλυσιτελὲς ἔχουσι ϰ̀ τὸ παρ' αὐτῶν διδόμενον ὕδωρ λειπόμενον εὐσεβείας, ὥστε ϰ̀ τὸν ῥαντιζόμενον παρ' αὐτῶν ῥυπαίνεσθαι μᾶλλον ἐν ἀσεβείᾳ, ἢ λυτροῦσθαι. οὕτω ϰ̀ Ἕλληνες ϰ̀ οἱ θεὸν διὰ χειλέων λέ-

„ matur. Sic & ipsi Gentiles, tametsi Deum in ore habent, „ Deum tamen convincuntur non colere, quia illum, qui ve- „ rus & vere est Deus, Patrem scilicet Domini nostri Jesu Chri- „ sti non agnoscunt. Sic Manichæi, Phryges, & Samosatensis „ discipuli, quamvis proferunt nomina, nihilominus sunt hæ- „ retici. Sic etiam deinde hi qui cum Ario sentiunt, licet quæ „ scripta sunt recitent, & nomina pronuncient, eos tamen, „ qui ab illis accipiunt baptismum, decipiunt & eludunt. Propositum S. Doctoris est demonstrare inutilem esse & inanem Arianorum baptismum, licet in Patris & Filii & Spiritus-sancti nomine consecratum. Id vero probat hac generali ratione, quod sine recta sanaque in Deum fide non adsit vera pietas, & sine vera pietate inutilis sit ad salutem Divini Nominis invocatio. Ad communes hasce Christianæ Ethices ac Religionis notiones pertinent exempla cum Gentilium, qui tametsi Deum in ore habent, Deum tamen non colere convincuntur; tum Manichæorum, Phrygum, & Samosatensium, qui quamvis nomina proferant, nihilominus sunt hæretici. Quibus in verbis duo sunt quam diligentissime animadvertenda; primo, quod Manichæos, Phryges, & Samosatenses, seu Paulianizantes Gentilibus conjungit, eandemque sciscit de illis ac de Gentibus habendam esse rationem. Porro quamvis essent & sua Gentilibus baptismata (*nam in multis Idolorum sacrilegis sacris*, ut ait Augustinus, (*a*) *baptizari homines perhibentur*) de his tamen Athanasius non loquitur; cum id ne verbo quidem indicet; tum etiam quia Gentilem in exemplum adducit, cujus anima, ut loquitur Tertullianus (*b*) *licet falsis Deis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, Deum nominat, hoc solo nomine, quia proprio Dei veri.... non ad Capitolium, sed ad cœlum conversa Sedem Dei vivi*; quem tamen

---

γοντες, ἀθεότητος ἔχουσιν ἔγκλημα, ὅτι τὸν ὄντως ὄντα καὶ ἀληθινὸν θεὸν, οὐ γινώσκουσι τὸν Πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. οὕτω Μανιχαῖοι καὶ Φρύγες, καὶ οἱ τοῦ Σαμοσατέως μαθηταὶ, τὰ ὀνόματα λέγοντες οὐδὲν ἧττόν εἰσι αἱρετικοί. οὕτω καθ' ἑξῆς λοιπὸν καὶ οἱ τὰ Ἀρείου φρονοῦντες, κἂν ἀναγινώσκωσι τὰ γεγραμμένα, καὶ λέγωσι τὰ ὀνόματα, καὶ αὐτοὶ παίζουσι τοὺς λαμβάνοντας παρ' αὐτῶν. Orat. II. al. III. cont. Arian.

(*a*) Lib. VI. de Baptismo cap. XXV.

(*b*) Apolog. cap. XVII.

tamen vero cultu neutiquam prosequebatur Domini nostri Jesu Christi Patrem ignorans. At vero profana illa Gentium baptismata, neque veri Dei invocatione constabant, neque uni supremo Numini homines initiabant: *Sed enim*, inquit idem Tertullianus: (*a*) *Nationes viduis aquis sibi mentiuntur. Nam & sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus, aut Mithræ.... Certe ludis Apollinaribus, & Eleusiniis tinguntur* &c. Ad hæc igitur Gentium baptismata Athanasii verba referri nequeunt; neque adeo quæ de hæreticis subjungit, ad eorum qualemcumque baptismum. Quod ut apertius liqueat, animum præterea oportet advertere ad miram verborum ejus cautionem; non enim ait, Manichæos, Cataphryges, aut Paulianizantes nomina inter baptizandum, sicut Arianos, proferre; & quod nihilominus inutilem possident, sicut illi, & donant aquam; sed generatim & infinite, quod nomina proferunt, & nihilominus sunt hæretici: quæ duo certissima sunt: quis enim Christianus unquam videri voluit, nec aliquam sibi finxit Trinitatis imaginem, aut Patris & Filii & Spiritus-sancti nomina non in ore habuit? neque tamen inustam illis perfidiæ notam ea divinorum nominum qualiscumque invocatio delevit. In sole profecto caligat, qui in laudatis Athanasii verbis non advertunt, ὑπόθεσιν, ut ajunt Rhetores, ad θέσιν revocari. Ostensurus enim, frustra ab Arianis in baptismo divinarum personarum nomina invocari, hanc S. Doctor generalem propositionem assumit, quod sine integra rectaque fide frustra sit divini nominis invocatio; quod est, ut ajunt, à definita quæstione ad infinitam recurrere. Neque ob aliam caussam putandum est, quum eas hæreses nominaret, de baptismo siluisse, quam quia reapse compererat, quod *Paulianistæ*, ut ait Innoc. I., *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minime baptizabant*. Et sane tantum abest, ut Manichæi, qui primo loco appellantur, venerandis illis nominibus in baptismo uterentur, ut Augustino teste, qui omnia illius Sectæ mysteria noverat, baptismum omnino respuerint. *An vero ullus esse potest in hoc negotio fidelior eo teste, aut utique gravior?* Profecto si Manichæi, Cataphryges, & Paulianistæ, quos tanquam hæreticos, impios atheos ipsi quoque Ariani insectabantur, in nomine Patris,

(*a*) Lib. de Baptismo cap. V.

Digitized by Google

tris, & Filii, & Spiritus Sancti baptismum consecrassent, non eam rem Athanasius adeo dissimulasset, fortius inde in rem suam ducturus argumentum, & efficacius eorum exemplo demonstraturus, quod ipsi etiam Ariani nequicquam sibi plauderent de baptismo in Trinitatis nomine consecrato. Quod itaque præmittit, quod *multæ quoque aliæ hæreses nomina tantum pronunciant: verum cum recte non sentiant, inutilis est aqua quam donant &c.* non ad eas hæreses pertinet, quas postea nominatim prodit: Sed istarum exemplo confirmat, quod neque Arianis, neque aliis hæreticis prodest, aut satis est an salutem qualiscunque divini nominis invocatio.

Denique nec illud prætermittendum, quod Cyprianus etiam in simili caussa eodem quo Athanasius usus est argumento. Demonstrare enim volens, hæreticorum baptismati frustra divinum nomen obtendi, hypotesin ad thesin revocat, communiaque inculcat divini nominis invocationis principia: „ Non est „ autem, inquit, (*a*) quod aliquis ad circunveniendam Chri„ stianam veritatem, Christi nomen opponat, ut dicat: In no„ mine Jesu Christi ubicunque & quomodocunque baptizati, „ gratiam baptismi sunt consecuti, quando ipse Christus loqua„ tur & dicat: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, „ intrabit in Regnum Cœlorum &c. „ Quod certe specialiter ad eam divini nominis invocationem quæ fit in baptismo non pertinet. Quem locum imitatus Athanasius paullo superius dixit: (*b*) „ Baptismus, quem illi dare putantur, à vero baptismo „ alius est, tametsi nomen Patris & Filii, ut præcipit Scriptu„ ra, proferre assimulent. Non enim qui dicit Domine, ille „ etiam dat, sed is tantum, qui cum nomine rectam quoque „ habet fidem. „ An vero in Cypriani quoque sententiam de rebaptizandis hæreticis concesserit hoc loco Athanasius, alia quæstio est, à viris eruditis in utranque partem plurimum disputata.

De

(*a*) Epist. LXXIII. ad Jubajan.

(*b*) Ἄλλο μὲν οὖν τῆς ἀληθείας τὸ παρ' αὐτῶν νομιζόμενον δίδοσθαι, κἂν τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, διὰ τὸ γεγραμμένον ὀνομάζειν προσποιῶνται. οὐ γὰρ ὁ λέγων ἁπλῶς, κύριε, οὗτος καὶ δίδωσιν· ἀλλ' ὁ μετὰ τοῦ ὀνόματος καὶ τὴν πίστιν ἔχων ὀρθήν.

De Hæreticis ex Orientalis Ecclesiæ disciplina baptizandis.

PLures sub hoc titulo hæreticorum catervæ continentur, veluti Simoniani, Menandriani, Satuniliani, Basilidiani, Gnostici, Nicolaitæ, Carpocratitæ, Cerinthiani, Ebionæi, Valentiniani, Secundiani, Ptolemæi, Marcosii, Colorbasii, Heracleonitæ, Ophitæ, Cajani, Sethiani, Archontici, Cerdoniani, Marciones, Apellejani, Praxeani, Hermogeniani, ac similes pestes, à quibus duobus prioribus sæculis vexata fuit Ecclesia. Hos enim, iisque adfines Hæreticos, si ad Ecclesiæ Catholicæ sinum convolassent, ex pervulgata apud Orientales disciplina baptismate fuisse initiandos, ac veluti Gentiles suscipiendos, dubitare nos non sinunt plura quæ adhuc supersunt veteris ævi hac de re monumenta.

Concilium CP. primum Canone VII. hæreticos recipiendos in duas classes distribuit: & alios quidem omnem hæresim anathematizare jussit, & Sancto Chrismate consignari; alios autem etiam baptizari constituit. Sub primo genere continentur Arriani, Macedoniani, Novatiani, Tessaradecatitæ, & Apollinaristæ: ad secundam vero classem nominatim pertinent Eunomiani, Montanistæ, seu Phryges, & Sabelliani, & promiscue *aliæ omnes hæreses, quoniam*, inquiunt Patres, *hic multi sunt hæretici, & maxime qui ex Galatarum regione veniunt; quicunque ex his rectæ fidei adscribi volunt, ut Græcos admittimus &c.* καὶ τὰς ἄλλας πάσας αἱρέσεις, ἐπειδὴ πολλοί εἰσιν ἐνταῦθα, μάλιστα οἱ ἀπὸ τῆς Γαλατῶν χώρας ἐρχόμενοι, πάντας τοὺς ἀπ' αὐτῶν θέλοντας προστίθεσθαι τῇ ὀρθοδοξίᾳ, ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα &c. Non me latet, viros quosdam eruditos hunc Canonem Concilio CP. abjudicare: at pro gemino communius haberi (*) video. Certe nulla hic hæresis memoratur

(*) Conc. I. CP. tribuunt de Marca in Not. ad Conc. Clarom. Morinus lib. IX. de Pœnit. c. IX. Thomassin. Dissert. II. in Synod. de hæretic. bapt. n. XLIII. Du Pin. To. II. Biblioth. nov. PP. Benedictin. in Not. ad Ep. LXVII. Greg. M. lib. XI. & alii χριστιανώτατοι, & emunctissimæ naris homines.

illo ævo posterior: & ante exortas hæreses Nestorianam atque Eutychianam conditum esse verisimile est, quia posteaquam prædictæ hæreses caput orco extulerunt, alia hæreticorum adhibita divisio est, & superioribus additi sunt, qui neque novo Baptismo, neque Chrismate indigebant; sed sola ab eis pristini abdicatio erroris exigebatur. Ut ut sit, non enim vacat in præsentiarum in hanc controversiam operosius inquirere, sancitam hoc Canone disciplinam Græcia universa ab antiquis temporibus adoptavit: & post Nestorium atque Eutychetem solennis evasit trimembris illa hæreticorum divisio, quorum aliis per Baptismum, alii per unctionem Chrismatis, alii per solam hæreses abdicationem susciperentur: atque ea quidem distributio Ecclesiæ quoque Occidentali probata est; verum quoad hæreticos baptizandos generatim; hæreticos enim, qui non in nomine Trinitatis fuissent baptizati, esse iterum abluendos generatim edixisse contenta, ab eorum amplissimis Catalogis digerendis semper abstinuit. Secus apud Orientales factum est, & eorum qui baptizandi erant, semper ampliores, seu magis digesti indiculi prodierunt. Concilium Nicænum solos Paulianistas rebaptizandis nominatim adcensuit, eoque nomine de aliis etiam promiscue constituisse visum est, qui Paulianistarum in depravanda baptismi forma scelus imitarentur: unde Synodus Laodicena Paulianistis addidit Cataphrygas; Synodus autem CP. prior, quæ est secunda œcumenica Sabellianis seu Paulianistis, & Montanistis seu Cataphrygibus, Eunomianos adjunxit, & generatim quascumque alias hæreses, præter illas, ut videtur, quæ in priore membro fuerant recensitæ. Canon ista secundæ Synodi œcumenicæ in Quinisexta seu Trullana n. XCV. repetitus est, & confirmatus; nihilque in eo quod ad ejusmodi hæreticos pertinet, adjectum, imminutum, & explicatum: eodemque modo se habent antiquissima Græcorum Euchologia apud Illustrissimum de Marca in Not. ad Conc. Clarom. & apud Morinum lib. IX. de Pœnit. Tantum in eis adduntur Manichæi, & verba illa generalia secundæ Synodi, & Quinisextæ *κ̀ πάσας τὰς ἄλλας αἱρέσεις*, *& alias omnes hæreses*, exponuntur, uti par erat, de aliis omnibus hæresibus, quæ prædictarum impietatem in adulteranda, ut deinceps videbimus, baptismi formula imitarentur. Subjiciam verba Græci Euchologii apud laudatum de

Marca (*a*) „ Eunomianos vero, qui una immersione baptizan-
„ tur, & Montanistas, qui Phryges appellantur, & Mani-
„ chæos, & Sabellianos, qui eundem esse Patrem cum Filio
„ docent, & alia quædam indigna committunt, & omnes simi-
„ les hæreses, seu illos, qui ab iis discedentes ad veritatem ac-
„ cedere volunt, velut Gentiles recipimus. Has hæreses clarius indigitat Theodorus Studita celebri de hoc argumento ad Naucratium Epistola (*b*) ***Baptizantur***, inquit, ***Marcionistæ***, ***Tascodrugitæ***, ***Manichæi***, ***& quæ sunt ejusdem ordinis***, ***usque ad Melchisedechitas XXV. hæreses***; id est, usque ad vigesimamquintam earum, quæ post in Domini Passionem, & in Cœlos Ascensionem, eruperunt, in Epiphanii Panario, quot ferme superius enumeravi, atque in Timothei scripto suis nominibus appellantur, quibus iste ex suo crediderim, non ex Orientalis Ecclesiæ sensu Pelagianos addit seu Celestianos.

Quæ cum ita sint, gravissima emergit difficultas, cur prædictos hæreticos voluerint Græci, quum ad Catholicam fidem ejurata hæresi accederent, baptizari. Sunt qui respondent, Græcos in eis reipsa Christi baptismum legitima cum materia, tum forma constantem iterasse, nec perfecte unquam inolitum ab antiquis usque temporibus errorem, & inveteratam rebaptizandi hæreticos consuetudinem Orientales abjecisse. Ita præter Harduinum, Thomassinus (*c*) & alii. Hæc diu equidem me controversia torsit, ac solicitum habuit, neque tamen impetrare à me potui, ut laudatis Theologis consensum accomodarem, & certis tandem indiciis mihi adsequutus esse videor, alienam omnino fuisse ab errore rebaptizantium in iis decretis condendis Ecclesiam Græcam; neque alios mystico lavacro initiari jussisse, nisi quos, vel nullo modo, vel aqua tantum spuria & adultera, rituque profano ablutos fuisse judicavit.

Pri-

(*a*) Εὐνομιανοὺς μέντοι τοὺς εἰς μίαν κατάδυσιν βαπτιζομένους, ϗ Μοντανιστὰς τοὺς λεγομένους Φρύγας, ϗ Μανιχαίους, ϗ Σαβελλιανοὺς υἱοπατορίαν διδάσκοντας, ϗ ἕτερα χαλεπά τινα ποιοῦντας, ϗ πάσας τὰς τοιαύτας αἱρέσεις ἤγουν τοὺς ἀπ' αὐτῶν θέλοντας προστίθεσθαι τῇ ἀληθείᾳ, ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα.

(*b*) Βαπτίζονται μὲν γὰρ Μαρκιωνισταὶ, Τασκοδρουγγοὶ, Μανιχαῖοι, ϗ οἱ σύστοιχοι αὐτῶν ὁμοῦ ἕως τῶν Μελχισεδεκιανῶν, αἱρέσεις εἰκοσιπέντε. Lib. 1. Epist. 40. edit. Sirmondi.

(*c*) Differt. II. ad Synod. de Bapt. Hæret.

Primùm enim ſi animum adverterimus ad hæreticos, qui ex communi ac pervulgata Orientalis Eccleſiæ diſciplina baptizandi erant, duo nobis eorum genera occurrent. Primum genus erat eorum, à quibus tum maxime infeſtabatur Eccleſia, qui ferme omnes tribus hiſce ſpeciebus continentur, Eunomianorum, Paulianizantium, Manichæorum. In ſecundum vero genus conferre eos poſſumus, quorum vel tum ſola ſupererant in ſcriptis Patrum infauſta nomina, vel communicatis cum aliis ſectis, quæ tum magis obtinebant, erroribus, initaque perfidiæ ſocietate, earum potius nominibus appellabantur. Hæreticorum primi generis baptiſmum jure fuiſſe rejectum, jam nobis eſt ſuperius demonſtratum. Unde tota nunc eſt de altero genere controverſia, in quod vetuſtiores hæreticos conjeci, qui duobus prioribus ſæculis ipſa prope naſcentis Eccleſiæ incunabula infeſtarunt.

Duplex de his circumfertur eruditorum hominum extrema ſententia, altera omnium ferme baptiſmum adprobat, altera rejicit. Primam ſequuntur Harduiuus, & Thomaſſinus, ſecundam vero tuentur Du-pin To. 1. Biblioth. Novæ in Notis ſubjectis ad Summarium Vitæ & Operum Cypriani lit. e. his verbis: „ Nulli fere erant hæretici ante Stephanum, qui in nomine „ Trinitatis baptizarent: & Beveregius in Cod. Canon. Primitivæ Eccl. illuſtrato, cap. VI. n. IV. ubi ex quibuſdam Cypriani verbis deducit: „ iſtius ſeculi (quo Cyprianus vixit) hære„ ticos in Deum Patrem blaſphemaſſe; ac propterea baptiſmum „ non in adunata Trinitate, ſed tantum in nomine Chriſti, „ qui pro nobis mortuus eſt, adminiſtraſſe. Et cap. XII. n. V. eandem ſtatuit priſcorum omnium hæreticorum, eorumque baptiſmatis, ac de Pauliniſtis habendam eſſe rationem; *Παυλιανίζοντας* autem, alioſque ſub eo nomine adfines hæreticos comprehenſos, in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti baptizaſſe negat, adeoque ipſorum baptiſmum fuiſſe à Nicænis Patribus jure meritiſſimo reprobatum. „ Et ſiquidem, ſubjungit, Patres „ Nicæni hoc de Paulianiſtis decretum ediderint, nemini du„ bium eſſe poteſt, quin omnes etiam antiquos hæreticos, ut „ Valentinianos, Baſilidianos, Marcioniſtas, Cerinthianos, Do„ ſitheanos, Carpocratianos, Cataphrygas, Quintillianiſtas, Pra„ xeanos, Hermogenianos, alioſque, qui duobus prioribus

Digitized by Google

„ Christianismi seculis Paulianistis similes, vel, si fieri potuit,
„ pejores de Deo Christoque opiniones effutiebant, Synodus
„ Nicæna nominatim baptizandos pronunciasset, si istis iterum
„ diebus erupissent. Eadem enim fuit de omnibus istiusmodi
„ hæreticis eorumque baptismo, quæ de Paulianistis ratio. Nemo non videt, quam hæc sint meis rationibus accommodata. Et siquidem res conjecturis agatur, hæ meum propemodum consensum extorquent. Quis enim non in suum facile inducet animum, homines semi-christianos, imo nihil fere moribus, opinionibus, conversatione ab Ethnicis discrepantes, qui portentosa de Deo divinisque rebus dogmata disseminarunt; qui sacros Codices ad arbitrium interpolarunt, lacerarunt, inverterunt, aut omnino abjecerunt, aliis in eorum locum suppositis profanis ac nugacibus libris; qui sacros ritus fœdissime violarunt, ac pro inlibatis castissimisque Ecclesiæ sacris, turpia, polluta, ac memoratu indigna mysteria in usu habuerunt; qui denique, ut paucis omnia complectar, quamdam sibi propriam Christianismi speciem commenti sunt, qua nihil confingi possit ab Evangelica doctrina, morum gravitate, disciplinæque sanctitate magis dissonum aut alienum; Quis, inquam, non sibi facile persuadeat, homines improbos ac temerarios, qui omnia susdeque verterunt, nec regenerationis Sacramento pepercisse, quominus illud suis figmentis contaminarent? quid enim illos prohibuisset? num lex Evangelica? sed Marcion E. G. Matthæi Evangelium, quo lex baptismi posita est & forma præscripta repudiabat. Num Ecclesiæ Catholicæ consuetudo? sed ille non minus Ecclesiam, quam Synagogam adspernabatur, utpote Deo Creatori mancipatam. An non est ergo proclive id credere, quod si Marcion in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti baptismum consecrabat, alium se tamen Deum Patrem credere profiteretur, aliam Trinitatem, quam quæ à nobis colitur, invocare? Unde Cyprianus epist. LXXIII. ad Jubajan. „ Numquid hanc Trini-
„ tatem Marcion tenet? numquid eundem adserit, quem & nos
„ Patrem Creatorem? numquid eundem unum Filium Christum
„ de Maria Virgine natum, qui sermo caro factus sit &c. lon-
„ ge alia est apud Marcionem, sed & apud ceteros hæreticos
„ fides; imo nihil est apud illos nisi perfidia, & blasphemia,
„ & contentio sanctitatis & veritatis inimica. Sed hæc, inquis,

ad

ad interrogationem pertinent, & fidei confeffionem, quæ baptifmum præcedebat. At quo demum argumento demonftrabis, homines poft hominum memoriam audaciffimos aliqua religione fuiffe prohibitos, ne in ipfam baptifmi formam blafphemias fuas infarcirent?

Dixi tamen, nec fine cauffa, fi Marcion in nomine Patris &c. baptifmum confecrabat &c. Videtur enim vero perquam fimillimum, quod Beveregius ait, ipfum aliofque ejufdem furfuris hæreticos in folo Chrifti nomine baptizaffe. Et Beveregius quidem hanc opinionem ex Cypriano in hunc modum deducit: „ Si rationem quæramus, qua in hanc opinionem *de rebaptizandis hæreticis Cyprianus* inductus eft, huc fere redit, quod iftorum temporum hæretici non in nomine Patris & Filii & Spiritus-fancti, juxta quod à Domino præfcriptum eft, fed tantum in nomine Chrifti pro nobis mortui baptizare folerent. „ Cum ergo, *inquit*, ex ipfius Chrifti prædicatione & conteftatione Pater ante cognofcendus fit qui mifit, tum deinde Chriftus qui miffus eft, nec poffit effe fpes falutis nifi duobus fimul cognitis, quomodo non cognito, imo & blafphemato Deo Patre, qui apud hæreticos Chrifti nomine baptizati dicuntur, peccatorum remiffionem confecuti judicantur? *Et paucis interjectis*. Denique ubi poft refurrectionem, à Domino Apoftoli ad Gentes mittuntur, in nomine Patris & Filii & Spiritus-fancti baptizare Gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt, foris extra Ecclefiam, imo & contra Ecclefiam modo in nomine Jefu Chrifti, ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum remiffionem peccatorum confequi poffe, quando ipfe Chriftus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate? Cyprian. epift. LXXIII. ad Jubajan. „ Eadem fere repetit in Epift. ad Pompejum, & paffim alibi. „ E quibus conficitur, iftius feculi hæreticos in Deum Patrem blafphemaffe, ac propterea baptifmum non in adunata Trinitate, fed tantum in nomine Chrifti, qui pro nobis mortuus eft, adminiftraffe. Hæc citatus Auctor. At ego ex laudatis Cypriani verbis aliud deduco argumentum. Enimvero conftat, eos, qui pro hæreticorum baptifmo contra Cyprianum fcripferunt, fummopere contendiffe, ut eorum quoque baptifmus ratus haberetur, qui fuiffent apud hæreticos in folo Chrifti nomine

mine baptizati. Hujus opinionis fuisse videtur auctor Epistolæ, cujus exemplum Jubajanus ad Cyprianum transmisit, & quam S. Martyr in Epistola ad eundem Jubajanum data refellit. Illius Epistolæ incertum Auctorem quidam ducti argumenti similitudine Stephanum Rom. Pontificem crediderunt, & eandem omnino Epistolam esse, quam ad ipsum Cyprianum idem Stephanus dedit, quæ prius in Jubajani, quam in S. Martyris manus pervenerit. Verum nec ratio locorum patitur, ut prius ad Jubajanum remotioris Africæ, ut videtur, Episcopum, (*) ut qui nulli ex tribus Synodis Carthagine celebratis adfuerit, sed Cyprianum de hac quæstione per litteras consuluerit, quam ad Cyprianum Stephani litteræ pervenirent: nec ratio temporis quo Jubajani litteras Cyprianus accepit, statim ferme post Concilium Secundum Carthaginense permittit, ut tum Stephani rescripta Jubajanus acceperit, quum Stephanus non ante se huic controversiæ immiscuerit, quam Synodicas prædicti Concilii litteras accepisset. Sed neque Cyprianus Stephani nomen occultasset, si ejus esse scivisset: neque bilem tanta lenitate in hac ad Jubajanum epistola dissimulasset, qua postmodum veris Stephani acceptis litteris exarsit, quamque totam in Epistola ad Pompejum effudit. Incertum itaque prædictæ Epistolæ Auctorem pro baptismo in solo Christi nomine ab Hæreticis administrato pugnasse, constat ex laudatis S. Martyris verbis, quibus hanc illi & quibusdam aliis opinionem manifestissime tribuit: *Quomodo ergo quidam dicunt* &c. Apertius in eadem opinione versatur Auctor Tractatus de non baptizandis denuo, *qui semel in nomine Domini nostri Jesu Christi sint tincti*, quem Cypriano supparem aut coævum fuisse multorum opinio est: facit autem ejus testimonium, ne S. Martyr nobis hac in re imponere voluisse credatur. In eo enim laudati Auctoris industria tota versatur, ut evincat non esse repetendum baptisma, quod semel fuerit

(*) Joh. Fellus in Not. ad Epist. LXXIII. Cypriani hæc habet „ Jubajanus ex nomine Maurum se præfert . . . . Certe „ si Jubajanus Africæ Proconsularis aut Numidiæ fuisset Episco- „ pus; minime esset opus, ut Cyprianus ipsum de Synodo LXXI. „ Episcoporum Africæ Provinciæ & Numidiæ certiorem red- „ deret.

Digitized by Google

fuerit apud Hæreticos in nomine Jesu susceptum. Hinc nihil aliud in toto illo tractatu, quam Jesu nomen inculcat, iis etiam de industria selectis locis, in quibus Apostoli in nomine Jesu baptizasse perhibentur. Quorsum vero studio verbisque adeo affectatis, ubi de baptismo agitur, qui debet in Trinitatis nomine consecrari, ubique Jesu nomen ingereret, & hujus invocationem nominis commendaret, nisi suadere vellet, nomen Jesu satis esse ad hujus Sacramenti consecrationem? Et quorsum in hoc unum cum ipse, tum Epistolæ superioris Auctor incumberet, nisi consuetudo tum temporis apud hæreticos invaluisset, baptismum in solo Jesu nomine peragendi? Sed quid conjecturas sequor, quum clarissimum exstet apud laudatum Auctorem utriusque rei testimonium? semel tantum in illo libro Trinitatis meminit, & consuetæ baptismi formæ; sed tum potissimum aperit, & quæ fuerit baptismi hæreticorum usitatior forma; & qua ipse mente defendat, non esse repetendum baptismum in nomine Jesu apud hæreticos, & ab hæreticis celebratum. „ Nec „ æstimes, *inquit*, huic tractatui, quo nempe defenditur baptis- „ mus in nomine Jesu peractus, contrarium esse quod dixit Do- „ minus: Ite, docete Gentes, tinguite eos in nomine Patris & „ Filii & Spiritus-sancti. Quia cum hoc verum & rectum, & „ omnibus modis in Ecclesia observandum sit, & observari quo- „ que solitum sit; tamen considerare oportet, quod invocatio „ nominis Jesu non debet nobis futilis videri propter venera- „ tionem, & virtutem ipsius nominis, in quo nomine virtutes „ omnes solent fieri; & nonnunquam aliquæ etiam ab homini- „ bus extraneis. In Ecclesia, non apud hæreticos, ait, observari solitum, ut in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti Gentes tinguerentur. Quamvis autem id observandum omnino sit; invocatio tamen nominis Jesu facta ab hæretico super baptismum futilis, aut quasi inutilis repetenda non est, quia virtutes omnes in hoc nomine fieri solent, etiam ab extraneis, etiam ab his, qui operantur iniquitatem. Quod idem valet, ac si dixeris, illicite quidem, attamen valide baptismum in Christi nomine celebrari: quemadmodum si quis modo Theologus statuat, omnibus quidem modis in Ecclesia esse observandum, ut super Calicem singula proferantur verba, quæ in Latinis Missalibus præscribuntur; attamen non esse contemnendam, & tan-

quam

quam futilem rejiciendam priorum tantum verborum *hic est Calix Sanguinis mei*, prolationem propter venerationem & virtutem ipsorum verborum, quibus vini in Christi Sanguinem conversio significatur. Sic prorsus Ursinus ait (Ursino enim præsens Tractatus in Vaticano Codice tribuitur) proferenda quidem esse super baptismum trium Personarum nomina; attamen non esse contemnendam, nec tanquam futilem abjiciendam Christi nominis solitariam invocationem, quod in hoc nomine virtutes omnes fieri soleant, & nonnunquam ab extraneis etiam, & inimicis. In quam etiam sententiam Auctor Epistolæ, quam Jubajanus transmisit ad Cyprianum videtur statuisse: *nec ab ipso* (Marcione) *venientes baptizari oportere, quod jam in nomine Jesu Christi baptizati esse viderentur*.

Non est autem, quod aliquis hanc eis opinionem adhæsisse miretur, quum & Nicolaum I. & Algerum, & Magistrum Sententiarum, aliosque primi subsellii Theologos eandem postmodum amplexos esse sciamus: Sed de his satis.

Aliam nunc proferam conjecturam, ob quam videri possunt Græci, non injuria de priscorum hæreticorum baptismate dubitasse. Si originem controversiarum, quæ de rebaptizandis hæreticis, quæ olim Ecclesiarum pacem turbarunt, animo revolvamus, eas tum primum, aut potissimum cum in Africa, tum in Oriente exarsisse comperiemus, quum hæretici emerserunt, qui non male de Trinitate sentientes Catholicam baptismi formulam usurpabant. In Africa quidem ad Agrippini ætatem harum dissensionum initia revocat Cyprianus laudata sæpius ad Jubajan. Epist. „ Apud nos autem non nova, aut repentina res est, ut baptizandos censeamus eos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam veniunt, quando multi jam anni sunt, & longa ætas, ex quo sub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Episcopi plurimi hoc statuerint &c. „ Quo præcisè tempore Agrippinus vixerit, ignoratur. Sed quum longa ætas, & multi anni inter ipsum, & Cyprianum intercesserint, non utique censendi sunt, citius quam par est, ejus epocham consignare, qui eum putant, vel labente secundo seculo, vel tertio ineunte floruisse; quo tempore Montanistarum hæresis violentius in Africa grassabatur. In Oriente autem ob eandem Montanistarum hæresim de hæreticorum baptismo pri-

primum fuisse disceptatum, & in Iconiensi Concilio definitum, ut omnium promiscue hæreticorum baptismus iteraretur, narrat Firmilianus Epist. inter Cyprianicas LXXV. „ Plane quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant, qui etsi novos „ Prophetas recipiunt; eosdem tamen Patrem & Filium nosse „ nobiscum videntur; plurimi simul convenientes in Iconio di- „ ligentissimè tractavimus, & confirmavimus, repudiandum „ esse omne omnino baptisma, quod sit extra Ecclesiam con- „ stitutum. „ Quo definite anno hæc Synodus, sicuti & Synnadensis, quarum mentionem facit Dionysius Alex. (*a*) fuerint celebratæ, incassum quæritur. Certum tamen est, eas ad Stephani tempora, quod putavit Card. Baronius, minime pertinere; imo ab ejus Pontificatu longe esse removendas, & in multo vetustiora tempora retrahendas. Dionysius enim in Epist. ad Philemonem Rom. Ecclesiæ Presbyterum, non longe post Stephani martyrium data, ita de prædictis Synodis loquitur: (*b*) „ Illud præterea didici, non ab Afris solis hunc morem nunc „ primum invectum fuisse: sed & multo antea, superiorum „ Episcoporum temporibus, in Ecclesiis populosissimis, & in „ Conciliis apud Iconium & Synnada, & apud alios plurimos „ idem sancitum fuisse. „ Quibus verbis apertè significat, longè ante Xysti adeoque & Stephani Pontificatum habitas fuisse has Synodos: nam sub initia Pontificatus Xysti laudata Epistola scripta est. Vid. Henric. Valesius in Not. Euseb. lib. VII. Cap. VII. n. 1. Quæ verò hisce motibus, & contentionibus, & Synodis occasio fuit? Cur res, de qua nullus antea cogitaverat, tam multos hoc tempore solicitos habuit, tantosque tumultus excitavit? Quid novi accidit, aut inopinati, quod Præsulum, & Sacerdotum, & Populorum animos in varios ac discrepantes sensus distraherent? Illud profecto, quod prius quum rari essent hæretici, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptismum consecrarent, in omnibus ferme qui ad Ecclesiam revertebantur, Sacramentum repetebatur. Circa

O alios

(*a*) Epist. ad Philemon. apud Euseb. lib. VII. cap. VII.

(*b*) Μεμάθηκα καὶ τοῦτο, ὅτι μὴ νῦν οἱ ἐν Ἀφρικῇ μόνοι τοῦτο παρεισήγαγον, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους, ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις. καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν ἐν Ἰκονίῳ καὶ Συννάδοις, καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν.

alios verò, qui fuissent in Trinitatis nomine abluti in celebrioribus Ecclesiis, & Romana præsertim, Traditio Apostolica frequentius servabatur, quum aliæ interim ab ea forsitan deflexissent. Sed quum rari, ut jam dixi, ejusmodi hæretici occurrerent, tranquille res agebatur; & circa paucos illos, vel suo unusquisque regebatur arbitrio, vel iis quæ à Majoribus acceperat, institutis. Quum autem ob Montanistarum sectam, quorum una erat cum Catholico de Trinitate sententia, eorum numerus auctus esset, qui Ecclesiæ formulam usurpabant, res eo evasit, ac talis merito habita est, ut in eam diligentius inquireretur: Quod solicitiori adhuc cura, & cumulatiori studio præstitum est, quum Novatianis in Ecclesiam irrumpentibus, nova ad hæreticos rite baptizantes accessio facta est. Nam propter Novatianos, qui legitima forma utebantur, iterum de hæreticorum baptismo sub Cypriano actum esse, constat ex ejus ad Magnum Epistola LXIX. al. LXXVI. quæ prima de hoc negotio scripta à S. Martyre est „ Pro tua, *inquit*, religiosa „ diligentia consuluisti mediocritatem nostram, Fili carissime, „ an inter ceteros hæreticos, eos quoque, qui à Novatiano ve„ niant, post profanum ejus lavacrum baptizari & sanctificari „ in Ecclesia Catholica, legitimo, & vero, & unico Ecclesiæ „ baptismo oporteat. Et infra, unde hæc Magno dubitandi, & de hac re consulendi occasio oborta sit, his verbis apertissime indicat „ Quod si aliquis illud opponit, ut dicat, eandem No„ vatianum legem tenere, quam Catholica Ecclesia teneat, eo„ dem Symbolo quo & nos baptizare; eundem nosse Deum Pa„ trem, eundem Filium Christum, eundem Spiritum-Sanctum, „ ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizandi posse, „ quod videatur in interrogatione baptismi à nobis non discre„ pare: sciat, quisquis hoc opponendum putat &c. Cur novis hæreticis suborientibus, qui baptismum in nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti peragerent, aut primum erumpunt, aut novæ pullulant de hæreticorum baptismo controversiæ, nisi quia tum primum hæretici visi sunt, aut magno numero fruticarunt, qui rite baptismum administrarent?

Hinc ratio reddi optima potest, quare non ii tantum, qui reapse Apostolicam Traditionem, eum solum adprobando baptismum, qui fuisset ab hæreticis in Trinitatis nomine consecra-

tus

tus sequebantur ; sed etiam qui ab illa manifeste desciverant , vel omnium rejiciendo , vel omnium adprobando hæreticorum baptismum , antiqua , & ex ipso Apostolorum ævo ducta consuetudine niterentur . Apostolicam consuetudinem obtendebat Stephanus (*a*) & quidquid hæretici , & Novatores obganniant , hæc illi merito pro hasta erat & clypeo , nam pro Traditione reapse Apostolica decertabat . Quamvis enim ad Cyprianum scripserit , ut *à quacunque hæresi* venientes sine novo baptismo reciperentur , ex Firmiliano tamen manifeste colligimus , ex toto Epistolæ contextu facile intelligi potuisse, generalem illam propositionem , ad eas hæreses esse restringendam , quæ legitimam verborum formulam neutique usurpabant . *Illud quoque absurdum* , verba sunt Firmiliani de Stephano ejusque Asseclis ,, quod non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptizaverit , eo quod qui baptizatus sit , gratiam consequi potuerit , invocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus-Sancti . Jactabat etiam antiquam , & ab Apostolicis temporibus repetitam consuetudinem idem Firmilianus: ,, Nos , *inquit*, veritati & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem sed veritatis opponimus : ab initio hoc tenentes quod à Christo & ab Apostolo traditum est . Nec meminimus , hoc apud nos aliquando cœpisse , cum semper istic observatum sit , ut non nisi unam Dei Ecclesiam nossemus , & Sanctum baptisma non nisi Sanctæ Ecclesiæ computaremus . Consuetudo quidem erat Ecclesiæ , ut rebaptizarentur hæretici , sed consuetudo ista ad solos hæreticos pertinebat, qui duobus prioribus seculis grassati sunt , qui plurimum legitima forma non utebantur : alioquin unde illa , invalescentibus Montanistis, de illorum baptismate , multorum dubitatio ? unde huic dirimendæ controversiæ , ac sedandis dissensionibus plurium Synodorum necessitas, de quibus statim loquitur , (*) si consuetudo quam Firmilianus venditat, ad omnes hæreticos pertinebat etiam qui Catholicum ritum servabant ? Sed quum sciret in omnium fere hæreticorum in Ecclesiis iterari baptismum,quod ritum Catholicum vel detractione vel additamento sa-

O 2 cri-

(*a*) Apud Cyprian. Epist. LXXIV. ad Pomp.
(*) Vid. sup.

crilego polluissent, aliam ille commentus est hujusce consuetudinis rationem, quæ omnes omnino hæreticos complecteretur. Eadem ferme ratione & qui omnium hæreticorum baptismum adprobabant, quamvis contra Evangelicam disciplinam in solo Jesu nomine celebratum, Apostolica Traditione nitebantur (*) Quum enim optime scirent, baptismum in Trinitatis nomine ab hæreticis collatum non esse iterandum, & nihil ad baptismi valorem referre existimarent, sive in nomine Jesu, sive in Trinitatis nomine perageretur, consuetudinem, quæ ad baptismum in plena & adunata Trinitate celebratum pertinebat, ad illum etiam, qui in nomine Jesu ab hæreticis, peragebatur pertinere judicarunt.

Hæc quidem mihi videntur haud improbabiliter disputata. Verumtamen ad ulteriora antequam festinet oratio, duo sunt mihi, aut tres obices removendi. Primo enim, si nulli ante Stephanum erant hæretici, qui in Trinitatis nomine baptizarent, Stephanus qui *à quacumque hæresi venientes* noluit iterum ablui, eorum etiam videtur adprobasse baptismum, qui sine legitima forma illum administrarent. Secundo Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos conceptis verbis negat, antiquos hæreticos fuisse ab Apostolis, vel eorum successoribus rebaptizatos, atque adeo rite ab eis hoc Sacramentum peragebatur. „ Apostolis „ adhuc in seculo superstitibus, adhuc apud Judæam Christi „ Sanguine recenti, phantasma Domini Corpus adserebatur.... „ Tunc Simon Magus, & Menander discipulus ejus, Dei se „ adseruere virtutes: Tunc Basilides Summum Deum Abraxas „ cum 365. Editionibus (Aeonibus) commentatus est: Tunc „ Nicolaus &c. Taceo de Judaismi hæreticis .... ad eos venio „ hæreticos, qui Evangelia laniaverunt. Saturninum quendam, „ & Ophitas, & Cainæos, & Setthoitas, & Carpocratem, & „ Cerinthum, & hujus successorem Ebionem, & ceteras pestes: „ quorum plurimi vivente adhuc Johanne Apostolo eruperunt, „ & tamen nullum eorum legimus rebaptizatum. Tertio, veteres qui hæresum Catalogos digesserunt, & pravas uniuscujusque Sectæ opiniones, corruptos mores, fœdam & ludicram disciplis-

(*) Vid. Auctor. Epist. quam Cyprian. refellit Epist. ad Jubajan. & Auctor. Tractat. de Baptismo hæretic.

ſciplinam litteris conſignarunt, ut Irenæus, Epiphanius, Auguſtinus, Theodoritus, & alii, paucos duntaxat veterum hæreticorum violati baptiſmatis inſimularunt, qui profecto ceteris non peperciſſent, ſi communia omnibus hæc diſciplinæ adulteria fuiſſent.

Reſp. quod primum argumentum Dupinius adverſus Stephanum urget, quo reapſe probet, SS. Pontificem *in ſententiam à mente Cypriani nimis remotam abiiſſe* „ Nulli, inquit, fere erant „ hæretici ante Stephanum, qui in nomine Trinitatis baptiza- „ rent, vana igitur fuiſſet quæſtio de re, quæ non eſſet in uſu, „ ſi controverſiam moviſſent, num eſſent rebaptizandi ii, qui „ ab hæreticis in nomine Trinitatis baptizati erant; cum nulli „ fere hæretici eo modo baptizarent. Hactenus Dupinius, (*a*) qui pro ſua Rom. Pontifices calumniandi libidine non advertit, quam contra manifeſtam veterum traditionem adſereret, nullos fere ante Stephanum fuiſſe hæreticos, qui in nomine Trinitatis baptizarent. An non Stephanum Montaniſtæ integro ferme ſeculo præceſſerunt? Vetuſtiores autem Montaniſtas, eos ſaltem qui κατὰ πρόκλον dicebantur, nihil in baptiſmi forma turbaſſe, teſtes idonei ſunt Tertullianus (*b*), Firmilianus (*c*), & qui eorum baptiſmum adprobavit Magnus Dionyſius Alexandrinus (*d*) Ecquid dicam de Novatianis? an non illi ante Stephani Pontificatum non Romanam ſolum & Africanam, ſed omnes etiam Orientis Eccleſias turbaverant, ut colligitur ex Epiſt. Dionyſ. Alex. ad Stephanum, qua illi de inſtaurata nuper ob damnatam Novatiani hæreſim harum Eccleſiarum pace gratulatur? „ Scias „ autem, Frater (*e*) cunctas per Orientem, & ulterius poſitas „ Eccleſias quæ prius erant diſciſſæ, nunc tandem ad unitatem „ reverſas eſſe: & omnes Eccleſiarum ubique Antiſtites unum „ idemque ſentire, & ob redditam inſperato pacem incredibili „ gaudio exultare: Demetrianum ſcilicet Epiſcopum Antiochiæ, „ Theo-

(*a*) In Not. ſubject. ad res geſtas, & Opera Cypriani l. c.
(*b*) Lib. contr. Praxean. cap. 26. & 30.
(*c*) Epiſt. ad Cyprian.
(*d*) Apud Baſil. Epiſt. Canon. ad Amphiloch.
(*e*) Ἴσθι δὲ νῦν ἀδελφὲ, ὅτι ἥνωνται πᾶσαι αἱ πρότερον διεσχισμέναι κατά τε τὴν ἀνατολὴν ἐκκλησίαι· καὶ ἔτι προσωτέρω· καὶ πάντες εἰσὶν ὁμόφρονες οἱ πανταχοῦ προεστῶτες, χαίροντες καθ᾽ ὑπερβολὴν ἐπὶ τῇ παρὰ προσδοκίαν εἰρήνῃ γενομένῃ. Δημητριανὸς ἐν Ἀν

„ Theoctistum Cæsareæ, Aeliæ Mazabanem, Marinum Tyri „ post mortem Alexandri, Laodiceæ vero post Thelymidris obi„ tum Heliodorum, Helenum Tharsi, cunctasque Ciliciæ Ec„ clesias, Firmilianum denique cum universa Cappadocia. So„ los enim illustriores Episcopos nominavi, ne forte epistola „ nostra prolixior, & oratio molestior redderetur. Syriarum „ quidem Provinciæ omnes cum Arabia, quibus idemtidem ne„ cessaria suppeditatis, & quibus literas nunc scripsistis: Meso„ potamia quoque, Pontus, ac Bithynia: ac ut uno verbo ab„ solvam, omnes ubique terrarum lætitia gestiunt, Deoque gra„ tias agunt ob hanc concordiam fraternamque caritatem. Qui sub Stephani Pontificatu tot jam Ecclesias solicitaverant aliquo certe in loco habendi erant, ut quamvis alii tum temporis præter Novatianos non fuissent hæretici, qui in Trinitatis nomine baptizarent, non vana fuisset quæstio, nec frustra disceptatum fuisset, num essent rebaptizandi, quos hæretici Catholico ritu abluissent. Imo ex Novatianorum baptismo, ut jam vidimus, sub Stephano & Cypriano sumta est harum disputationum occasio. Quoad vetustiores hæreticos, ut Stephanus Adversariis traditionem merito objiceret, nihil intererat, pauci ne fuerint, an multi qui Ecclesiæ formam servaverint, modo de paucis illis constaret, eos nunquam ex Apostolica disciplina fuisse rebaptizatos. Quemadmodum ut traditionem Iconomachis jure objiciamus, nihil refert, frequens ne fuerit an rarus prioribus Ecclesiæ sæculis Sacrarum Imaginum usus, modo constet in honore semper fuisse habitas.

Ad Hieronymi auctoritatem respondeo, quod S. Doctori rem à sua ætate longe remotam *ῥυθορικῶς*, & stylo oratorio amplificanti ea fides debetur, quam argumenta merentur, quibus suam opinionem confirmat. Huic autem argumento, quo ferme uno S. Hie-

---

τιοχείᾳ, Θεόκτιςος ἐν Καισαρείᾳ, Μαζαβάνης ἐν Αἰλίᾳ. Μαρῖνος ἐν Τύρῳ κοιμηθέντος Ἀλεξάνδρου. Ἡλιόδωρος ἐν Λαοδικείᾳ ἀναπαυσαμένου Θηλυμίδρου. Ἕλενος ἐν Ταρσῷ, καὶ πᾶσαι αἱ τῆς Κιλικίας ἐκκλησίαι. Φιρμιλιανὸς καὶ πᾶσα Καππαδοκία. τοὺς γὰρ περιφανεςέρους μόνους τῶν ἐπισκόπων ὠνόμασα, ἵνα μήτε μῆκος τῇ ἐπιςολῇ, μήτε βάρος προσάψω τῷ λόγῳ. αἱ μέντοι Συρίαι ὅλαι, καὶ ἡ Αραβία οἷς ἐπαρκεῖτε ἑκάςοτε καὶ οἷς νῦν ἐπεςείλατε· ἥ τε Μεσοποταμία, Πόντος τε καὶ Βιθυνία, καὶ συνελόντι εἰπεῖν ἀγαλλιῶνται πάντες πανταχοῦ τῇ ὁμονοίᾳ καὶ φιλαδελφίᾳ, δοξάζοντες τὸν Θεόν· ταῦτα μὲν ὁ Διονύσιος. Dionysius Alexandrin. apud Euseb. libro VII. cap. quinto.

S. Hieronymus utitur, quod nullum ab Apostolis legamus hæreticum rebaptizatum, triplicem S. Cyprianus in suis de baptismo Epistolis adhibuit solutionem.

Primo in Epist. ad Jubajan. totum hoc qualecunque est in Adversarios regerit argumentum: nam neque Apostolos legimus sine baptismo hæreticos suscepisse „ Nec quisquam dicat, „ quod accepimus ab Apostolis, hoc sequimur; quando . . . . . „ & neminem inveniamus, ab Apostolis, cum apud hæreticos „ baptizatus esset, in eodem baptismo admissum esse, & com- „ municasse, ut viderentur Apostoli baptisma hæreticorum pro- „ basse.

Secundo in Epist. ad Pomp. respondet, quod „ sub Apostolis „ nondum hæreticæ pestes acriores proruperant, necdum quo- „ que Marcion de Ponto emerserat, cujus Magister Cerdon sub „ Hygino tunc Episcopo, qui in Urbe nonus fuit, Romam ve- „ nit, quem Marcion secutus &c. Quod si hæreses constat, „ postmodum plures ac pejores exstitisse: & si retro nusquam „ omnino præceptum est, neque conscriptum, ut hæretico tan- „ tum manus in pœnitentiam imponatur, & sic ei communice- „ tur &c.

Tertio rèspondet in Epistola ad Quintum „ apud veteres, „ hæresum & schismatum prima adhuc fuisse initia, ut hi illic „ essent, qui de Ecclesia recedebant, & hic baptizati prius „ fuerant; quos tunc tamen ad Ecclesiam revertentes, & pœ- „ nitentiam agentes, necesse non erat baptizare. Quod nos „ quoque hodie observamus, ut quos constat hic baptizatos es- „ se, & à nobis ad Hæreticos transisse, si postmodum peccato „ suo cognito, & errore digesto, ad veritatem & Matricem „ redeat, satis sit in pœnitentiam manum imponere &c.

His quidem responsis argumentum, quod ex Apostolica Traditione ducebat Stephanus, neutiquam labefactatur: non enim eo nitebatur, (*) quod Apostolos de baptizandis hæreticis in Sacris-litteris nihil præcepisse legamus; vel quod scriptum non sit, aliquem hæreticorum fuisse ab Apostolis rebaptizatum. Sed quod ea consuetudo, quam usque à principio & cunabilis universa tenebat Ecclesia, ex Apostolica esset traditione & aucto- ritate

(*) Ut Augustinus monet lib. V. de Bapt. cap. XXIII.

ritate repetenda „ Apostoli autem nihil quidem exinde præce-
„ perunt: sed consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano, ab
„ eorum traditione exordium sumsisse credenda est, sicut sunt
„ multa quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis
„ præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperian-
„ tur. Ceterum argumento, quod ex Apostolorum exemplo derivat Hieronymus, tribus illis Cypriani responsis videtur cumulatissime satisfactum. Et primum quidem, quo in adversarios regeritur argumentum, pluribus posset exemplis illustrari. Multa enim sunt, quæ ab Apostolis gesta esse minime ambigimus, quamvis scripta non fuerint. Itaque fieri optime potuit, ut Apostoli aliquos hæreticos Evangelica forma non usos rebaptizaverunt, quamvis id in Sacris litteris non legamus.

Secundam Cypriani responsionem laudat quoque, & aprobat Firmilianus his verbis „ Plenissime, *inquit*, respondistis . . . . .
„ quando etiam ipsas hæreses constet execrabiles ac detestandas
„ postea exstitisse. Cum & Marcion Cerdonis discipulus inve-
„ veniatur, sero post Apostolos, & post longa ab eis tempora,
„ sacrilegam adversus Deum Traditionem induxisse. Apelles
„ quoque blasphemiæ ejus consentiens, multa alia nova & gra-
„ viora fidei ac veritati inimica addiderit. Sed & Valentini, &
„ Basilidis tempus manifestum est, quod & ipsi post Apostolos
„ & post longam ætatem adversus Ecclesiam Dei sceleratis
„ mendaciis suis rebellaverint. Ceteros quoque hæreticos constat,
„ pravas suas sectas, & inventiones perversas, prout quisq; erro-
„ re ductus est, postea induxisse. Varios sub Apostolicis temporibus hæreticos exstitere, qui prava dogmata disseminarint, neque Cyprianus, neque Firmilianus inficiantur, neque ullus negare unquam est ausus: attamen quandiu vitam Apostoli produxerunt, clanculum id nefarios homines esse molitos, neque ante caput exeruisse, quam viris Apostolicis de medio sublatis, nihil sibi amplius timerent ab iis, qui coram ex ipso Christo cœlestis doctrinæ semina acceperant, ex Hegesippo narrat Eusebius lib. III. cap. XXXII. (*a*) „ Post hæc idem Scriptor res
„ illa ætate gestas commemorans, addit, Ecclesiam ad hæc usque
„ tem-

(*a*) Ἐπὶ τούτοις ὁ αὐτὸς ἀνὴρ διηγούμενος τὰ κατὰ τοὺς δηλουμένους ἐπιλέγει ὡς ἄρα μέχρι τῶν τότε χρόνων παρθένος καθαρὰ καὶ ἀδιάφθορος ἔμεινεν ἡ ἐκκλησία, ἐν ἀδήλῳ

„ tempora instar cujusdam virginis, integram atque incorrup-
„ tam permansisse: adhuc in obscuro recessu delitescentibus,
„ quicunque rectam prædicationis Evangelicæ regulam depra-
„ vare niterentur. Sed postquam Sacer Apostolorum cœtus va-
„ rio mortis genere exstinctus est, effluxeratque jam ætas ho-
„ minum illorum, qui divinam ipsam sapientiam suis auribus
„ auscultare meruerant: tunc demum exorta est impii erroris
„ conspiratio, fraude & malitia falsorum doctorum. Qui utpo-
„ te nullo amplius ex Apostolis superstite, post hæc nudo, quod
„ ajunt, capite adversus prædicationem veritatis adulterinam
„ doctrinam obtrudere aggressi sunt. Quamvis eo loco, ad quem adludit Eusebius, Ecclesiæ tantum Hierosolymitanæ sub Trajano Imperatore statum describat Hegesippus; attamen non immerito hæc ad universam Ecclesiam ab Eusebio referuntur. Ex illis enim hæreticis qui primum Hierosolymorum Ecclesiam adgressi sunt, illa hæresum monstra prodierunt, a quibus deinde totius Ecclesiæ tranquillitas turbata est, ut idem apud laudatum Eusebium lib. IV. cap. XXII. tradit Hegesippus. Quum igitur rari sub Apostolis hæretici errores suos in aures potius mussitarent, quam publice docerent; hinc adeo factum est, ut in eorum conversionem non ea solicitudine Apostoli incubuerint, quam Judæis & Gentibus ad fidem adducendis adhibuerunt: unde qui tot millia Judæorum, & innumeras Gentes Religionis nostræ dogmatis imbuerunt; ne uni quidem hæretico bonam mentem injecisse traduntur: Et quid mirum, si nullum ab eis legimus hæreticum rebaptizatum, quum nullum ab eis legamus ad frugem correctum atque emendatum.

Ultimum Cypriani responsum ut intelligatur, meminisse oportet eorum quæ Tertullianus observat lib. de Præscript. cap. XLII. & quæ in modernis hæreticis animadvertimus, nunquam de Gentibus Christianæ fidei adgregandis hæreticos fuisse solli-

 citos,

που σκότει φωλευόντων εἰσέτι τότε, τῶν, εἰ καί τινες ὑπῆρχον, παραφθείρειν ἐπιχειρούντων τὸν ὑγιῆ κανόνα τοῦ σωτηρίου κηρύγματος. ὡς δ' ὁ ἱερὸς τῶν Ἀποστόλων χορὸς διάφορον εἰλήφει τοῦ βίου τέλος, παρεληλύθει τε ἡ γενεὰ ἐκείνη τῶν αὐταῖς ἀκοαῖς τῆς ἐνθέου σοφίας ἐπακοῦσαι κατηξιωμένων τηνικαῦτα τῆς ἀθέου πλάνης τὴν ἀρχὴν ἐλάμβανεν ἡ σύστασις, διὰ τῆς τῶν ἑτεροδιδασκάλων ἀπάτης· οἳ καὶ ἅτε μηδενὸς ἔτι τῶν Ἀποστόλων λειπομένου, γυμνῇ λοιπὸν ἤδη τῇ κεφαλῇ, τῷ τῆς ἀληθείας κηρύγματι τὴν ψευδώνυμον γνῶσιν ἀντικηρύττειν ἐπεχείρουν.

citos, ut qui eos tantum hæc cura tetigit, ut Catholicos corrumperent, immissisque pravæ doctrinæ seminibus adulterarent „ De verbi autem administratione quid dicam; cum hoc sit „ negotium illis non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi? Hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, „ non si jacentibus elevationem operentur: quoniam & ipsum „ opus eorum non de suo proprio ædificio venit, sed de veritatis distructione: nostra suffodiunt ut sua ædificent „ . . . . Ita fit, ut ruinas facilius operentur stantium „ ædificiorum, quam exstructiones jacentium ruinarum. Meminisse adhuc oportet, Ethnicos, qui sub Apostolis Christi fidem amplectebantur, statim fuisse baptizatos. At vero sequutis post Apostolos temporibus, quum & sectæ ex se ipsis propagarentur in patrum locum succedentibus filiis, & baptismus diu differretur, multi ex hæreticis qui ad Catholicam accedebant, non alio quam hæreticorum baptismate tincti fuerant: quum *apud veteres*, ut ait Cyprianus, quando ex Catholicorum ruinis hæresum cubilia compingebantur, *hi illic essent, qui de Ecclesia recedebant, & hic baptizati prius fuerant*; de quorum proinde baptismo non oportuit Apostolos esse solicitos.

Ad tertium argumentum respondeo: veteres in hæresibus describendis minuta quæque non fuisse consectatos, sed pinguiora tantum eorum errata literis consignasse, & quæ majorem insaniam præseferrent, ut erat Gnosticorum baptismus apud Irenæum lib. I. cap. VIII. Utcunque res se habuerit, eam nobis veterum hæreticorum notionem Patres informarunt, ut si ad ea tantum respiciamus quæ hactenus disputata sunt, de illorum baptismo haud temere dubitetur.

Sed recentioribus Græcis gravior fuit caussa, cur veterum hæreticorum baptismum repudiarent, & pro nihilo haberent, utpote contra Evangelicam regulam celebratum. Ea nempe fuit apud Orientales Apostolicorum Canonum existimatio, ut vel eos à viris Apostolicis ex accepta ab Apostolis disciplina conditos fuisse judicarent, quæ fuisse videtur antiquiorum Patrum opinio; vel ipsis etiam Apostolis acceptos referrent, quam constat recentioribus Græcis sententiam placuisse, ut qui in altera Nicæna Synodo Can. I. *Divinos Canones se libenter amplecti*

pre-

professi sint (a) . . . . . . qui editi fuerunt à Sanctis Spiritus tubis summa laude celebrandis Apostolis. Quum hæc itaque opinio Orientalibus adhæsisset; quumque post Concilium Nicænum I. variasque cum Orientis, tum Occidentis Synodos, quamplures sine novo baptismo hæretici susciperentur, veteres hæreticos, quorum promiscue baptismus Apostolicis Canonibus reprobatur, Catholicum ritum adulterasse, sibi facile in animum induxerunt. Unde B. Theodorus Studita Naucratio quærenti, cur non omnes hæretici novo baptismate tingerentur „ *quum Canon non distinguat (b) Sed diffinitive pronunciet, eos qui ab hæreticis ordinati sunt, vel baptizati, nec Clericos esse posse, nec fideles*; in hunc modum respondit: *illud cogita, quod Apostolicus Canon illos dicit hæreticos, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizati non sunt, nec baptizant.* Ita B. Theodorus non ex suo, ut credere par est, sed ex Orientalis Ecclesiæ sensu respondit..

Aliis rationibus & conjecturis ostenditur, ab errore rebaptizantium alienos omnino fuisse recentiores Græcos.

RÉcentiores Græcos intelligo, qui post secundam œcumenicam Synodum floruerunt, & post solenniter sancitam, quam supra memoravi, hæreticorum in duo genera distributionem, quorum alii baptismo, alii sola manuum impositione indigerent. Quæ enim vero hujusce distinctionis, ac variæ in recipiendis hæreticis disciplinæ, alia ratio adferri potest, nisi priores illos profano ritu fuisse baptizatos, secus autem de posterioribus judicemus? Veterum quidem Patrum aliquos eorum præcipue baptismum repudiasse, qui Deo vel Trinitati detraxissent, comperta & explorata res est: at hæc reddi ratio non potest, cur aliquos Ecclesia Græca quarto labente sæculo iterum

 ablui

(a) Ἀσπασίως τοὺς θείους κανόνας ἐνστερνιζόμεθα . . . . τῶν ἐκτεθέντων ὑπὸ τῶν ἁγίων σαλπίγγων τοῦ Πνεύματος τῶν πανευφήμων Ἀποστόλων.

(b) Τὸ δὲ εἰρηκέναι σε, μὴ διακρίνειν τὸν κανόνα, ἀλλ' ὁριστικῶς ἀποφαίνειν τοὺς ἀπὸ αἱρετικῶν χειροτονηθέντας, ἢ βαπτισθέντας, ὅτι κληρικοὺς εἶναι ἀδύνατον, ὅτι πιστούς. ἐκεῖνο λογίζου, ὅτι αἱρετικοὺς ὁ ἀποστολικὸς κανὼν ἐκείνους ἔφη, τοὺς μὴ εἰς ὄνομα Πατρὸς καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος βαπτισθέντας, καὶ βαπτίζοντας.

ablui decreverit, alios autem Sacro tantum Chrismate deliniri. Nam inter eos, qui Sacro duntaxat unguento indigerent, Ariani & Macedoniani recensetur, qui in Trinitatem blasphemi erant, perinde ac Paulianistæ & Eunomiani, quorum baptismus rejiciebatur. Neque dixeris, Eunomianorum baptismum propterea fuisse reprobatum, *quod & sub mersione simplici scelestissimæ hæreseos pestiferum virus obtegerent: & eandem fortassis in iis interrogationibus, qui baptismum antecedunt, aperte profiterentur, ac præseferrent*. Quæ posterior ratio in Paulianistis quoque locum fortassis habere potest: *quod aliud haberent, scilicet lingua promtum captiosa Paulianizantium ingenia, & ad perfidiam obdurata, aliud animo clausum tenerent: & eam perverso sensu, & commentis suis labefactarent professionem ac fidem, qua Christiani sumus, in qua salutis summa vertitur, quo veluti fundamento stat Catholicæ Religionis structura &c.* At illud est prorsus inverisimile, ut soli Eunomiani, vel Paulianizantes; non autem Ariani, & Macedoniani *in iis interrogationibus, quæ baptismum antecedunt*, publicam suorum errorum emitterent professionem: qua enim ne id auderent, religione prohiberentur? Annon Ariani, & Macedoniani perinde ac Paulianizantes, & Eunomiani *perverso sensu, & commentis suis labefactabant professionem, ac fidem, qua Christiani sumus, in qua salutis summa vertitur &c.*, ut si propterea Paulianizantium, & Eunomianorum baptismus reprobatus sit, rejicere quoque oportuerit, ut jure advertit Hieronymus (*a*) Arianorum baptismum: „ Accedens ad Arianos, in qua „ fide baptizatus est? nempe in ea, quam habebant Ariani . . . „ Quid credidit? certe aut tria nomina audiens, tres Deos „ credidit, & idololatra effectus est; aut in tribus vocabulis „ trinominem credens Deum, in Sabellii hæresim incurrit: aut „ edoctus ab Arianis, unum esse verum Deum Patrem, Filium, „ & Spiritum Sanctum credidit creaturas. Aut extra hæc quid „ credere potuerit, nescio: nisi forte homo jam edoctus in Ca- „ pitolio, homousion didicerat Trinitatem. Sciebat Patrem, & „ Filium, & Spiritum Sanctum non natura, sed personis esse „ divisos . . . . Ridicula penitus assertio, ante de fide quempiam disputare quam credere: ante mysterium scire, quam „ ini-

(*a*) Dialogo advers. Luciferian.

„ initiatus sit: aliter de Deo sentire baptizantem, & aliter baptizatum. „ Quod specialiter pertinet ad Eunomianos, si propterea eorum baptismus explosus est, *quod sub mersione simplici scelestissimæ hæreseos pestiferum virus obtegerent*; non ex vetusto Cypriani, aut Firmiliani errore hoc Græcorum decretum profluxisse crediderim; sed inde quod trinam mersionem ad substantiam, ut ajunt, Sacramenti pertinere judicarint; qui longe alius à rebaptizantium errore error est. Attamen ipsam quoque baptismi formulam Eunomianos adulterasse, supra est apertissime demonstratum.

Ceterum recentiores Græci adeo mihi fuisse videntur ab hæreticis rebaptizandis alieni, ut ne repeti quidem voluerint collatum ab hæreticis Confirmationis Sacramentum. Vetustioribus quidem Canonibus sancitum fuerat, ut ex hæreticis ad Ecclesiam convolantibus, alii salutari lavacro perfunderentur, alii vero Sancto Chrismate inungerentur. Novatianis ut manus imponerentur, Synodus Nicæna constituit: id non de simplici manus impositione, sed cui Sacri Unguenti conjuncta esset inunctio, Basilius, Theodoretus, & alii Patres intellexerunt. Basilius enim Novatianos, & alios quosdam hæreticos, Epist. 1. Canon. ad Amphiloch. *coram universo fidelium cœtu inungi* statuit, *& sic Mysteriorum fieri participes*, χρίεσθαι ἐπὶ τῶν πιστῶν, καὶ ὅτως προσιέναι τοῖς μυστηρίοις, ut servetur ἀκρίβεια τῶν κανόνων; idest, ut Canonibus exactissime mos geratur. His verbis respexit Basilius ad Synodum Nicænam, & ad Canonem octavum Synodi Laodicenæ, quæ Novatianos, & alios quosdam χρισθέντας τῷ ἁγίῳ χρίσματι, *Sacro Chrismate delibutos*, Catholicorum cœtui adgregari constituit, Nicænæ Synodi velut interpretem agens. Idem de Novatianis decrevit secunda Synodus œcumenica Canone septimo; eisque adjungit Tetraditas, seu Quartodecimanos, Arianos, Macedonianos, & Apollinaristas; quos itidem in σφραγιζομένων ἤτοι χριομένων, *consignandorum, & ungendorum* numerum referunt Trullani Patres Canone 95. Theodorus Studita, Timotheus Presbyter, & antiqua Græcorum Euchologia. Non est modo disputandum, an ejusmodi ritus, quo in Ecclesiam prædicti hæretici admittebantur, ipsum esset Confirmationis Sacramentum, quod jam Viri doctissimi plane videntur demonstrasse: Sed tantum ratio inquirenda, cur eos Græci Patres

con-

confirmari voluerint. Morinus quidem, & alii, qui datum ab hæreticis Confirmationis Sacramentum olim in Ecclesia repetitum fuisse docent, hoc se argumento tuentur, & hanc laudatæ in recipiendis hæreticis disciplinæ caussam comminiscuntur. Sed aliam nobis suggerunt planeque diversam hujusce ritus antiqui Patres rationem. Theodoritus libro tertio hæreticarum fabularum Capite quinto, de Novatianis agens, eos ex Patrum disciplina propterea inungendos fuisse tradit, quod apud eos Chrismatis usus non esset. (a) *Iis quos baptizant, Sanctissimum Chrisma non præbent. Quapropter eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt*. Qua in re Novatianum Sectæ Patriarcham imitati sunt, à quo pariter Confirmationis Sacramentum neglectum fuisse scribit Cornelius Papa in Epist. ad Fabium Antiochen. Porro quemadmodum Sabbatiani, & Novatiani, quos secunda Synodus œcumenica pariter inungi præcepit, non sunt duæ Sectæ omnino diversæ: Sed Sabbatiani sunt, qui ex Novatianis post Agelii mortem schismate facto, & Marciano relicto, Sabbatio adhæserunt, ut est apud Socratem lib. V. cap. XXI., & apud Sozomen. lib. VII. cap. XVIII. ita Tessarescædecatitas, sive Tetraditas, vel Quartodecimanos, qui Novatianis in eodem Canone junguntur, non alios esse judico, quam qui ex eadem Novatianorum Secta Paschale festum, ut ait Socrates, *juxta morem Judæorum, & juxta formulam in Pazensi Synodo promulgatam* Luna quartadecima celebrabant. Neque alii forsitan in Oriente post Concilium Nicænum, præter Novatianos, hoc nomine celebres exstiterunt. Unde Quartodecimani cur ungerentur, non alia quærenda est ratio, quam quæ de Novatianis ex Theodorito reddita est.

Arianis quoque Sacramentum Confirmationis in usu non fuisse, constat ex Occidentalis Ecclesiæ disciplina, apud quam eodem quo in Oriente ritu, per invocationem scilicet Spiritus Sancti, & Episcopalis manus impositionem, non secus ac Novatiani recipiebantur, ut apertè testatur Siricius Epist. ad Homer.

(a) Τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζομένοις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρῖσμα. διὰ τοῦτο καὶ τοὺς ἐκ τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένους χρίειν οἱ πανεύφημοι πατέρες προσέταξεν.

mer. cap. 1. qua vetat Arianos iterum baptizari; *quos*, inquit, *nos cum Novatianis, aliisque hæreticis, sicut in Synodo constitutum est, per invocationem solam Septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione, Catholicorum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens Occidensque custodit*. Et certè in Galliis atque Hispaniis resipiscentes Arianos Chrismate consignatos, fidem indubiam faciunt Concil. Arelat. II. cap. XVII. Arausican. I. cap. I. Epaonense cap. XVI. & Gregor. Turonens. lib. II. hist. Francor. cap. XXXI. lib. IV. cap. XXVII. & XXVIII. lib. V. cap. XXXIX. & lib. I. de Miraculis S. Martini cap. VI. atque Isidorus Hispalens. lib. II. de Offic. Divin. cap. XXIV. Porro apud Occidentales datum ab hæreticis Confirmationis Sacramentum non fuisse iteratum, constat ex ritu qui circa Donatistas observabatur. Quum enim certo constaret, Donatistas hoc Sacramentum neutiquam abjecisse, sed ejus usum constanter retinuisse, ab eis quum ad Ecclesiam redirent inungendis Patres abstinuerunt. Unde Optatus Milevitanus lib. VII. Parmenianum Donatistam ejusmodi verbis alloquitur: *Si nos exterminaremus à vobis confectum oleum, merito nos muscas morituras appellare possetis: sed dum quod à vobis unctum est, tale servamus, quales suscipimus, muscæ morituræ esse non possumus*. Et S. Alcimus Avitus interrogatus à Stephano, quo ritu quidam Donatista in Ecclesiam admitti deberet, hoc Epist. XXIV. responsum dedit; *manus impositionem personæ de qua scribitis adhibete; quam constat, si revera in supradicti schismatis professione versata est, cum ministerio baptismatis etiam Chrismate consignatam*. Si Donatistas, quod apud suos uncti essent, iterum ungere nefas erat; Arianos quibus Chrismate opus erat, apud suos non fuisse confirmatos, existimare debemus.

Macedoniani cur hoc Sacramentum abjecerint, ratio in promtu est. Quot enim verba, quot apices in Euchologiis occurrunt ad hujus Sacramenti ritum pertinentia, tot sunt tela quibus eorum error confoditur. Quid est enim aliud Confirmationis Sacramentum nisi Symbolum interioris unctionis, qua per Spiritum Sanctum ungimur, & signamur, Christi bonus odor efficimur, & in ejusdem Spiritu Sancti templum consecramur. Hanc nobis hujus Sacramenti ideam Euchologia omnia,

nia, & Patrum scripta suppeditant, quæ profecto tot sunt, uti Patres demonstrant, Divinitatis Spiritus Sancti clarissima testimonia. Audiendus omnino hac de re, ut ceteros missos faciam, M. Athanasius Epist. I. ad Serapionem, ubi Spiritus S. Divinitatem adversus **Πνευματομάχυς** his verbis adstruit, quibus omnino ad hujus Sacramenti ritum adludit, imo plane & aperte describit: (*a*) „ At res creatæ illo signantur & unguntur, ac de „ omnibus docentur. Si igitur Spiritus unctio sive unguen- „ tum, & sigillum est, in quo omnia ungit, & signat verbum: „ quænam similitudo & convenientia unguenti, & sigilli esse „ potest cum his rebus quæ unguntur & signantur? Nequit pro- „ inde fieri, ut ipse inter res omnes numeretur. Neque enim „ aliquis ex his qui signantur, sigillum ipse dicendus sit: nec „ similiter aliquis ex his qui unguntur, unguentum idem erit. „ Sed id proprium est ungentis & signantis verbi. Unguentum „ quidem ungentis suavitatem & odorem retinet, cujus parti- „ cipes facti qui unguntur, dicunt: Christi bonus odor sumus. „ Sigillum vero signantis Christi effigiem servat, cujus qui „ signantur participes effecti ad eam conformantur, ut ait Apo- „ stolus: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur „ Christus in vobis. Hoc autem modo signati, convenienter „ Divinæ Naturæ consortes reddimur, uti docet Petrus: atque „ ita universæ res creatæ Verbi in Spiritu fiunt participes. „ Omnes similiter per Spiritum, Dei participes dicimur: Ne- „ scitis, *inquit*, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habi- „ tat in vobis..... sed si Spiritus Sanctus res creata esset: „ nulla sane Dei communicatio nobis in ipso esset; sed rei „ creatæ conjungeremur, & divinæ naturæ alieni essemus, ut- „ pote nulla in parte ejus facti participes. Nunc vero cum „ Chri-

(*a*) Τὰ δὲ κτίσματα τούτῳ σφραγίζεται καὶ χρίεται, καὶ περὶ πάντων διδάσκεται. εἰ δὲ τὸ Πνεῦμα χρίσμα καὶ σφραγίς ἐστιν, ἐν ᾧ χρίει καὶ σφραγίζει πάντα ὁ λόγος, ποία ὁμοιότης ἢ ἰδιότης τοῦ χρίσματος καὶ τῆς σφραγῖδος πρὸς τὰ χριόμενα καὶ σφραγιζόμενα; οὐκ οὖν καὶ κατὰ τοῦτο οὐκ ἂν εἴη τῶν πάντων αὐτό. οὐ γὰρ ἂν εἴη ἡ σφραγὶς ἐκ τῶν σφραγιζομένων, οὐδὲ τὸ χρίσμα ἐκ τῶν χριομένων. ἀλλ' ἴδιόν ἐστι τοῦτο τοῦ χρίοντος καὶ σφραγίζοντος λόγου. τὸ μὲν γὰρ χρίσμα τὴν εὐωδίαν καὶ πνοὴν τοῦ χρίοντος ἔχει, καὶ οἱ χριόμενοι τούτου μεταλαμβάνοντες λέγουσι, Χριστοῦ εὐωδία ἐσμέν· ἡ δὲ σφραγὶς τὴν μορφὴν Χριστοῦ τοῦ σφραγίζοντος ἔχει, καὶ ταύτης οἱ σφραγιζόμενοι μετέχουσι, μορφούμενοι κατ' αὐτὴν λέγοντος τοῦ ἀποστόλου· τεκνία μου, οὓς πάλιν ὠδίνω ἄχρις οὗ μορφωθῇ Χριστὸς ἐν ὑμῖν· οὕτω δὲ σφραγιζόμενοι, εἰκότως καὶ κοινωνοὶ θείας φύσεως γινόμεθα,

DISSERTATIO
HISTORICO-THEOLOGICA
DE CHRISMATE CONFIRMATORIO;

F. JOSEPHI AUGUSTINI ORSI
ORD. PRÆD. CONG. S. MARCI.

Digitized by Google

Digitized by Google

disciplinæ ratio reddi potest? Nestorianos certe atque Eutychianos Chrismatis usum neutiquam abjecisse, clare colligitur, cùm ex Severi Pseudo-Patriarchæ Antiocheni, & Acephalorum Antesignani Euchologio, in quo hujus Sacramenti ritus & forma describitur, tum ex Ecclesiarum Aegypti, Syriæ, Armeniæ, Aethiopiæ &c. consuetudine, quæ Nestorianorum atque Eutychianorum erroribus contaminatæ, acceptum à suis Majoribus Chrismatis usum etiamnum retinent. Quum itaque constet, eos à Græcis non fuisse iterum consignatos, quos ungendi Neophytos morem servasse certo scimus, & quos Græci inungi sanxerunt, apud suos fuisse confirmatos minime adpareat, ab iterando Confirmationis Sacramento recentiores Græcos abhorruisse planè conficitur; adeoque multo magis eorum rationibus fuisse alienum pravum hæreticos rebaptizantium institutum.

Accedunt denique in gratiam Orientalium luculentissima SS. Augustini & Hieronymi testimonia. Atque ut illa prætercam, quibus Augustinus adfirmat, post plenarium illud, ac sæpius ab eo decantatum totius Orbis Concilium universam Ecclesiam in unam eandemque conspirasse disciplinam, unum duntaxat examini subjiciam S. Doctoris locum in quo speciatim de Orientalibus loquitur. Extat lib. III. cont. Cresconium cap. II. ubi Donatistis objicit, quod se ab Orientalium communione separaverint, propterea quod antiquum de rebaptizandis hæreticis Canonem rescidissent „ Majores autem vestri quibus tale „ testimonium perhibuisti, quod ab Orientalium propterea „ communione discreti sunt, quia illi suum judicium rescide- „ runt, quo eis placuerat de ista baptismi quæstione Cypriano „ atque illi Africano Concilio consentiri oportere, contra Cy- „ prianum fecerunt. Debuerunt enim cum Collegis suis etiam „ in hac quæstione diversa sentientibus tenere communionis „ unitatem, quod in suis literis fecisse legimus Cyprianum. „ Et infra cap. III. Proinde si omnino jam credendum sit, „ quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod „ septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot „ millia Episcoporum quibus hic error in toto orbe displicuit; „ cur non potius etiam ipsos paucos Orientales suum judicium „ correxisse dicamus, non ut tu loqueris rescidisse. Neque Augustino, neque Donatistis persuasum fuit, Orientales anti-

quos de baptismo Canones temperasse, ut quosdam hæreticos legitima forma utentes iterum baptizari voluerint, alios vero hac lege solutos esse decreverint. Sed Augustinus *Orientales suum judicium correxisse*; Donatistæ autem plane *rescidisse*, pro certo atque explorato habuerunt.

Porro si Augustino & Donatistis in Africa minus perspecta fuisse dicatur Orientalis Ecclesiæ disciplina, hanc certe Hieronymus ignorare non potuit, diu in Oriente versatus, & qui dissensiones quibus Orientales Ecclesiæ & Episcopi invicem collidebantur, in numerato habuit. Quisquis autem Dialogum ejus adversus Luciferianos adtente legerit, unam fuisse perspiciet, Ecclesiarum omnium in recipiendis sine novo baptismo hæreticis consuetudinem. Adversus Hilarium Diaconum indignatur, quem *orbis Deucalionem* adpellat, quod solus contra receptum ubique morem hæreticos verbis Evangelicis baptizatos iterum abluendo, verum Christianismi semen servaverit, aut se potius servasse inani persuasione crediderit. Ipse Hilarius contrariam consuetudinem in Romana Ecclesia semper obtinuisse fatebatur, nec ei tamen contrariam Orientalium Ecclesiarum consuetudinem objiciebat; sed consuetudinem sibi non debere præjudicare desperatissimo studio, ac nervis omnibus contendebat „ Quod si negandum quispiam putaverit, hæreticos à Majoribus nostris semper fuisse susceptos . . . . . legat, „ *inquit Hieronymus*, ipsius Hilarii libellos, quos adversus nos „ de hæreticis rebaptizandis edidit, & ibi reperiet, ipsum Hilarium confiteri, à Julio, Marco, Sylvestro, & ceteris veteribus Episcopis, similiter in pœnitentiam omnes hæreticos „ fuisse susceptos: nec tamen sibimet veritatis consuetudinem „ præjudicare debere. Cur consuetudini Romanorum, Orientalium consuetudinem, quod antea fecisse legimus Firmilianum, non opponebat Hilarius? Quia scilicet optime noverat, Nicænam Synodum ex Orientalibus ferme Episcopis congregatam, *omnes hæreticos*, quod idem subjungit Hieronymus, *suscepisse*, *exceptis Pauli Samosateni discipulis*; idest, iis exceptis, qui in evertenda baptismi forma paulianizabant. Si enim alii, præter eos, quos baptismi ritum adulterasse constabat, fuissent ex pervulgata Orientalis Ecclesiæ disciplina rebaptizati; an non hoc exemplo suam Hilarius, in rebaptizandis hæreticis, præci-

pue

pue Arianis, temeritatem excusasset? Quid enim, an minus quam Paulianizantes, hæretici erant Ariani, ut hos, secus atque illos, baptizari non oportuerit? Quis vim hujus argumenti non sentiat? Sed eo tamen minime confugit Hilarius, & Occidentalibus Orientales committere non est ausus, quia unam esse sciebat, in admittendis sine baptismo hæreticis, qui fuissent in suis sectis verbis Evangelicis baptizati, utriusque Ecclesiæ disciplinam: neque alios à Patribus Græcis jussos fuisse rebaptizari, nisi qui depravatæ baptismi formulæ infamia laborarunt.

Hanc posteriores Græcos consuetudinem constanter retinuisse, inde certo colligitur, quod Romani Pontifices, qui multo leviores abusus in Græcis neutiquam tolerarunt; hunc longe teterrimum minime dissimulassent; nec passi unquam fuissent, ut toties sancitas de non rebaptizandis hæreticis leges impune violarent. Quis, amabo te, in animum inducat suum, nullam hinc à Latinis sumendam fore Græcos objurgandi occasionem, quum gliscentibus præsertim post Photianum Schisma dissidiis; & Græci minima quæque consectabantur, unde Latinis calumnias struerent; & Latini alia longe minoris momenti, quam illud de quo nunc agimus; in Græcis acerbissime reprehendebant? ex quo facile intelligimus, nullum hinc exortum esse dissidium, quod de hac re & Latini Græcis, & Græci Latinis optime consentirent.

Neque his quæ hactenus dicta sunt, adversatur, quod Trullani Patres cum aliis receptissimis Synodis, etiam (*a*) *à Cypriano qui Afrorum regionis fuit Archiepiscopus & Martyr, & Synodo quæ sub ipso fuit emissum Canonem*, in suum veluti Codicem Canonum receperunt. Id enim eodem ab eis temperamento factum est, quo in eadem Synodo Apostolicos Canones susceperunt, quatenus eorum hæreticorum baptismum damnat, qui non fuisset verbis Evangelicis consecratus. Unde iidem Patres agnoscunt, emissum à Cypriano & Episcopis ei consentientibus Canonem, in quantum ad omnes hæreticos spectat, *in prædicto-*

(*a*) Ἔτι μὴν καὶ τὸν ὑπὸ Κυπριανοῦ τοῦ γενομένου ἀρχιεπισκόπου τῆς Ἀφρῶν χώρας καὶ μάρτυρος, καὶ τῆς κατ' αὐτὸν συνόδου ἐκτεθέντα κανόνα, ὃς ἐν τοῖς τῶν προειρημένων προέδρων τόποις καὶ μόνον, κατὰ τὸ παραδοθὲν αὐτοῖς ἔθος, ἐκράτησε. Canone II.

Digitized by Google

dictorum Præsulum locis solum, secundum traditam eis consuetudinem servatum esse.

Sed ut eo tandem redeat, unde huc deflexit oratio; quum a rebaptizantium errore, pravaque consuetudine alienam fuisse Græcorum Ecclesiam, satis jam mihi videar demonstrasse, neque aliam repetendi quorumdam hæreticorum baptismi caussam habuisse, nisi quod ab eis Sacramenti formam fuisse adulteratam, Græci Patres existimarunt; non jam Harduino secus statuenti unum aut alterum Patrem, sed universum Græcorum Patrum chorum, ac totius Ecclesiæ Græcæ auctoritatem objiciam, quæ non temere se de insanis quibusdam hæreticis sentire credidit, si eo devenisse insaniæ judicavit, ut Sacrosanctam baptismi formam sacrilegis additamentis, aut detractionibus violarent; vel in eus locum, quæ Christi præcepto sancita est, aliam hæretica licentia de integro substituerent.

Digitized by Google

„ Christi & Dei participes dicamur, utique constat, unguen-
„ tum & sigillum, quod in nobis est, non ad rerum factarum,
„ sed ad Filii naturam pertinere, qui nos per Spiritum, qui in
„ ipso est, Patri conjungit. Similia repetit Epist. III. ad eund.
n. III. An non hæc omnia, quibus τῶν Πνευματομάχων error penitus profligatur, nos credere solenniter profitemur, cum Sacro unguento seu Chrismate delinimur, ut propterea mirandum non sit, Macedonianos hujus unguenti suavitatem exterminasse, & Sacri hujus sigilli custodiam abjecisse.

Apollinaristas quæ ratio coegerit hoc Sacramentum repudiare, nondum me fateor adsecutum, nisi forte Apollinaristarum nomine eos Patres intellexerint, qui ex Arianis ad pristinos errores pravas Apollinaris opiniones adjecerunt, quos S. Athanasius refellit Epist. ad Adelphium. Utcumque sit; eos propterea quod Sacrum unguentum rejicerent, in Ecclesia Catholica inunctos fuisse, inde colligimus, quod Eutychianos, qui dudum exstinctos Apollinaristarum errores suscitarunt, hac lege solutos esse voluerunt, quia Chrismatis usum retinuerunt, & etiamnum cum ipsi, tum Nestoriani retinent, qui pariter ad ad solam pristini erroris ejurationem adigebantur.

Sed jam patet aditus, quò generatim probetur, datum ab hæreticis Confirmationis Sacramentum nunquam à Græcis fuisse repetitum. Postquam Nestorianorum atque Eutychianorum hæreses sese Orbi infuderunt, triplex hæreticos suscipiendi sancita est ratio; per baptismum scilicet, per Sacram unctionem, & per simplicem denique errorum condemnationem. Et Nestoriani quidem atque Eutychiani, neque ut abluerentur, neque ut ungerentur, sed ut pristinos tantum errores abjicerent, decre-

ὡς εἶπεν ὁ Πέτρος, καὶ οὐκ ἂν μετεῖχε πᾶσα ἡ κτίσις τοῦ λόγου ἐν τῷ Πνεύματι. Καὶ διὰ τοῦ Πνεύματος λεγόμεθα πάντες μέτοχοι τοῦ Θεοῦ. οὐκ οἴδατε γάρ, φησιν, ὅτι ναός Θεοῦ ἐστε, καὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ ἐν ὑμῖν οἰκεῖ; . . . . εἰ κτίσμα δὲ ἦν τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἂν τις ἐν αὐτῷ μετουσία τοῦ Θεοῦ γένοιτο ἡμῖν. ἀλλ' ἢ ἄρα κτίσματι μὲν συνηπτόμεθα, ἀλλότριοι δὲ τῆς θείας φύσεως ἐγινόμεθα, ὡς κατὰ μηδὲν αὐτῆς μετέχοντες. νῦν δὲ ὅτι λεγόμεθα μέτοχοι Χριστοῦ, καὶ μέτοχοι Θεοῦ, δείκνυται τὸ ἐν ἡμῖν χρῖσμα, καὶ ἡ σφραγὶς, μὴ οὖσα τῆς τῶν γενητῶν φύσεως, ἀλλὰ τῆς τοῦ υἱοῦ διὰ τοῦ ἐν αὐτῷ Πνεύματος συναπτούσης ἡμᾶς τῷ Πατρί. N. 23. & 24.

QUæ ſcripſit Adm. Rev. P. Fr. Joſephus Auguſtinus Urſius de Chriſmate in Sacramento Confirmationis, in examen vocata juſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Thomæ Ripoll Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri digna cenſui, quæ lucem aſpiciant, & Librorum, qui ſelecta eruditione inter cæteros probantur, numerum augeant. Opus enim doctrinâ non vulgari ubertim inſtructum probatum iri iis omnibus omninò arbitror, qui in ſtudio Theologico ea quærunt, quæ rerum veritatem, quandoque tenebris obvolutam, ex iis educant, ac erudita luce revera perfundant. Id fœliciter præſtat doctiſſimus Auctor: Qua quidem laude locum inter doctiores, quem aliis ſuis Operibus conſecutus eſt, mea ſententia non minori commendatione conſequetur. Ita cenſeo E Cœnobio Minervitano Idibus Julii 1732.

Ego F. Thomas Maria Minorelli
Sac. Th. Mag., & Biblioteck. Caſanatenſis.

DE mandato Reverendiss. Patris Thomæ Mariæ Ripoll totius Prædicatorum Ordinis Magistri Generalis attentè perlegi Dissertationem Historico-Theologicam de Chrismate Confirmatorio ab Adm. Rev. P. Fr. Augustino Orsi ejusdem Ordinis Cathedratico Casanatensi, & Sacræ Congregationis Indicis Consultore jam ob ejus opera in lucem edita eruditionis, & sapientiæ fama præstante elucubratam, in qua tum ex consuetudine vetustissima Catholicæ Ecclesiæ, ab Apostolis derivata traditione perpetuò retenta, & in Conciliis Oecumenicis firmata, & probata, tum ex utriusque Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis consensione, tum ex Sanctorum Patrum ab antiquissimis seculis perenni doctrina, & authoritate inunctionem Chrismatis in fronte baptizati esse materiam essentialem, partialem saltem, & inadæquatam Sacramenti Confirmationis, eleganter, ac dilucidè demonstrat; Cumque nonnisi doctrinam sanam, orthodoxam, fideique regulis, & bonis moribus consentaneam invenerim, typis dignam censeo.

Datum Romæ in Conventu S. Mariæ super Minervam 13. Junii 1732.

F. Dominicus Antonius Giacconi
Ord. Præd. Magister, ac Theologus Casanatensis.

NOS

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sacræ Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

VIsis approbationibus Patrum Revisorum, videlicet A. R. P. Magistri Fr. Thomæ Minorelli Bibliothecarii Casanatensis, & A. R. P. Magistri Fr. Dominici Antonii Giacconi Theologi Casanatensis, harum serie, nostrique authoritate officii facultatem, & licentiam quantum in Nobis est, concedimus Rev. Adm. P. Fr. Josepho Augustino Orsi Cathedratico Casanatensi Congregationis nostræ Sancti Marci de Florentia, ut typis mandare valeat Opus ab ipso compositum, cui titulus: *Dissertatio Historico-Theologica de Chrismate Confirmatorio &c.* servatis tamen aliis de jure servandis. In nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu nostro S. Mariæ super Minervam die 15. Junii 1732.

Fr. Thomas Ripoll Mag. Ord.

Loco ✠ Sigilli.

Reg. fol. 13.
Fr. Dominicus Ponsi Mag. Exprov. & Socius.

Digitized by Google

APPROBATIO.

DEmandante Reverendiss. P. Joanne Benedicto Zuanelli Sac. Apostolici Palatii Magistro accuratè perlegi *Dissertationem Historico-Theologicam de Chrismate Confirmatorio &c.* à sapientissimo Viro Josepho Augustino Orsi Ord. Prædic., & Collegii Casanatensis Theologo elucubratam. Quoniam verò in ea lustranda nihil comperi, quod Catholicæ Fidei, & Disciplinæ Christianæ Regulis adversetur, quinimmo cùm omnia in ea contenta Priscorum Patrum Græcorum, & Latinorum, Sacrorum Conciliorum, Euchologiorum, & Liturgiarum Doctrinis, & sanctionibus optimè consonent, nec non Clarissimi Auctoris in vetustis Ecclesiæ monumentis perscrutandis, discutiendisque eximiam peritiam commonstrent, hinc ad majorem apud litterariam Rempublicam ei laudem acquirendam, augendamque illam, quam aliis suis eruditissimis Dissertationibus sibi comparavit; præsertim verò ad Orthodoxa Dogmata non interrupta Patrum traditione, & irrefragabili Summorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum auctoritate confirmanda, oppositosque errores refellendos, Opus hoc dignissimum censeo, quod publici juris fiat.

Datum Romæ ex Ædibus S. Silvestri in Quirinali Kalendis Julii 1732.

D. Cajetanus Maria Meroti C. R. Sac. Rit. Congr. Consultor.

Die 3. Julii 1732.

Imprimatur extra Urbem servatis servandis

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ord. Præd. Sac. Pal. Ap. Magister.

Die 19. Aprilis 1733.

Imprimatur.

Fr. Sylvester Martini Ord. Præd. Inqu. Generalis Mediol. &c.

DIS-

DISSERTATIO
HISTORICO-THEOLOGICA
DE CHRISMATE CONFIRMATORIO,
CAPUT PRIMUM.

Chrismatis usum in confirmandis Neophytis ab ipsis usque Christianæ Religionis primordiis esse repetendum.

I. Chrismatis usum SS. PP. Pacianus, Innocentius I. Cyprianus, & Basilius ex Apostolorum traditione derivant.

II. Ad eumdem ritum adludit Apost. 2. Corinth. 1.

III. Basnagii argumenta adversus Sacræ unctionis primævam antiquitatem.

IV. Apostoli post Baptismum manus Neophytis imposuerunt.

V. Materialem ac sensibilem Baptizatorum unctionem Theophilus Antiochenus, & Clemens Alex. haud obscure & inverosimiliter designarunt.

VI. Tertulliani de Sacra unctione loca ad trutinam revocantur.

VII. Un-

VII. Ungendi ritum non, ut Basnagius blaterat, ab Hæreticis Ecclesia ; sed ab Ecclesia Hæretici acceperunt.

VIII. Baptismum Justini M. ævo sola constitisse aqua, nullisque ornatum fuisse Sacris ceremoniis, Basnagio temere adfirmanti nulla adhibenda fides.

1. CHrismatis usum in confirmandis Neophytis ipso ævo Apostolico in Ecclesia Catholica obtinuisse, & ex Apostolorum traditione, quam ipsi à Christo acceperint, profluxisse, veteres Ecclesiæ Patres compertum imprimis atque exploratum habuisse videntur. Celeberrimus quarti sæculi scriptor S. Pacianus Episcopus Barcinonensis Epist. I. adversus Sympronianum, inde probat Episcopis jus competere quæcumque scelera relaxandi, quod Apostolis dictum à Christo fuerit, quæcumque solvissent, soluta fore. Excipiebant Novatiani, hoc dictum fuisse solis Apostolis : „ An tantum, *inquit Pacianus*, hoc solis Apostolis licet ? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum Sanctum dare solis, & solis Gentium peccata purgare ; quia totum hoc non aliis quam Apostolis imperatum est. *Et infra*: „ Si ergo est Lavacri, & Chrismatis potestas, majorum longe „ charismatum, ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi. Chrismatis perinde atque Baptismi potestatem ex Apostolico jure, id est, ex ea qua Christus Apostolos auctoritate donavit, & filios Deo per Lavacrum regenerationis acquirendi, & Spiritum Sanctum per Chrismatis inunctionis communicandi, Sanctus Pacianus derivat; plane & aperte significans, Chrismatis usum haud secus quam Lavacrum aquæ per Apostolorum tempora obtinuisse.

Idem non minus perspicue tradit Paciano ferme Synchronus Innocentius I. Epist. I. ad Decentium cap. III. „ De consignandis vero infantibus, manifestum est, non ab alio quam ab „ Epi-

Digitized by Google

„ Episcopo fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, „ Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, „ verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit, Petrum, & Johannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum Sanctum. Nam Presbyteris, seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizant, Chrismate baptizatos „ ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum, non „ tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur „ Episcopis, quum tradunt Spiritum Paracletum. Positum in consultatione non erat, an penes solos Episcopos jus & auctoritas esset baptizatis manus imponendi, eoque ritu tradendi Spiritum Sanctum: sed quæstio in eo versabatur, an ad solos Episcopos, & non etiam ad Presbyteros pertineret, baptizatorum frontes sacro Chrismate delinire. S. Innocentius utrumque jus, nempe & donandi Spiritum Sanctum, & baptizatorum frontes chrismate perungendi, solis Episcopis adserit; idque non solum Ecclesiastica consuetudine, sed etiam Apostolorum exemplo, literarum monumentis in Actis Apostolicis consignato, in quo profecto nihil momenti fuisset, si Chrismatis unctio ipsi ceremonia quædam accidentaria fuisset, impositioni manuum longe post Apostolorum tempora adjuncta; & nisi certum exploratumque Pontifex habuisset, Apostolos, quum dabant Spiritum Sanctum, non solum manus Neophytis imposuisse, sed ipsorum quoque frontes Chrismate consignasse.

Utroque, id est, Paciano & Innocentio longe antiquior Sanctus Cyprianus Epist. LXXIII. ad Jubajanum, totum Confirmationis ritum, nempe orationem, manuum impositionem, & baptizatorum consignationem Apostolici exempli auctoritate confirmat. Postquam enim Petri & Johannis ad Samaritanos profectionem commemoravit, *ut oratione*, inquit, *pro eis habita, & manu imposita, invocaretur, & infunderetur super eos Spiritus Sanctus*; idem nunc quoque in Ecclesia fieri quum ab Episcopis Neophyti confirmantur, hisce subinde verbis observat: *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, Præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impo-*

impositionem, *Spiritum Sanctum consequantur*, ET SIGNACULO DOMINICO CONSUMMENTUR. Signaculum Dominicum vocat ipsam Chrismatis inunctionem, quæ ab antiquis temporibus σφραγὶς, hoc est, *Signaculum* Græcis dicitur, eaque baptizatos τελειῶσαι, *consummari*, perinde atque Sanctus Cyprianus, observant. S. Basilii locum habes inferius n. VIII.

II. Nunc vero quoniam in hunc sermonem delapsi sumus, animadvertere libet, ad hunc externæ unctionis & consignationis ritum adludere Apostolum Epist. II. ad Corinth. cap. I. *Qui unxit nos Deus, & signavit nos*: Χρίσας ἡμᾶς Θεὸς, ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς. Quem locum Theodoretus exponens, ipsam, quæ adhibetur à Græcis, consignationis formulam usurpavit: αὐτὸς ἡμᾶς ἔχρισε, τοῦ παναγίου Πνεύματος σφραγῖδος ἠξίωσε: *ipse nos unxit, & Sanctissimi Spiritus signaculo dignos duxit*. His nempe Græci inter inungendum verbis utuntur: σφραγὶς δωρεᾶς τοῦ παναγίου Πνεύματος: *signaculum doni*, seu *donationis Spiritus Sancti*. Veteres itaque Ecclesiæ Patres integram, nobis ut ita dixerim, ac numeris omnibus absolutam Sacramenti Confirmationis speciem ex Sacris literis informarunt: & non minus unctionis & consignationis ritum, quam impositionis manuum & orationis seu invocationis Spiritus Sancti, ex divina institutione ac traditione Apostolica derivarunt.

III. Quum de iis omnibus, ex quibus Confirmationis Sacramentum coalescit, differere, mihi neutiquam proposuerim; sed de solo Chrismationis ritu, ejusque origine pertractare, quæ adversus manuum impositionem Confirmatoriam, prout eam veteres Patres ac Theologi ex Apostolica deduxerunt, moderni Hæretici disputarunt, impræsentiarum missa faciam; atque ea dumtaxat ad examen revocabo, quibus eorum aliqui probare contendunt, Chrismatis usum ab ævo esse Apostolico removendum, neque ante finem secundi sæculi hujusce ritus originem requirendam. Nimirum ante Tertullianum, qui labente secundo sæculo floruit, neminem veterum Scriptorum impositarum Neophytis post baptismum manuum, & multo minus Sacræ unctionis meminisse; non Justinum Martyrem, non Athenagoram, non Irenæum. Meminissent autem, si χειροθεσίας, & Chrismationis ritus sua fuisset ætate receptus. Sed Basnagium au-

audiamus inficiali hoc argumento adversus Catholicam traditionem in Annalibus decertantem: suis, inquam, verbis Batnagium differentem repræsentemus, ut integra constet ejus rationibus vis, neve illas (quod frequens Scriptoribus vitium est, qui adversæ opinionis argumenta aliis quam suorum Auctorum inclusa verbis exhibent) aut penitus labefactasse, aut quodammodo extenuasse judicemur.

„ Quod si verum, *inquit*, (*a*) amamus, nulla quidem baptizatis manus ad Confirmationem adhibita, labentibus annis æræ nostræ amplius CLX. Justinus ille Martyr, qui aperte atque candide omnes Christianorum ceremonias Cæsaribus exposuit, est Confirmationis insolens: (*b*) „ Quo vero modo Deo nos dicaverimus, per Christum renovati, jam exponemus, ne, si hoc prætereamus, maligne quidquam & dissimulanter agere in hac oratione videamur. Quicumque persuasi fuerint, & crediderint vera esse quæ à nobis traduntur & dicuntur, & vivere se ita posse receperint; orare jejunantes, & petere à Deo priorum peccatorum remissionem docentur, nobis cum illis una & orantibus & jejunantibus. Deinde eo adducuntur à nobis ubi aqua est; atque eo regenerationis modo, quo ipsi regenerati sumus, regenerantur: nam in nomine rerum cunctarum Parentis & Domini Dei, & servatoris nostri Jesu Christi, & Spiritus Sancti, in aqua tum lavantur. Deinde, omissa prorsus Confirmatione, venit ad Eucharistiam Justinus. Itaque ævo Sancti Martyris nondum emerserat Confirmatio, de qua in Apologia sua altum egit silentium. Ejus enim utique ceremoniæ meminisse debuisset, ut munus promissi conficeret, neve à desertore aliquo Ecclesiæ cri-

S „ minis

(*a*) Ad an. XXXVII. n. XXXVIII. & XXXIX.

(*b*) Ὃν τρόπον δὲ καὶ ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ Θεῷ, καινοποιηθέντες διὰ τοῦ Χριστοῦ, ἐξηγησόμεθα· ὅπως μὴ τοῦτο παραλιπόντες, δόξωμεν πονηρεύειν τι ἐν τῇ ἐξηγήσει, ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα, καὶ λεγόμενα εἶναι, καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνῶνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς. ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀνεγεννήθημεν, ἀναγεννῶνται. ἐπ' ὀνόματος γὰρ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου Θεοῦ, καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ Πνεύματος ἁγίου, τὸ ἐν τῷ ὕδατι τότε λουτρὸν ποιοῦνται.

„ minis postularetur, quod sciens & prudens, nobilissimam Christianæ disciplinæ ceremoniam occuluisset. Quo facto & sibi, & Christianis, quorum patronum agebat, creasset periculum. Neque ante Tertullianum, qui tertio ineunte seculo floruit, ullum afferri testimonium potest, baptizatis manus impositæ. Quod enim ex Clemente Alex. apud Euseb. lib. III. H. 8. cap. XVII. Baronius, & alii producunt, ad Baptismum pertinere, cum Valesio contendit.

Deinde Tertulliani verbis in medium prolatis, quibus baptizatis & manus impositas, & unctionem adhibitam fuisse testatur; subjungit: „ Qui Justinum cum Tertulliano componet, „ multum reperiet discriminis hujus inter illiusque Baptismum. Baptismus Justini Apostolicum perfecte imitatur, sola aqua constantem. Nullo unguento perfundebatur, quos divini illi Viri Sacris undis expiarunt: non Eunuchus Candaces Reginæ, non Commentariensis, non tria Discipulorum millia, quos ad fidem adduxit Petri concio. Paulo Baptismus describitur *Lavacrum aquæ*. Prisca retinebatur simplicitas ævo Justini, quæ ætate Tertulliani deflorari cœpit, additis pluribus ceremoniis, ut Sacramento decus & lumen conciliaretur: ac vis ejus spiritalis signo visibili adumbraretur: lactis scilicet & mellis prægustata concordia, unctione, manuum impositione, quas Apostoli ceremonias non usurparunt, non Justinus, non Athenagoras, imo non Irenæus &c.

„ Erat una quidem de Valentinianorum institutis unctionis ceremonia. Irenæus lib. I. cap. XVIII. (a) Post deinde ungunt Sacratum opobalsamo. Unguentum enim hoc typum esse dicunt ejus suavitatis, quæ sit super universa. Quidam autem eorum adducere quidem ad aquam, supervacuum esse dicunt: admiscentes autem oleum & aquam in unum, cum quibusdam prophanis dictionibus, similibus quæ supra prædiximus,

(a) Εἶτα μυρίζουσι τὸν τετελεσμένον τῷ ὀπῷ τῷ ἀπὸ βαλσάμου· τὸ γὰρ μύρον τοῦτο τύπον τῆς ὑπὲρ τὰ ὅλα εὐωδίας εἶναι λέγουσιν. ἔνιοι δὲ αὐτῶν τὸ μὲν ἄγειν ἐπὶ τὸ ὕδωρ περισσὸν εἶναι φάσκουσι, μίξαντες δὲ ἔλαιον καὶ ὕδωρ ἐπὶ τὸ αὐτὸ μετ' ἐπιῤῥήσεων ὁμοιοτρόπων, αἷς προειρήκαμεν, ἐπιβάλλουσι τῇ κεφαλῇ τῶν τελειουμένων, καὶ τοῦτ' εἶναι τὴν ἀπολύτρωσιν θέλουσι· μυρίζουσι δὲ καὶ αὐτοὶ τῷ βαλσάμῳ. Apud Epiphan. Hæresi XXXVI. Marcosian. §. XX.

„ ximus, mittunt super eorum caput qui sacrantur: & hoc „ esse redemtionem volunt. Ungunt autem & ipsi opobalsamo. „ Hinc non immerito colligimus, propriam Hæreticis fuisse „ disciplinam, baptizatos perfundendi opobalsamo; cum ea memoret Irenæus, quibus ab Ecclesia Valentiniani discrepa„ bant. Neque unquam pro sua sapientia atque candore opti„ mus ille Pater, impuris objecisset hominibus, ritus à Catho„ licis observatos. Hinc non mala afferri conjectura potest, ex „ Valentinianorum fonte, in Ecclesiam deductum esse Chris„ matis institutum, ut pergratum illis fieret, qui sectam Va„ lentinianorum ejurantes, in Ecclesiam se recipiebant. Ac eo „ facilius susceptus ille ritus, quod non sine sapientiæ umbra „ admitti videbatur. Sic enim novo lumine Baptismus illustra„ batur, sic spiritalis unctio veluti coram ante oculos adduce„ batur. Tam sane ex Hæreticis, quam ex Ethnicis desumere „ ceremonias licuit, quæ specie quadam rationis se se com„ mendabant„. His itaque tribus momentis probare Basnagius nititur, Chrismatis usum in Ecclesia Catholica recentioris esse, quam vulgo putatur, institutionis. Primum ex silentio petitur Scriptorum Canonicorum: Secundum, ex silentio Auctorum Tertulliano vetustiorum: Tertium denique ex Irenæo, qui unctionis ritum Valentinianis adtribuit. Hæc itaque momenta sequentibus observationibus evertere ac labefactare conabor.

IV. Primo itaque observo, plures etiam in Sacris Libris reperiri ab ipsismet Apostolis baptizatos, quibus non solum ullam unctionem adhibitam, sed neque manus impositas fuisse aperte legimus, ut inter ceteros tria Discipulorum millia, quos ad fidem adduxit Petri concio: quos tamen Apostolicarum manuum fuisse impositione donatos, ambigendum non est. Si enim Samaritanis ad Christiana Sacra perductis, & vix eorum per Philippum audita Jerosolymis conversione, curæ Apostolis fuit, ut non diu manuum impositione carerent; sed ad eos statim Petrum & Johannem id muneris obituros direxerunt: quis animum inducat credere, id officii erga illos, quos ipsi Sacris undis expiabant, Apostolos neglexisse? Custodem carceris totamque ejus domum Philippis à Paullo fuisse baptizatum, memoriæ proditum est; sed eis Apostolum manus imposuisse non

 legi-

legimus. An igitur illos Spiritu Sancto vacuos dimisisse putandus est? Nequaquam. Nam moris fuisse Apostolo baptizatis manus imponere, eaque ceremonia advocare in eos Spiritum Sanctum, ex eisdem Actis Apostolicis compertum est. Nam quorsum illa ad Ephesios interrogatio: *Si Spiritum Sanctum accepistis credentes?* quorsum, inquam? Nisi ut eos per manuum impositionem perficeret, quos quidem cum in Christo baptizatos fuisse non dubitaret; ambigebat tamen, an manus eis fuissent impositæ, quod Minister ejusmodi potestate præditus forsitan non fuisset. Sed quum eos solo ablutos Johannis Baptismate comperisset, in Christi nomine baptizatos manuum impositione donavit, & Spiritus Sancti Charismatis inlustravit. Unde colligitur, nullius heic esse ponderis inficiale argumentum: quum ex duobus Actorum locis, in quibus baptizatis manus ab Apostolis adhibitæ referuntur, aperte constet, generalem hanc fuisse ipsius ævi Apostolici consuetudinem. Si quæ autem heic essent negantis argumentis vires, alios præter Samaritanos & Ephesios Apostolicarum manuum impositionem in Spiritum Sanctum post Lavacrum esse consequutos, inficiandum esset; quum de aliis scriptum non sit. Imo quamplures Fideles nec fuisse Sacris undis ablutos; ut quinque millia Virorum, quos altera Petri concio ad fidem perduxit, Sergium Paullum Proconsulem, Dionysium Areopagitam, Damasim, & alios plures, quos non solum manuum impositione donatos fuisse non legimus, sed Apostolis fuisse baptizatos, literarum monumentis proditum non est. Quod si dicas, id ex Christi lege de abluendis cunctis Fidelibus apertissime intelligi, licet scriptum non sit: quidni etiam & cunctis manus impositas, ex ea sollicitudine, quam de Samaritanis & Ephesiis manuum impositione donandis Apostoli gesserunt, facile intelligamus; Etsi de aliis altum esse daremus in Sacris Libris silentium? daremus, inquam, nam tribus illis Discipulorum millibus, quos prior Apostolorum Principis concio ad fidem adduxit, manus fuisse post Baptismum impositas, etsi aperte scriptum non sit; negari tamen nulla ratione posse videtur, & ex illis Petri verbis colligitur: *Baptizetur unusquisque vestrum; & accipietis donum Spiritus Sancti*. Illud nimirum donum, quod ii ad quos loquebatur, in Apostolis mirabantur,

non

non solum gratiam interiorem secum adferens, sed etiam Linguarum facultatem, & Spiritum Prophetiæ. Hoc autem donum per manuum impositionem credentibus esse communicandum, ut ex superius adlatis Samaritanorum & Ephesiorum exemplis constat, Apostolorum Princeps neutiquam ignorabat. Denique generalem hunc *χειροθεσίας*, *impositionis manuum* per ea tempora usum plane demonstrant Apostoli verba ad Hebræos cap. VI. ubi post Baptismum impositionis manuum mentionem facit, qua non minus quam illo Fideles omnes præditos fuisse significat: *Non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*. Quatuor ceremonias eodem ordine recenset, quo in adgregandis Ecclesiæ corpori hominibus olim usurpabantur; præteritorum scelerum pœnitentiam, sollemnem fidei professionem, baptismum, & manuum impositionem: Quos generales fuisse Ecclesiæ Apostolicæ ritus ex ipso Apostoli textu perspicuum est. Memoratam autem hoc loci manuum impositionem ad Sacramentum Confirmationis pertinere, *magno consensu docent Interpretes tam Græci, quam Latini*: *Nec aliud quid convenientius potest intelligi*, inquit doctissimus Estius. Jamvero conjunctam ea etiam ætate fuisse cum manuum impositione Chrismatis inunctionem, præter alios bene multos ex quibus id aperte colligitur, superius laudati Pacianus, Innocentius, & Cyprianus perspicue tradiderunt, qui, ut vidimus, Apostolorum exemplo id juris, nempe baptizatorum frontes, quum eis in Spiritum Sanctum manus imponuntur, Chrismate consignandi, Episcopis vindicarunt. Falso itaque Basnagius adserit, Baptismum Apostolicum sola aqua constitisse; hoc est, nullas post Baptismum ab Apostolis ad Neophytos confirmandos manus impositas, nullam unctionem adhibitam. Nam de manuum impositione, quin fuerit ab Apostolis communiter usurpata, negari sine ingenti temeritate non potest. Nunc de proximis post ævum Apostolicum temporibus videamus.

V. Ullum ante finem secundi sæculi neque τὸ μύρον, neque χειροθεσίας fuisse apud Catholicos usum, Dallæi, Basnagii, & aliorum id genus hominum sententia est, qui veterum silentio nituntur. Neminem quippe ante Tertullianum hujusce Sacramenti

menti meminiſſe. Duo quidem adferri ſolent paullo vetuſtiorum Patrum teſtimonia; alterum ex Theophilo Antiocheno lib. 1. ad Auſtolycum, alterum ex Clemente Alex. apud Euſeb. loco ſuperius laudato. Sed neutrum huc facere, etiam plerique Catholicorum exiſtimant. Ego vero quamvis ejuſmodi teſtimonia non adeo pro diſertis habeam, ut adſenſum vel invitis extorqueant; ad Confirmationem tamen adludere mihi videntur, & aliquod in eis licet obſcurum animadvertere mihi videor hujuſce Sacramenti veſtigium. Theophilus loco citato ſic habet: „ (*a*) Quod tibi ludibrium debeo, dum me Chriſtianum nuncupas, non magni facio; imo reſpondeo, te neſcire quid dicas. Nam unctionis hoc nomen, in primis bonum ſuaveque eſt, nec riſum meretur. Quæ etenim navis bona, & uſui eſſe poteſt, niſi prius ungatur? Quæ turris aut domus elegans, & utilis eſſe poteſt, niſi prius ungatur? Quis mortalium, qui progreditur in hanc vitam, quæ certaminum arena eſt, & non oleo inungatur. Quodnam opus ornatum haberi poteſt, niſi perungatur, & quaſi ſplendore inluſtretur? Præterea aër, & omnis quæ ſub cœlo eſt terra quodammodo lumine & ſpiritu inungitur; & tu recuſas macerari Dei oleo? Certe nulla alia ex re Chriſtianorum nomen traximus, quam quod divino oleo perfundimur. De unctione & oleo ſpiritali quo interius inungimur, intelligendum eſſe Theophilum, Heterodoxi contendunt. Sed quum paullo poſt Theophilum, imo ſi Doduvelli calculos ſequimur, qui hos libros in medio Severianæ perſecutionis æſtu ab alio Theophilo paullulum recentiori editos putat (*b*), huic Auctori Synchronus Tertullianus materialis unctionis tam diſerte meminerit, & hanc ſpiritalis unctionis

(*a*) Περὶ δὲ τοῦ σε καταγελᾶν μου, καλοῦντά με χριστιανόν· οὐκ οἶδας ὃ λέγεις. πρῶτον μὲν, ὅτι τὸ χριστὸν ἡδὺ καὶ εὔχρηστον καὶ ἀκαταγέλαστόν ἐστι. ποῖον γὰρ πλοῖον δύναται εὔχρηστον εἶναι καὶ σώζεσθαι, ἐὰν μὴ πρῶτον χρισθῇ; ἢ ποῖος πύργος ἢ οἰκία εὔμορφος καὶ εὔχρηστός ἐστιν, ὅταν οὐ κέχρισται; τίς δὲ ἄνθρωπος εἰσελθὼν εἰς τόνδε τὸν βίον, ἢ ἀθλῶν, οὐ χρίεται ἐλαίῳ; ποῖον δὲ ἔργον ἢ κόσμιον δύναται εὐμορφίαν ἔχειν, ἐὰν μὴ χρισθῇ, καὶ στιλβωθῇ; ἔπειτα ἀὴρ μὲν καὶ πᾶσα ἡ ὑπ' οὐρανὸν, τρόπῳ τινὶ χρίεται φωτὶ καὶ Πνεύματι· σὺ δὲ οὐ βούλει χρισθῆναι ἔλαιον Θεοῦ; τοιγαροῦν ἡμᾶς τούτου ἕνεκεν καλούμεθα χριστιανοί· ὅτι χριόμεθα ἔλαιον Θεοῦ.

(*b*) Ap. Nourry. Diſſert. IV. de ſec. Sæc. Scriptorib. cap. II. §. I.

ctionis caussam esse docuerit; nonne ad istam quoque materialem unctionem adludere voluisse Theophilum, verosimile est? Ita enim de illa loquitur, ut hanc non excludat; exclusisset autem, nisi tunc in usu fuisset. Nam quum de rebus corporeis earumque sensibili unctione in iis, quæ adducit exemplis loquatur, ne huic aliqua ex parte similem Christianorum unctionem, unde ipsorum nomen deductum est, esse putarent, Gentiles utique monuisset. Hoc siquidem pacto longe disertius ac luculentius sacrum hoc nomen profanorum hominum risui ac ludibriis exemisset. Corporalem itaque ac spiritalem in unam miscuit unctionem; & ex utraque Christianorum nomen derivasse mihi videtur: quomodo Tertullianus lib. de Baptismo cap. 7. unctionis qua nos carnaliter, & spiritaliter ungimur, originem repetit ex ea unctione, qua Christus spiritaliter unctus est, ex qua & Christus est appellatus, & nos postea Christianorum nomen accepimus: „ Exinde egressi de lavacro per-„ ungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua un-„ gui oleo de cornu in Sacerdotium solebant. Ex quo Aaron „ à Moyse unctus est; unde Christus dicitur à Chrismate, quod „ est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiri-„ talis, quia Spiritu unctus est à Deo Patre, sicut in Actis: Collecti sunt enim verè in ista Civitate adversus Sanctum Filium tuum, quem unxisti. *Sic & nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit.*

Locus Clementis superius laudatus ex libro *τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος*; *Quinam dives salutem possit consequi*; is est: (*a*) *Deinceps Sacerdos de pristina cura atque custodia paullatim remisit, quippe quum perfectissimo custode apposito, Christi videlicet signaculo juvenem communisset*. De Baptismo, an de Confirmatione hic locus accipiendus sit, non minima inter eruditos disceptatio est. De Baptismo Clementem interpretantur, ut Protestantes omittam, Dallæum (*b*) Basnagium (*c*) Binghamum (*d*) clarissimi Viri, Hen-

(*a*) *Καὶ μετὰ τοῦτο ἀνῆκε τῆς πλείονος ἐπιμελείας καὶ παραφυλακῆς, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου.*

(*b*) De Confirmat. lib. II. cap. I. p. 110.

(*c*) To. I. Annal. a. D. 37. n. XXXVIII.

(*d*) Origin. Ecclesiastic. Vol. IV. lib. IX. cap. I. §. VI.

Henricus Valesius (*a*) Combefisius (*b*) Du-Cange (*c*) & Nourry (*d*), qui plurima veterum Patrum loca congerunt, quibus Baptismus dicitur σφραγὶς τῦ Κυρίυ, signaculum Domini, & τελείωσις, id est, *perfectio*. Ad hæc observant, de Baptismo verbis immediate præcedentibus loquutum esse Clementem: *νεανίσκον... τὸ τελευταῖον ἐφώτισε*, *tandem juvenem baptizavit*. Et in eadem Oratione dictum Clementi Baptismum σφραγῖδα, καὶ λύτρωσιν, *signaculum*, & *liberationem à peccatis*: adeoque nullam esse rationem, cur de Confirmatione potius, quam de Baptismo intelligamus.

Contra de Confirmatione loqui hunc Auctorem existimant Christophorronus (*e*), Emin. Bellarminus (*f*), & Illustrissimus Petrus de Marca, cujus heic verba adtexere libet (*g*) „ σφραγὶς „ dicitur a Græcis (*Confirmatio*), qui baptizatos illa τελειῦσθαι, „ ideft, *consummari* observant; ut in ipso Clementis Alexan„ drini testimonio apud Eusebium lib. III. Hist. Eccl. cap. „ XXIII. ubi agitur de quodam adolescente, quem Episcopus „ tinxerat, ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τῦ „ Κυρίυ, *postquam illi adhibuisset signaculum Domini tamquam per„ fectum custodiam*. Et in Ecloga vitæ Athanasii apud Photium „ Alexander Pontifex Alexandriæ pueros ab Athanasio quoque „ puero baptizatos, per unctionem & Christi signaculum con„ summasse & perfecisse dicitur: τὸ τῆς ἐπιχρίσεως διὰ τῆς ἐν Χριστῷ „ σφραγῖδος ἀπήλλωσεν. Videndus quoque in eamdem sententiam doctissimus Hugo Menardus in Librum Sacramentorum D. Gregorii n. XXXIII.

Mihi vero utraque sententia facile conciliari posse videtur, si Clementem intelligamus de Baptismo non equidem solitarie sumpto, sed prout conjunctam habebat ex veteris Ecclesiæ disciplina Confirmationem. Ex hoc enim utrumque Sacramentum.

(*a*) Annot. ad lib. III. H. E. Euseb. cap. XXIII.
(*b*) In Not. ad Clem. lib. τίς ὁ σωζόμενος &c.
(*c*) Glossario Med. & infimæ Græcit. verbo σφραγίς.
(*d*) Appar. Dissert. III. de Clem. Alex. Operib. cap. 2. ar. 3.
(*e*) Apud Valef. loc. cit.
(*f*) De Sac. Confirmat. lib. I. cap. V.
(*g*) In Not. ad Concil. Clement.

Digitized by Google

rum conjungendi ritu profluxit, ut Confirmationem veluti pro appendice ac perfectione Baptismi antiqui Patres haberent, de illis tamquam de uno eodemque Sacramento quandoque loquerentur, & Confirmationis effectus Baptismo aliquando tribuerent: quamquam innumeris eorum luculentisque testimoniis constet, esse unum Sacramentum ab altero distinguendum; sed antequam Hæreses grassarentur, quæ utrumque reapse in unum permiscerent, Patres hac in re, ut in aliis, liberius aliquando loquuti sunt. Tria sunt quæ Baptismo in præmissis verbis Clemens adtribuit, esse animæ signaculum, munimentum, ac perfectionem, seu perfectam custodiam: hæc autem omnia, simul præsertim & conjunctim sumta, non Baptismo seorsim, sed prout adnexam habebat Confirmationem, suppares Clementi Scriptores tribuisse videmus: Tertullianus: (*a*) *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima consacretur. Caro signatur ut anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur.* S. Cyprianus: (*b*) *Per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur.* Quibus verbis Confirmationi diserte tribuunt, quæ Clemens Alex. Baptismo. Tertulliani verba ita Petrus de Marca apposite atque eleganter exponit (*c*) „ Id nempe significat Tertullianus, Baptismo carnem dilutam, „ Chrismate ungi, & signari, id est, velut signi impressione „ muniri. Quemadmodum enim ea tempestate Patres familias „ annulis aureis supellectilem atque penum omnem obsignabant, ne quid negligentia aut furto periret; ita quoque ipsa „ Chrismatis unctione, velut signaculo, anima Christiani obsignari, & muniri dicitur à Tertulliano, ne pateat hostium „ insidiis. Quæ sane expositio in Cypriani perinde verba optime quadrat, & Clementis Alex. locum in bono lumine collocant. Nam non est ovum, ut ajunt, ovo similius, quam Tertulliani & Cypriani loca de Confirmatione, & laudatus Clementis Alex. locus de Baptismo: Quæ melius atque commo

(*a*) Lib. de Resurrect. carnis. cap. VIII.
(*b*) Epist. LXXIII. ad Jubajan.
(*c*) Ubi supra.

dius conciliari non poſſunt, quam ſi dicamus, de Baptiſmo quatenus Confirmationem complectebatur, Clementem eſſe loquutum. Sed obſervatione imprimis digna ſunt Cornelii Papæ verba Epiſt. ad Fabium Antiochenum, ubi non modo tributos à Clemente Baptiſmati effectus, Confirmationi adſcribit; ſed etiam diſerte negat, Baptiſmo ſine Confirmatione convenire. Nam de Novatiano loquens, qui fuerat in lectulo baptizatus, & à morbo elapſus Confirmationem neglexerat; negat, ipſum, hoc ſignaculo minime percepto, Spiritum Sanctum accipere potuiſſe: Neque mirum eſſe ſignificat, ſi hac cuſtodia ſigilloque fraudatus hoſtium inſidiis patuerit, & ingruente perſecutione animum abjecerit, ac ſeipſum Presbyterum eſſe negaverit: (a) *Sed neque poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent: neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Quum igitur ejuſmodi fuerit Scriptorum Clementi Alexandrino ſupparium de Confirmatione ſententia, ut niſi per Confirmationem haberi non poſſe doceant, quos ille Baptiſmo adſcribit effectus; an non hinc optima conjectura exſiſtit, de Bapiſmo haut ſeorſim à Confirmatione Clementem eſſe loquutum; Sed quatenus utroque Sacramento una eademque Chriſtiani hominis vita perficitur; quam Baptiſmus quoniam inchoat, & Confirmatio conſummat; haut mirum, ſi prætermiſſa Confirmatione, totum aliquando veteres Eccleſiæ Patres Baptiſmo tribuerint. Ita enim & Chriſtiani hominis ſalus fide & caritate conſtat; quam tamen quoniam fides inchoat, & caritas perficit & conſummat, totum aliquando fidei, prætermiſſa caritate, in Sacris literis adtribuitur.

Heinc autem ſervati ab Juſtino Martyre ſilentii in quo præcipuum cauſſæ ſuæ firmamentum Baſnagius conſtituit, ratio facile reddi poteſt. Quum enim Catecheſin ſcribere animo neutiquam inſtituiſſet; ſatis habuit præcipuorum Eccleſiæ Sacramen-

(a) *Οὐ μὲν οὐδὲ τῶν λοιπῶν ἔτυχε, διαφυγὼν τὴν νόσον, ὧν χρὴ μεταλαμβάνειν κατὰ τὸν τῆς ἐκκλησίας κανόνα· τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τούτου δὲ μὴ τυχὼν, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἔτυχε.* Apud Euſeb. lib. VI. Hiſt. Eccleſ. cap. XLIII.

mentorum, Baptismi videlicet atque Eucharistiæ, summa capita delibare; neque ipsius instituti ratio postulabat, ut singula quæ Baptismum antecedunt aut consequuntur, Catechistarum more adcuratissime consectaretur. Sed verendum erat, inquit Basnagius „ ne à desertore aliquo Ecclesiæ criminis postularetur, „ quod sciens & prudens, nobilissimam Christianæ disciplinæ „ ceremoniam occuluisset. Quo facto & sibi & Christianis, „ quorum patronum agebat, creasset periculum. Hui tam gra- „ ve malum! Quasi vero Catecheses exarandi munus Sancto Martyri ab Imperatoribus fuisset impositum, aut multum eorum referret scire, an Christiani homines post Lavacrum etiam oleo perungerentur. Ut verendum fuerit, ne id Justinus silentio involvens tantum facinus sanguine elueret, neve eam ob caussam adversus Christianos gladiis & ignibus irati Cæsares desævirent. O inanes & miseræ conjecturæ!

VI. Sed nos Justini silentio diserta luculentaque Tertulliani loca, & auctoritates obducimus, ex quibus manifesto adparebit, longe antequam ille scriberet, Chrismatis usum in perungendis Neophytis apud Catholicos invaluisse, atque ejusdem esse, hujus Auctoris judicio, atque sententia, cum Baptismo & Eucharistia divinæ institutionis, & in Ecclesia Catholica vetustatis. Unde Adversariorum judicium imprimis atque prudentiam desideramus, qui quod primam invenerint apud Tertullianum Chrismatis sive olei mentionem, inde statuerunt, tertio dumtaxat ineunte sæculo unctionis ritum obtinuisse. Atqui sedulo animadvertendum erat, an Tertullianus de hoc ritu tamquam recens instituto loqueretur, an potius ut antiquum obtruderet, ejusque originem ab ipsis Christianæ Religionis incunabulis, & Christi Domini institutione repeteret. Ipsa igitur hujus Auctoris verba, quæ lucem huic controversiæ maximam adferre possunt, haud oscitanter & perfunctorie nobis tractanda sunt, sed adunate ac sedulo examinanda. Libro de Baptismo capite septimo: ***Exinde egressi de lavacro perunguimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungui oleo de cornu in Sacerdotium solebant. Ex quo Aaron à Moyse unctus est; unde Christus dicitur à Chrismate, quod est unctio, quæ Domino nomen accommodavit, facta spiritalis, quia spiritu unctus est à Deo Patre, sicut***

in Actis: Collecti sunt enim vere in ista Civitate adversus Sanctum Filium tuum, quem unxisti. *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit: quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur*. Circa hæc Tertulliani verba plura Heterodoxi nugantur: quod unctioni balsamum non admisceat, quod unctionem manuum impositioni præmittat, quod unctionem aquis baptismalibus pene immergat; quæ omnia ad ritus originem nihil pertinent, & suis locis ad examen revocabuntur. Hoc solum præsentis est instituti, quod unctionem à Tertulliano *de pristina*, hoc est, de Mosaica *disciplina*, non à Christi Domini institutione, vel ab Apostolica consuetudine deductam animadvertunt. Quibus illud imprimis reponimus, quod neque de Valentinianorum disciplina unctionem produxisse, Tertullianus docet; quod post quindecim sæcula Basnagius somniavit, somniumque suum literarum monumentis tradere non est veritus. Deinde illud obsecro, quod quamvis manus imponendi ritum Apostolorum exemplo confirmare optime potuerit; quomodo post ipsum Cyprianus (*a*), Firmilianus (*b*), Hieronymus (*c*), Augustinus (*d*), & alii; eum tamen potius *de pristina*, hoc est, Judaica *disciplina* deduxit, & ex descensu Spiritus Sancti in Columbæ specie super Christum post Lavacrum; quemadmodum & ungendi ritum *de pristina disciplina*, & Christi unctione spiritali: (*e*) *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans & invitans Spiritum Sanctum..... Sed* EST HOC QUOQUE DE VETERI SACRAMENTO, *quo nepotes suos ex Joseph, Ephraim & Manassem, Jacob capitibus impositis & intermutatis manibus benedixerit, & quidem ita transversim obliquatis in se, ut Christum deformantes, jam tunc portenderent benedictionem in Christum futuram. Tunc ille Sanctissimus Spiritus super emundata & benedicta corpora libens à Patre descendit, super Baptismi aquas, tamquam pristinam sedem recognoscens requiescit, Columbæ figura delap-*

(*a*) Epist. sæpius citata ad Jubajan.
(*b*) Epist. inter Cyprianicas LXXV.
(*c*) Dialogo advers. Luciferianos.
(*d*) Lib. V. de Baptismo cap. XX.
(*e*) Ubi supra cap. VIII.

Digitized by Google

delapsus in Dominum, ut natura Spiritus Sancti declararetur per animal simplicitatis & innocentiæ . . . NE HOC QUIDEM SINE ARGUMENTO PRAECEDENTIS FIGURAE. *Quemadmodum enim, post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, & post baptismum (ut ita dixerim) mundi, pacem cœlestis iræ præco Columba terris adnuntiavit demissa ex arca & cum olea reversa: quod signum etiam apud Nationes paci prætenditur: eadem dispositione spiritalis effectus, terræ, id est, carni nostræ, emergenti de lavacro post vetera delicta, Columba Sancti Spiritus advolat, pacem Dei adferens, emissa de cœlis, ubi Ecclesia est arca figurata.* Sed & ipsius Baptismi veteres figuras studiosissime consectatur, ejusque usum *de pristina disciplina* eodem plane sensu derivat. Nam nihil intendit aliud, quam in veteris disciplinæ sollenniis adumbrata fuisse novi Fœderis Sacramenta, & horum illa velut incunabula quædam & rudimenta fuisse; adeoque primam inde nostrorum Sacramentorum quodammodo originem repetendam. Unde concludit: *Quot igitur patrocinia naturæ, quot privilegia gratiæ*, QUOT SOLLENNIA DISCIPLINAE, FIGURAE, PRAESTRUCTIONES, *precationes religionem aquæ ordinaverunt*. Ceterum ex laudatis verbis aperte constat, unctionem & manuum impositionem eodem plane loco, ac ejusdem divinæ institutionis & originis à Tertulliano fuisse habitam, quo Baptismum. Non enim ceremoniæ recens ab Ecclesia institutæ, & ex impuris Valentinianorum fontibus derivatæ adeo præclaros effectus tribuisset: neque de illius virtute non minus quam de ipso Baptismo magnifice loquutus fuisset: *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit: quomodo & ipsius Baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur*. Baptismo nimirum liberationem à peccatis adscribit; unctioni vero & manuum impositioni Sancti Spiritus plenitudinem; quam adeo proprium ac peculiarem Confirmationis effectum facit, ut eam Baptismo diserte adimat, & unctioni vindicet ac manuum impositioni: Unde capite sexto præmiserat: *Non quod in aquis Spiritum Sanctum consequamur, sed in aqua emendati sub Angelo Spiritu Sancto præparamur*. Spiritum Sanctum homines in aquis consequi prorsus non inficiatur; sed Spiritus Sancti nomine, ejusdem, ut indicavimus, Sancti Spi-

Spiritus intelligit plenitudinem; & ad illud Actuum Apostolorum adludit: *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Huc, inquam, adludit; & ex eo perenni utique Ecclesiæ traditione subnixus Confirmationis ritum atque efficaciam deducere voluisse putandus est. Alioquin, quo fundamento, qua ratione, quave auctoritate, ceremoniæ Baptismo, ut Adversarii volunt, recens adjectæ, & à Christo neutiquam institutæ effectum nobilissimum vindicasset? Qua, inquam, auctoritate Confirmationem cum Baptismo contulisset, & inter hæc duo Sacramenta adeo nobiles effectus partitus esset, nisi hæc perpetua fuisset Ecclesiæ Catholicæ doctrina atque traditio perenni eorumdem Sacramentorum usu confirmata?

Id vero adeo fixum, ac per se notum, & inter Christianos pervulgatum existimavit, ut inde argumenta confecerit adversus plures Hæreticorum Sectas, quibus potissimum Christiana Religio tunc temporis infestabatur, quæque aut Carnis Resurrectionem inficiabantur, aut adversus Creatorem impudentissime blasphemabant. Libro de Resurrectione Carnis cap. VIII. *Et hæc quidem velut de publica forma humanæ conditionis in suffragium carni procuraverim. Videamus nunc de propria etiam Christiani nominis forma, quanta huic substantiæ frivolæ ac sordidæ apud Deum prærogativa sit: etsi sufficeret illi, quod nulla omnino anima salutem possit adipisci, nisi, dum est in carne, crediderit: adeo caro salutis est cardo. Denique quum anima Deo allegitur, ipsa est, quæ efficit, ut anima allegi possit. Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur.* CARO UNGUITUR, UT ANIMA CONSACRETUR. CARO SIGNATUR, UT ET ANIMA MUNIATUR. CARO MANUS IMPOSITIONE ADUMBRATUR, UT ET ANIMA SPIRITU INLUMINETUR. *Caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur*. Et lib. I. adversus Marcionem cap. XIV. *Sed ille quidem* (scilicet Christus) *usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit*; NEC OLEUM, QUO SUOS UNGUIT; *nec mellis & lactis societatem, qua suos infantat; nec panem, quo ipsum Corpus suum repræsentat;*

etiam

etiam in SACRAMENTIS PROPRIIS *egens mendicitatibus Creatoris*. Quid autem virium & efficaciæ hisce argumentis inesset, si unctio Neophytorum, & manuum Sacerdotalium super eorum capita impositio aliive ejusmodi ritus, ceremoniæ fuissent, heri aut nudiustertius, non autem ante ipsam adversus quos decertabat, Saturninianorum, Valentinianorum, Apellitarum, & Marcionitarum ab Ecclesia Catholica defectionem, vel immediate ab ipso Christo, vel ab Apostolis, aut Viris Apostolicis institutæ? Quod dixerim ob *lactis & mellis societatem*, quam divinæ non esse institutionis credere par est. Sed & eam tamen libro de Corona Militis capite tertio inter illas Ecclesiæ consuetudines recenset, quæ, quod immemorabili consuetudine niterenter, vim jam legis obtinuerant, ut infra demonstraturi sumus. Ceterum hac una excepta ceremonia, divinæ ceteros esse ritus institutionis, plane & aperte significat. Nam Christum, ait, visibilia hæc elementa in Sacramentorum suorum usum adhibuisse. Quod quamvis de lactis & mellis usu, cui nullum effectum gratiæ proprium ac peculiarem adsignat, minus proprie accipiendum sit; de Unctione cur non eodem modo ac de Baptismo & Eucharistia dictum à Tertulliano fuisse intelligamus, nulla omnino ratio est: quum sacræ unctioni peculiarem effectum gratiæ, perinde ac Baptismo & Eucharistiæ, tribuat: & eam non solum duobus superioribus locis, sed etiam haut semel in libro de Præscriptione Hæreticorum, ut mox videbimus, mediam collocat Baptismum inter & Eucharistiam, & una cum illis in censum refert Novi Fœderis Sacramentorum. Sed ut dicere jam institueram, nisi ritus à Tertulliano recensiti ante prædictorum hæreticorum (qui vel ipso Justino Martyre vetustiores habentur) ab Ecclesia Catholica defectionem in usu fuissent, ridiculum prorsus ac futile Tertullianus inde conficeret argumentum. Nam facile reponere potuissent hæretici: Quid ad nos, si oleo Creatoris Neophytos ungere vobis libuit, gustandam illis post Lavacrum præbere lactis ac mellis societatem? Quod Vir acutissimus optime animadvertens, non in simplici harum rerum usu, sed in ipsius usus antiquitate vim argumenti collocavit: *Sed ille quidem* USQUE NUNC *nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos unguit &c.*

Digitized by Google

&c. Non ait; nunc oleum Creatoris adscivit, quo suos ungueerit; sed *usque nunc*, idest, post adeo longum temporis intervallum, ex quo adversus Creatoris opera blasphemare animo instituistis, Christus Creatoris *oleum non reprobavit*, *quo suos* ungueret, sed illo adhuc uti pergit. Profecto multum inter se differunt; Nunc oleum adsumsit, quod juxta Basnagium dicere debuisset: & quod reapse Tertullianus dixit; *usque nunc oleum non reprobavit*.

VII. Superest ut videamus, an ungendi ritum Ecclesia, uti Basnagius docet, ab Hæreticis acceperit: an potius una cum aliis Christianis Sacris & ritibus Chrismatis quoque usum Hæretici ab Ecclesia transfugæ secum asportaverint; Ab Ecclesia Catholica olei usum perinde atque Baptismi & Eucharistiæ Hæreticos recepisse, illud argumento est, quod, ut ex laudatis Tertulliani verbis colligitur, haud secus ac Baptismus & Eucharistia hæresum originem antecesserit: & postquam hæreses grassari cœperunt, non solum Catholicis cum Valentinianis, sed etiam cum Marcionitis, aliisque Hæreticis communis fuisse videatur. Sed quid conjecturas sequimur? quum perspicuum & luculentum hac de re habeamus ejusdem Tertulliani testimonium. Libro de Præscriptionibus Hæreticorum cap. XXXVI. inter alias Ecclesiæ Apostolicæ institutiones, has etiam recensens: *Aqua signat*, SANCTO SPIRITU VESTIT, *Eucharistia pascit*, *Martyrio exhortatur*; *& ita adversus hanc institutionem neminem recipit*. Qui ad adlata superius Tertulliani loca oculos intenderit, minime dubitabit, quin illa verba, *Sancto Spiritu vestit*, ad unctionem & manuum impositionem referenda sint, quas semper, uti supra observavimus, cum Baptismo & Eucharistia conjungit, & medias inter utrumque Sacramentum constituit, & quibus Sancti Spiritus plenitudinem, quam Baptismo adimit, luculentissime adscribit. Sed, quid mox subjungat, videamus: „ Hæc est institutio, non dico jam, quæ futuras hæ-
„ reses prænuntiabat; sed de qua hæreses prodierunt. Sed non
„ fuerunt ex illa, ex quo factæ sunt adversus illam. Etiam de
„ olivæ nucleo mitis & opimæ & necessariæ asper oleaster ori-
„ tur . . . . . Ita & hæreses de nostro frutice, non nostro ge-
„ nere, veritatis grano, sed mendacio silvestres. De illa ita-

que

que Ecclesiâ hæreses velut asperos oleastros pullulasse docet, quæ instar olivæ mitis & opimæ oleo adfluebat, & suis per unctionem Sancti Spiritus plenitudinem largiebatur. Hæc, inquam, est institutio tum quæ futuras hæreses prænuntiavit, tum de qua hæreses prodierunt: adeoque ad Ecclesiam longe antea quam ad hæreticos pertinuit non solum sacrarum literarum; sed & fontis, quo suos abluit; & olei, quo suos unguit, & panis, quo suos pascit, in Sacramentorum administratione possessio: in quam nullo jure hæretici, ut Filii rebelles ac degeneres involarunt: „ Ad quos, *ut ibidem Tertullianus subjungit*, merito „ dicendum est: Qui estis? quando, & unde venistis? Quid in „ meo agitis, non mei? Quo denique Marcion jure silvam „ meam cædis? Qua licentia Valentine fontes meos transver- „ tis? Qua potestate Apelles limites meos commoves? Mea est „ possessio. Quid heic ceteri ad voluntatem vestram seminatis „ & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, „ habeo origines firmas ab ipsis Auctoribus, quorum fuit res. „ Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo, „ sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos „ certe exheredaverunt semper & abdicaverunt, ut extraneos, „ ut inimicos. Quæ verba, non modo ad Sacrarum literarum, sed etiam ad Sacramentorum aliorumque Sacrorum rituum possessionem referenda sunt; quæ Apostolicis Ecclesiis, antequam hæreses grassarentur, in usu fuerunt, quæ inter Sacræ unctionis usus in consignandis Neophytis, quem cum aqua Baptismi, & pane Eucharistico Ecclesiæ Apostolicæ ab Apostolis acceperunt: hæretici vero ab Ecclesia recedentes, secum una cum Sacris literis asportarunt. Quamvis, ut eosdem Sacros Libros ad arbitrium interpolarunt; ita etiam Sacros tum ipsius Baptismi, tum Eucharistiæ, & unctionis ritus plurimi eorum pari licentia contaminarint.

Quinimo tantum abest, ut mysticæ consignationis ritum ex Valentinianorum, hoc est, diaboli officina Tertullianus prodiisse crediderit, ut ipsos potius dæmones in profanis Mithræ mysteriis hanc aliasque divinorum Sacramentorum sollennes ceremonias æmulatos esse, in eodem Libro non multo post adfirmaverit: *Sequitur, à quo intellectus interpretetur eorum, quæ ad*

V *hære-*

hæreses faciant? A diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res SACRAMENTORUM DIVINORUM, *idolorum mysteriis æmulatur. Tingit & ipse quosdam, utique credentes & Fideles suos: expositionem delictorum de Lavacro repromittit; & si adhuc memini*, MITHRA SIGNAT ILLIC IN FRONTIBUS MILITES SUOS: *Celebrat & panis oblationem: & imaginem Resurrectionis inducit, & sub gladio redimit coronam.* Verba illa, *signat illic in frontibus &c.* ad signum Crucis pertinere quod cum unctione post Baptismum in Confirmatione fiebat, non modo Catholici Scriptores, sed inter Heterodoxos doctissimus quoque Binghamus existimat. Quo etiam respicere docet sæpius laudatum ex Libro de Resurrectione Carnis ejusdem Tertulliani locum: *Caro abluitur &c.* „ Heic, *inquit* (*a*) „ omnia eo describit ordine, quo post Baptismum ad Eucharistiam usque fiebant. Erat ibi unctio & signatio beneficio Crucis, ac manuum impositio, & tum Eucharistia. Ut adeo hoc „ signum Crucis manifesto ad unctionem pertineat, quæ Baptismum consequebatur, & usitata erat impositionis manuum, „ seu Confirmationis cæremonia. ATQUE ITA ALIUM LOCUM TERTULLIANI INTELLIGAMUS, FAS EST, UBI „ AIT: *Diabolus ipsas quoque res Sacramentorum divinorum &c.* Ubi rursum ejusmodi Neophytorum consignationem, perinde atque Baptismum & Eucharistiam, inter *divina Sacramenta* connumerat. Hanc vero dæmonum instinctu Gentilibus in Mithræ mysteriis præscriptam divinorum Sacramentorum æmulationem, ante Tertullianum, in priore Apologia Justinus Martyr animadvertit, ne quis hæc inter recentiora, & Tertulliano coæva Gentium instituta recenseat: (*b*) *Quod quidem etiam in mysteriis atque initiis Mithræ fieri docuerunt per imitationem pravi dæmones. Quod namque panis & poculum aquæ, in sacrificiis, sive re divina ejus qui initiatur, ponatur, verbis quibusdam additis, aut certe scitis, aut cognoscere potestis.* Quod & de Baptismo paullo ante obser-

---

(*a*) Orig. Eccles. To. IV. lib. XI. cap. IX. §. VI.

(*b*) Ὅπερ καὶ ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις παρέδωκαν γίνεσθαι μιμησάμενοι οἱ πονηροὶ δαίμονες· ὅτι γὰρ ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος τίθεται ἐν ταῖς τοῦ μυουμένου τελεταῖς μετ᾽ ἐπιλόγων τινῶν, ἢ ἐπίστασθε, ἢ μαθεῖν δύνασθε.

servaverat. Unde non ex hæreticis, aut ex Ethnicis, uti Basnagius impudentissime blaterat, deductum est in Ecclesiam Chrismatis institutum: Sed illud ab Ecclesia pravorum dæmonum æmulatione tum Ethnici, tum hæretici in sua Conventicula derivarunt.

Sed ex Irenæi verbis *non immerito*, inquit Basnagius, *colligimus, propriam hæreticis fuisse disciplinam, baptizatos perfundendi opobalsamo; cum ea memoret* eo loco *Irenæus, quibus ab Ecclesia Valentiniani discrepabant*. At nunc de balsamo non inquirimus, sed generatim de unctione, quocumque demum oleo, vel simplici vel aliis liquoribus admixto, conficeretur. At hæc Basnagius confundit, ut Irenæi testimonio fretus ex Valentinianorum fontibus Chrismatis institutum in Ecclesiam deducat. Sed imprimis rationes temporum subducendæ; his enim perturbatis omnia confusa sunt, ac densissimis tenebris circumfusa. Quo anno Tertullianus ad Christiana Sacra transierit, incertum est: probabile tamen ac verosimile videtur, quod Oudinus statuit (*a*) id circa æræ vulgaris annum centesimum ac septuagesimum contigisse. Quo etiam anno sua Irenæus adversus hæreses Opera elucubrarit; incertum pariter est. At Viris doctis, & in Irenæi lectione subactis eam imprimis video probari sententiam, quæ in extrema Eleutheri tempora, & in priores Victoris annos horum Librorum editionem refert. (*b*) Unde juxta vulgares calculos viginti circiter annis Tertullianus prius ad Baptismum accessit, quam sua Irenæus adversus hæreses Opera promulgarit. Juxta familiarem autem Protestantibus post Peusonium (*c*) ac Doduvellum (*d*) annos priorum Pontificum computandi rationem statuere possumus, circa eadem fere tempora & Tertullianum fuisse baptizatum, & Irenæum Libros adversus hæreses elucubrasse. Alterutram sententiam sequamur, parum refert. Nam ex utraque colligitur, quo tempore Libris adversus hæreses adornandis Irenæus Operam dabat, propriam

V 2 non

(*a*) To. 1. de Scriptorib. Ecclef. in Tertulliano.
(*b*) Massuet. Differt. II. prævia in Iren. Art. 2. nu. 47. & seqq. Cleric. H. E. A. CLXXX. §. II.
(*c*) De Annis prim. Rom. Episc. Differt. II. c. XIV.
(*d*) Differt. de Rom. Pontif. success.

Digitized by Google

non fuisse hæreticis disciplinam baptizatos Chrismate perfundendi. Nam unctum fuisse Tertullianum e sacro fonte postquam emersit; quis adeo pertinax ut non agnoscat, aut inficias eat: *Exinde egressi de Lavacro perungimur benedicta unctione &c.* Profecto se absque Spiritu Sancto Tertullianus esse non credididit: at hunc non in aquis consequi homines, sed per unctionem & manuum impositionem apertissime testatus est: *Non quod in aquis Spiritum Sanctum consequamur &c.* Certo itaque constat, quo tempore Irenæus in opus adversus hæreses incumbebat, unctionis ritum propriam non fuisse hæreticis disciplinam.

Deinde illud quam absurdum, ac superioribus sæculis inauditum, quod Ecclesiæ *tam ex Ethnicis, quam ex hæreticis ceremonias licuerit accipere*! Ethnicos ex Sacris cum veteris tum Novi Fœderis institutis plurima ad Idolorum cultum pravorum dæmonum æmulatione transtulisse, veteres Patres, Justinus Martyr, Clemens Alex., Tertullianus, & Origenes identidem conqueruntur. Hæreticos quoque, quum ab Ecclesia defecerunt, Sacros ritus, aut integros retinuisse, aut ad arbitrium interpolatos, secum una cum Sacris Literis asportasse, ex Ecclesiasticis monumentis compertum est. Ecclesiæ vero tam ex Ethnicis, quam ex hæreticis ceremonias accipere libuisse, ut pergratum illis fieret, qui sectas ejurantes in Ecclesiam se recipiebant, quo teste adseritur, qua ratione, quo fundamento? Id vero si absurdum quovis tempore videri potest; longe absurdissimum ac difficillimum creditu est, id ab Ecclesia Catholica per ea tempora fuisse usurpatum, quibus Ethnica superstitio, vel hæreses potissimum grassabantur. Quibus sanè temporibus ab iis etiam quæ ἀδιάφορα reputantur, perquam sollicite abstinuit, ne aliqua in re convenire cum Ethnicis aut hæreticis videretur. Quis ergo animum inducat credere, Chrismatis institutum, ut Valentinianis gratificaretur, Ecclesiam admisisse: quum nulla de re grassantibus hæresibus magis sollicita fuerit, quam ut ab eis conversatione quoque, institutis, ac disciplina sejungeretur, quorum fidem ac dogmata reprobabat. Unde Irenæus *ritus à Catholicis observatos* impuris hominibus non objecit; sed ritus adnotavit, quos circa Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ celebrationem ab Ecclesia Catholica acceptos pravis superstitio-

ditionibus impuri homines contaminarant. Qua ratione Tertullianum inter & Sanctum Irenæum optime convenit.

VIII. Ex dictis colligitur, nullam esse adhibendam Basnagio fidem, quum ait, sola Baptismum Justini tempore aqua constitisse, & priscam simplicitatem ætate Tertulliani deflorari cœpisse, additis pluribus ceremoniis, lactis scilicet & mellis prægustata concordia, unctione, manuum impositione, quas Apostoli ceremonias non usurpaverint, non Justinus, non Athenagoras &c. Nulla, inquam, hæc adfirmanti Basnagio adhibenda fides. Nam Tertullianus paucis post Justini obitum annis baptizatus, has & alias ejusmodi ceremonias, inter eas Ecclesiæ consuetudines recenset, quæ ob diuturnum & immemorabilem usum vim jam legis obtinuerant. „ Ergo quæramus, *inquit* (*a*), an „ & traditio nisi scripta non debeat recipi? Planè negabimus „ recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, & exinde consuetudinis patrocinio vindicamus. „ Denique ut à Baptismate ingrediar; Aquam adituri, ibidem, „ sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistis manu contestamur, nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. „ Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondendo, quam „ Dominus in Evangelio determinavit. Inde SUSCEPTI, LACTIS ET MELLIS CONCORDIAM PRAEGUSTAMUS &c. Et infra: (*b*) „ Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si „ legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio „ tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides „ observatrix. Et rursum: His igitur exemplis renuntiatum „ erit, posse etiam non scriptam traditionem in observatione „ defendi, confirmatam consuetudine, idonea teste probatæ „ tunc traditionis EX PERSEVERANTIA OBSERVATIONIS. Consuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege „ suscipitur, quum deficit lex. Næ stupidum Tertullianum, aut rerum Ecclesiasticarum ignorantissimum, si hæc scribere ausus fuisset præter quam de ritibus atque institutis, quorum ob nimiam vetustatem ignotæ fuissent origines! An non ludibrium

(*a*) lib. de Corona milit. cap. III. (*b*) cap. IV.

brium omnibus deberet, seque deridendum omnibus propinaret, qui ceremoniæ vix ante quinquaginta annos (tot enim ab Justini martyrio ad annum quo Tertullianus librum de Corona Militis adornavit, non effluxerunt) ab Ecclesia institutæ vetustatem iis, quibus laudatus Auctor prædictorum Baptismi rituum vetus institutum, verbis amplificaret?

Nec solum Tertullianus in Africa, sed etiam Magnus Basilius in Asia hos aliosque Baptismi ritus, & præsertim Neophytorum inunctionem, ex primæva & Apostolica traditione deducit (*a*) „ Dogmata quæ in Ecclesia servantur, ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus. „ Quæ utraque eamdem ad pietatem vim habent, & nemo his „ contradicit, qui vel modicam saltem Ecclesiasticorum jurium „ experientiam habet . . . . Benedicimus aquam Baptismatis, & oleum unctionis, insuperque ipsum qui baptizatur: „ ex quibus scriptis? Nonne à tacita, & arcana traditione? „ IPSAM VERO OLEI INLITIONEM, QUAE DOCTRINA SCRIPTA DOCUIT? At ter immergi hominem, unde „ est? Reliqua item quæ circa Baptisma fiunt; renunciare Satanæ, & Angelis ejus, ex qua sunt Scriptura? Nonne ex „ hac non publicata & arcana doctrina, quam in minime curioso ac sollicito silentio Patres nostri conservarunt? recte „ illi, utpote docti mysteriorum reverentiam ac auctoritatem „ silentio custodiri.

In

(*a*) Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων, καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως, διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα· ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν· καὶ τούτοις οὐδεὶς ἀντερεῖ, ὅς τίς γε κἂν κατὰ μικρὸν γοῦν θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν πεπείραται...... Εὐλογοῦμεν δὲ τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ τὸ ἔλαιον τῆς χρίσεως, καὶ προσέτι αὐτὸν τὸν βαπτιζόμενον. ἀπὸ ποίων ἐγγράφων; οὐκ ἀπὸ τῆς σιωπωμένης τῆς μυστικῆς παραδόσεως; τί δὲ αὐτὴν τοῦ ἐλαίου τὴν χρίσιν; τίς λόγος γεγραμμένος ἐδίδαξε; τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον, πόθεν; ἄλλα δὲ ὅσα περὶ τὸ βάπτισμα· ἀποτάσσεσθαι τῷ Σατανᾷ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, ἐκ ποίας ἐστὶ γραφῆς; οὐκ ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας, ἣν ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ καὶ ἀπεριεργάστῳ σιγῇ οἱ πατέρες ἡμῶν ἐφύλαξαν, καλῶς ἐκεῖνοι δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὸ σεμνὸν σιωπῇ διασώζεσθαι. Lib. de Spiritu Sancto cap. XXVII.

In Ægypto paullo ante Tertullianum Clemens Alex. ad eamdem consuetudinem præbendi recens baptizatis *lactis & mellis concordiam* adludere videtur his verbis: (*a*) „ Lacte, dominico „ nutrimento, statim quidem postquam editi sumus, alimur : „ Simul ac autem regenerari fuimus, honore adlecti sumus, „ dum spes quietis adnuntiatur, superna Jerusalem, in qua „ & mel & lac pulvere scriptum est ; dum per materiale san- „ ctum nobis alimentum despondetur.

In Europa Sanctum habemus Hieronymum, qui Tertullianum imitatur, & eosdem quos ille ritus ad Apostolorum exemplum, ac vetustissimam Ecclesiæ traditionem, & consuetudinem refert: (*b*) *An nescis, Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, & ita invocetur Spiritus Sanctus?* Exigis, ubi scriptum sit ? In Actibus Apostolorum. „ Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius Orbis in „ hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & „ multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, „ auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt : velut in lava- „ cro ter caput mergitare : deinde egressos lactis & mellis „ prægustare concordiam, ad infantiæ significationem redire : „ . . . . multaque alia scripta non sunt, quæ rationabilis „ sibi observatio vindicavit.

His doctissimorum, & gravissimorum Patrum luculentissimis testimoniis præponendum non est Justini Martyris, Athenagoræ, & Irenæi silentium : neque istud adversus illorum perspicuas auctoritates argumento esse debet, Apostolicam, ut ajunt, in administrando Baptismo simplicitatem ætate Tertulliani lactis, & mellis prægustata concordia, unctione, & manuum impositione deflorari cœpisse. Quod enim apud vetustiores Tertulliani Scriptores horumce rituum expressa mentio non exstet, inde est, quod nullius ante ipsum Scriptoris

(*a*) Τῷ γάλακτι, τῇ κυριακῇ τροφῇ, εὐθὺς μὲν ἀποκυηθέντες, τιθηνούμεθα· εὐθὺς δὲ ἀναγεννηθέντες τετιμήμεθα, τῆς ἀναπαύσεως τὴν ἐλπίδα, τὴν ἄνω Ἱερουσαλήμ, εὐαγγελιζόμενοι· ἐν ᾗ μέλι ϗ γάλα ὀμβρεῖν, ἀναγέγραπται· διὰ τῆς ἐνύλου ϗ τὴν ἁγίαν μνηστευόμενοι τροφήν. Lib. I. Pædag. c. VI.

(*b*) Dialogo adversus Luciferianos.

toris tot, & tam varii libri, tamque varia, & multiplici rerum Ecclesiasticarum eruditione referti ad nos pervenerunt: Non autem quod nihil eorum ante Tertullianum observaretur, quorum ipse originem ab antiquissima consuetudine repetit; & quæ ceteri Patres ab ipsis usque Ecclesiæ incunabulis servata suisse testantur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT SECUNDUM.

Patribus Latinis Concilio I. Arausicano antiquioribus Sacram Unctionem distinctum fuisse à Baptismate Sacramentum.

I. Claudii du-Vert opinio, quod Chrismatio mera olim fuerit ac simplex Baptismi ceremonia.

II. Sacra Unctio quo fuerit olim ordine administrata, ex Veterum testimoniis non omnino adparet.

III. Tertullianus Chrismationis ritum à Baptismo apertè distinguit, & Sacramentis novæ Legis adnumerat.

IV. In eamdem sententiam S. Cornelii locum in Epist. ad Fabium Antioch. Rufinus interpretatur: ejusque interpretatio à Cl. Valesii objectionibus vindicatur.

V. Chrismationis unum esse ex novæ Legis Sacramentis à Baptismo distinctum, Cypriani, Paciani, Optati Milevitani, Rufini, Innocentii I., & Augustini locupletissimis testimoniis probatur.

Digitized by Google

I. ANtiquissimum esse & ipsi Christianæ Religioni coævum unctionis seu Chrismationis in Ecclesia Catholica usum, luculentissimis, ut mihi videtur, demonstravimus argumentis. Nunc alteram non minus implexam hujusce disputationis partem adgredior, in qua probandum suscipio; Sacram illam de qua nunc loquimur, unctionem pro ceremonia rituque ad Baptismum pertinente nequaquam ab antiquis Patribus fuisse habitam; sed in ea alterius Sacramenti, nimirum Confirmationis, saltem partialem & inadæquatam materiam fuisse quovis sæculo constitutam.

Claudius du-Vert in Opere Gallico de Ceremoniis Ecclesiæ; sive: *Explicatio simplex literalis, & historica ceremoniarum Ecclesiæ*. To. 2. pag. 441. & seqq. in eorum sententiam opinionemque descendit, quæ Confirmationis essentiam in sola manuum impositione adjunctaque illi oratione constituit; inunctionem vero materiam esse docet hujusce Sacramenti accidentariam dumtaxat & integrantem. Ea imprimis ratione movetur, quod olim, prioribus videlicet Ecclesiæ sæculis, quum Baptismus & Confirmatio simul administrabantur, unica dumtaxat unctio Neophytis adhiberetur, Lavacrum inter & manuum impositionem interjecta (*a*) „ Scimus, *inquit*, prioribus sæculis, & usque adhuc apud Græcos, post Baptismum statim adhibitam „ fuisse non modo Chrismationem, sed etiam manuum impositionem, ut e plurium Conciliorum testimonio aperte constat, „ quæ post Tertullianum dicunt, quod sub ipsam ab aquis „ emersionem recipiebatur unctio, & subinde manuum impositio. Sanctus Petrus Judæos exhortans ad suscipiendum Baptismum,

(*a*) *On sait que le Baptême etait immediatement suivi, dans les premiers temps, ainsi qu'il l'est encore chez les Grecs, non seulement de la Chrismation, mais aussi de l'imposition des mains, comme il paroît clairement par le temoignage de plusieurs Conciles, qui disent tous, apres Tertullien, qu'au sortir de l'eau on reçoit l'onction & ensuite l'imposition des mains. S. Pierre exhortant les Juifs a recevoir le Baptême, leur parle en même temps de recevoir le Saint-Esprit. Les Samaritains ayant etè baptisez, les Apôtres leur impo-*

„ tismum, simul de Sancto Spiritu suscipiendo cum eis loqui-
„ tur Samaritanis, quum baptizati fuissent, Apostoli quam cito
„ manus imposuerunt. Verosimile est, nihil intervalli inter
„ baptismum, quem Ephesi quidam ex Discipulis receperunt
„ (quem etiam consueta, ut videtur, ac vulgaris unctio se-
„ quuta est) & manuum impositionem, qua illos Paullus do-
„ navit interjectum fuisse. Sanctus Cyprianus in sua ad Juba-
„ janum Epistola loquens de manuum impositione, qua Samari-
„ tanos jam baptizatos Apostoli donarunt, idem quoque in Ec-
„ clesia suo tempore factum fuisse testatur, quum ii qui bapti-
„ zati jam fuerant (subindeque oleo super altare Sanctificato,
„ ut idem Pater expresse in Epistola ad Januarium animadver-
„ tit, inuncti) Ecclesiæ Præpositis offerebantur, & per eorum
„ orationem ac manuum impositionem Spiritum Sanctum con-
„ sequebantur, & signaculo Dominico consummabantur; idest,
„ confirmabantur. Sanctus quoque Ambrosius in Libro de My-
„ steriis cap. 6. & 7. ait, quod sub ipsum e fontibus egressum
„ super verticem baptizatis unctio fiebat; & postquam se albis
„ vestibus induissent, signaculum & pignus Spiritus Sancti re-

 „ ci-

serent aussi-tôt les mains. Il semble qu'il n'y eut point non plus d'intervalle entre le Baptême, que recûrent quelques Disciples a Ephese (suivi apparemment de l'onction ordinaire), & l'imposition des mains, qui leur fut donnèe par S. Paul. S. Cyprien, en sa lettre a Jubajen, en parlant de l'imposition des mains, que les Apôtres donnerent aux Samaritains batisez, dit que „ C'est ce qui se faisoit en-
„ core de son temps dans l'Eglise, où ceux qui avojent etè baptisez (& ensuite oints de l'huile sanctifièe sur l'Autel, comme ce même Pere le marque expressement dans sa lettre a Janvier) „ etoient
„ presentez aux Prelats; & que par leur oraison & l'imposition de
„ leurs mains, ils recevojent le Saint-Esprit, & etoient perfection-
„ nez, c'est-a-dire, confirmez par le signe du Seigneur. Saint Ambroise dit aussi dans le livre des Mysteres, Chap. 6. & 7. qu' „ Au
„ sortir des Fonts on faisoit aux baptisez l'onction sur la teste; &
„ qu'ensuite apres avoir etè revêtus d'habits blancs, ils recevojent le
„ sceau & le gage du Saint-Esprit, avec l'expression des sept dons;
„ & par consequent, le Sacrement de Confirmation. Saint Augustin

„ cipiebant cum expressione septem donorum ; adeoque Sacra- „ mentum Confirmationis. Pariter Sanctus Augustinus, his quæ „ sequuntur verbis, manuum impositionem unctioni postponit, „ unctionem vero Baptismo. *Baptizatus est, Sanctificatus est, un-* „ *ctus est, imposita est ei manus*. Videri etiam potest quod idem „ dicit loquens de infante, quem Sancti Stephani preces ad vi- „ tam revocaverant. Alia hactenus laudatis adjungi possent in- „ numera testimonia. Tandem apud Græcos hodieque infantes „ statim post Baptismum confirmantur. Sed quum varias ob caussas, quas indicat laudatus Auctor, Confirmatio aliquo temporis intervallo à baptismo separari cœpisset ; tunc „ Chrisma- „ tio, quæ, *inquit*, juxta quorumdam Theologorum sententiam, „ unica hactenus fuerat, & præcise baptismum inter & manuum „ impositionem collocata, divisa est, atque, ut ita dixerim, „ inter hæc duo Sacramenta divisa; ita ut post eam, quæ jam „ fuerat adsignata baptismo, alia præterea Confirmationi adtri- „ buta sit; *repetita Chrismatio*, inquit Concilium I. Arausicanum, „ ut jam nobis observatum est. De hac duplici Chrismatione „ primùm apud Sanctum Pontificem Innocentium I. in celebri „ ad Decentium Epistola Decretali occurrit mentio &c. Vult igitur,

---

fait pareillement succeder l'imposition des mains a l'onction, & l'onction au Baptême, en ces termes: „ *Il a etè baptisè, il a etè sancti-* „ *fiè, il a recu l'onction, on luy a imposè les mains. On peut voir encore ce que dit ce Pere, en parlant d'un enfant mort, a qui les prieres de Saint Etienne avojent redonnèe la vie. On pouvoit ajouter a tout cela une infinitè d'autres temoignages. Enfin chez les Grecs, comme nous le venons de dire, les enfans sont encore confirmez aussitôt apres le Baptême . . . . La Chrismation, qui jusqu'alors, au sentiment de quelques Theologiens, s'etoit trouvèe unique & precisement placèe entre le Baptême & l'imposition des mains, fut divisèe & partagèe, pour ainsi dire, a ces deux Sacremens: c'est a dire, qu' apres l'avoir deja donnèe au Baptême, on la reitera encore a la Confirmation*; repetita Chrismatio, *dit le Concile d'Orange I. comme nous l'avons deia observè. Cette double Chrismation se trouve pour la premiere fois exprimèe dans la Decretale fameuse du Saint Pape Innocent I. a Decentius.*

igitur, prioribus sæculis, quum baptismus & Confirmatio simul celebrabantur, unicam fuisse Chrismationem, Lavacrum inter & manuum impositionem administratam; atque unam potius fuisse ex baptismi ceremoniis, quam Sacramenti Confirmationis materiam. Postmodum vero quum ob varias rationes unum Sacramentum seorsim ab altero administrari cœpisset, priori unctione retenta, quæ Baptismum antea comitabatur, aliam præterea fuisse manuum impositioni, hoc est, Sacramento Confirmationis adjunctam. Hæc est summa illius disputationis, cujus quæ supersunt, capitibus sequentibus exhibebimus. Interim quæ adlata sunt, ad amussim, ut ajunt, & ad trutinam revocemus.

II. Est autem illud imprimis observandum, quod quamvis certum omnino, & extra omnem dubitationis aleam positum sit, Baptismi & Confirmationis Sacramenta, & fuisse olim apud omnes, & etiamnum esse apud Græcos nullo ferme inter se temporis intervallo disjuncta; ex testimoniis tamen quæ Cl. Auctor producit, neque apertè constat, unicam illam, de qua nunc loquimur, Chrismationem, totam, ut ita dixerim, impositioni manuum fuisse præpositam; neque hunc morem, unctionem manuum impositioni præmittendi, in omnibus Ecclesiis obtinuisse. Tertullianus quidem, Augustinus, & Ambrosius, sive alius Auctor libri de Mysteriis unctionem manuum impositioni præponunt: Sed eorum testimonia nil amplius probant, quam hanc fuisse Africanæ Ecclesiæ, & Ambrosianæ consuetudinem, quas, compertum est, aliquas adscivisse ceremonias ab aliarum ritibus discrepantes. Profecto Græci, & ceteri Orientales aut nullam in suis Euchologiis manuum impositionis mentionem faciunt: aut si credere par est, manus ab eis Neophytis adhiberi, quum Orationem recitant: ***Benedictus es Domine Deus omnipotens &c.*** quomodo ista in Euchologiis Chrismationi præmittitur, ita manuum impositio, quæ illam comitatur, unctionem præcedere, manifestum est. Atque hoc vetus fuisse illarum Ecclesiarum institutum, ex eo facilè probatur, quod nullum occurrat, aut proferri possit alterius, quæ jam pridem obtinuerit ceremoniæ, aut consuetudinis testimonium. Sed de Græcarum Ecclesiarum ritu luculentius capite quarto ex illarum

rum Euchologiis, & Patribus differemus. Ex adlatis ergo testimoniis minime evincitur, hunc fuisse veteris Ecclesiæ morem manuum impositioni unctionem Chrismatis præmittendi.

Sed neque ex eisdem testimoniis adparet, totam, ut ita dixerim, inungendi baptizatos actionem manuum impositioni prælvisse: quinimo valde probabile est, præcipuam hujus actionis partem, frontis videlicet inunctionem, fuisse in eisdem etiam Ecclesiis, Africana nimirum, & Ambrosiana, manuum impositioni postpositam. Equidem apud Tertullianum non modo unctio, sed etiam frontis consignatio manuum impositionem in libro de resurrectione carnis præcedit: *Caro*, inquit, *unguitur ...... Caro signatur ...... Caro manus impositione adumbratur*. At proximus Tertulliano Sanctus Cyprianus Confirmationem ait signaculo Dominico consummari, & hanc fuisse indicat hujusce Sacramenti ultimam ceremoniam: *Per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum Sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur*. Idem in hujus administratione Sacramenti fuisse videtur Ambrosianæ ritus Ecclesiæ. Quamvis enim impositionis manuum in libro de Mysteriis nulla sit mentio; attamen nullus dubito, quin ea fuerit interposita inter olei super baptizatorum capita effusionem, initio capitis sexti; & eorumdem consignationem, in fine capitis septimi memoratam. Hoc enim ordine res mihi olim in hisce saltem Ecclesiis processisse videtur. Egressis de sacro Fonte, & nudis adhuc omnibus membris, copiosa super capita singulorum Sacri Olei fiebat effusio, itaut à vertice ad barbam, ad scapulas, & ad pectus, & ad extremas usque corporis partes sacri liquoris rivi profluerent: *Egressi de lavacro*, inquit Tertullianus, *perunguimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungui oleo de cornu in Sacerdotium solebant. Ex quo Aaron à Moyse unctus est*. Quo autem ritu, quave disciplina, exponitur Exodi XXIX. v. 7. *Et oleum unctionis fundes* SUPER CAPUT EJUS: *atque hoc ritu consecrabitur*. Et Levitici VIII. v. 12. *Quod fundens* SUPER CAPUT *Aaron, unxit eum, & consecravit*. Quam unctionem in ejus barbam, & oram vestimenti descendisse, Regius Psaltes, ut mox videbimus, animadvertit. *Sic*, subjungit Tertul-

tullianus, *& in nobis carnaliter* CURRIT *unctio &c.* Tertulliano concinit Ambrosius: *Post hæc utique adscendisti ad Sacerdotem* ; *considera quid secutum sit. Nonne illud quod ait David*: Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron . . . . . . *Quare hoc fiat, intellige*: Quia oculi Sapientis in capite ejus. *Ideo in barbam defluit, id est, in gratiam juventutis. Ideo in barbam Aaron, ut fias electum genus, Sacerdotale, pretiosum. Omnes enim in Regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia spiritali*.

Post uberem hanc & adfluentem super baptizatorum capita Chrismatis effusionem, manus eisdem imponebantur, & super eos Septiformis Spiritus invocabatur, ut apertè idem Tertullianus luculenterque testatur: *Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans, & invitans Spiritum Sanctum &c.* Eumdemque in Ambrosiana Ecclesia istiusmodi ceremoniam locum obtinuisse, ex laudato libro de Mysteriis haud obscure conficitur. *Unde repete, quia accepisti signaculum Spiritale*; Spiritum Sapientiæ, & intellectus, Spiritum consilii atque virtutis, Spiritum cognitionis atque pietatis, Spiritum Sancti timoris: *& serva quod accepisti* &c. Quibus verbis non solum ad Isaiæ caput undecimum, sed etiam ad Orationem adludere videtur, qua in omnibus etiam antiquissimis Ritualibus Septiformis Spiritus invocatur, quæque elevatis & extensis super confirmandos manibus dicenda præscribitur. Atque hoc pacto mox laudatum libri de Mysteriis locum Auctor librorum de Sacramentis interpretatur: (*a*) *Sequitur Spiritale signaculum, quod audistis hodie legi: quia post fontem superest, ut perfectio fiat, quando* AD INVOCATIONEM SACERDOTIS *Spiritus Sanctus infunditur*: Spiritus Sapientiæ & intellectus &c.

Postremo, quemadmodum Regia supellex, arca, thesaurus, epistola, post alia eis adhibita munimenta, quibus improborum hominum ab eis temeritas arceatur, tandem Regio Sigillo muniuntur: ita Neophytis post ablutionem & ceteras ceremonias, quæ Baptismum comitabantur, post inunctionem, & manuum impositionem, & invocationem super eos Spiritus Sancti, signum

(*a*) Lib. III. cap. II. nu. VIII.

Digitized by Google

gnum Crucis veluti Regium quoddam Sigillum imprimebatur; & tota hæc sacra ceremonia, ut ait S. Cyprianus, *Signaculo Dominico* consummabatur. Hoc signum sacra unctione fuisse jam inde à primis Christianæ Religionis sæculis in eorum frontibus efformatum, quinto hujusce Dissertationis capite demonstrabo. Nec moveri quisquam debet, eo quod signationem Tertullianus manuum impositioni præponat: non enim semper eodem ordine res narrantur quo fiunt; & Neophytorum consignationem cum eorum forsitan Chrismatione conjunxit, quod Chrismate conficeretur, & unius ejusdemque actionis pars haberetur. Nam antiquiores Patres, ut Venerabilis Beda ab Adversario laudatus animadvertit, (*a*) unctionem & consignationem pro duabus actionibus, sive unctionibus neutiquam existimarunt: quemadmodum à recentioribus Patribus factum est post priorem Baptismi ceremoniis adjunctam, & posteriorem Confirmationi relictam.

Sed hæc quæ hactenus dicta sunt, quomodocumque se habuerint, parum admodum refert; dum tamen constet, illam, sive unica fuerit unctio, sive duplex; sive manuum impositioni præmissa, sive illam consequuta fuerit; constet, inquam, ejusmodi unctionem ad Sacramentum Confirmationis ex veteris Ecclesiæ sensu pertinuisse, & Sacramenti à Baptismo distincti materiam fuisse ab antiquis Patribus existimatam. Inde enim constabit, nullo pacto debuisse sacram unctionem Baptismi primævis ceremoniis adnumerari, quæ Confirmationi ex Ecclesiæ insti-

(*a*) *Beda dit expressement*, *que* „ *l'onction qui se fait a la* „ *Confirmation*, *est la même que celle qui se donne au Baptême*, *&* „ *que l'Eglise a eû ses raisons pour la diviser ainsi & reserver aux* „ *seuls Evêques celle qui accompagne l'imposition des mains*: Illa unctio quæ per manuum impositionem ab Episcopis datur, quasi alia à duabus prædictis (*celle qui precede & celle qui suit le Baptême*) & vulgo *Confirmatio* dicitur, eadem est cum secunda &c. *Tract. 2. in Ps. 26. præf. Tres de Chartres en son sermon sur le Baptême*, *paroit aussi favoriser ce sentiment*. *Ubi supra pag.* 446. Sed Venerabilis Scriptoris verba capite sequenti accuratius enucleabimus.

instituto non antea fuerit adjuncta, quam utrumque Sacramentum, quod olim simul eodemque tempore conferebatur, seorsim administrari cœpisset. Quam opinionem quod obviis manibus Protestantes exceperint, mirandum profecto non est. Sed quod in eam Catholici doctissimique Viri descenderint, equidem valde miror. Quum, ut mox videbimus, non minus diserte veteres Ecclesiæ Patres ex Sacra unctione, quam ex manuum impositione distinctum fecerint Sacramentum, seu potius pro alio à baptismate Sacramento utramque hanc ceremoniam habuerint.

III. Tertullianus ubicumque Sacræ unctionis meminit (meminit autem frequenter) illam non minus diserte quam Baptismum & Eucharistiam Sacramentis Novæ Legis adcenset, & perinde atque Eucharistiam à Baptismo aperte distinguit. Libro de baptismo capite septimo: *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit: quomodo & ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur*. Ubi Sacram unctionem cum baptismo confert, & suum illi haud secus ac baptismo adtribuit effectum: simplicem autem nudamque baptismi ceremoniam nemo cum ipso baptismate contulisset, nec minoris eam esse virtutis & efficaciæ tam aperte significasset. Libro de Resurrectione Carnis capite octavo: *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro unguitur, ut anima consecretur. Caro signatur, ut & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, ut & anima spiritu illuminetur. Caro Corpore & Sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur*. Cur manuum impositionem ad Sacramentum pertinere velimus à baptismi Sacramento distinctum, secus autem unctionem, nulla profecto ratio est. Nam huic non minus quam manuum impositioni spiritalem tribuit effectum, eamque perinde cum baptismo & Eucharistia inter Sacramenta recenset, quibus anima Deo adlegitur; & quibus carnem, ut idem postea subjungit, rerum omnium Conditor induit: *Quam*, carnem scilicet, Deus *Sacramentis suis, disciplinisque vestivit*. Libro I. adversus Marcionem cap. XIV. *Sed ille quidem usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos unguit..... Nec panem, quo ipsum Corpus suum repræsentat; etiam in* SACRA-

MENTIS PROPRIIS *egens mendicitatibus Creatoris*: Tria heic Symbola habemus, aquam, oleum, & panem: Atqui panis & aqua pro duorum Sacramentorum elementis habentur: quidni ergo & oleum tertii Sacramenti à ceteris distincti materiam existimemus? Nec refert, quod lactis & mellis societatem adjunxerit, quæ in Sacramentorum censum numerumque non venit: nam ejus longe dispar est ratio: quum lacti & melli distinctum ab eo, quem per Baptismum consequimur, effectum minime adscribas: *Mellis*, inquit, *& lactis societatem, qua suos infantat*; idest, qua suorum infantiam, novamque proinde per baptismum generationem declarat ac repræsentat. Oleum vero, ut sæpius observavimus, specialis effectus caussam Symbolumque constituit. Denique in Libro de Præscript. bis, ut jam diximus, Sacramenti Confirmationis mentionem facit, illudque baptismum inter & Eucharistiam medium collocat. Capite nimirum trigesimo sexto his verbis: *Aqua signat, Sancto Spritu vestit, Eucharistia pascit*. Et capite quadragesimo: *Ipsas quoque res* SACRAMENTORUM DIVINORUM, *Idolorum mysteriis æmulatur: Tinguit & ipse quosdam, utique credentes & fideles suos* ..... *Mithra signat illic in frontibus milites suos: celebrat & panis oblationem*. Priori loco Sacramentum Confirmationis describit per ejus præcipuum effectum; cujusmodi est, Sancto Spiritu baptizatos induere: secundo autem loco per ejus præcipuum ritum ac ceremoniam; signum videlicet Crucis in Christianorum militum frontibus Sacra unctione depictum.

IV. Concinit Tertulliano Cornelius Papa Epist. cap. præcedenti laudata ad Fabium Antiochenum, ubi de Sacramento Confirmationis loquens his verbis utitur: *Neque ab Episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum Sanctum potuit accipere?* Græca sic habent: τῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τῦ ἐπισκόπυ &c. Ubi doctissimus Valesius animadvertit, (a) quod „ Rufinus hæc verba de signaculo Chrismatis interpretatus est. Hanc tamen interpretationem minime probat. „ Ego, *inquit*, impositionem manuum intelligo, qua Episcopi „ Spiritum Sanctum baptizatis conferebant; quod sequentia „ mani-

(a) In Annot. ad Euseb. lib. VI. H. E. cap. XLIII.

,, manifeste declarant. Subdit enim Cornelius ὧν δὲ μὴ τυχὼν,
,, πῶς ἂν τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔτυχε. Quamquam in MSS. Codd. Maz.
,, Med. & Fuk. legitur αὐτῶν δὲ μὴ τυχών. Interpretationem no-
,, stram confirmat Cyprianus ad Jubajanum his verbis: *Quod*
,, *nunc quoque apud nos geritur*, *ut qui in Ecclesia baptizantur*,
,, *Præpositis Ecclesiæ offerantur*, *& per nostram orationem & manus*
,, *impositionem Spiritum Sanctum consequantur*, *& signaculo Domi-*
,, *nico consummentur*. σφραγίζειν proprie est consignare. Consigna-
,, re autem & manum imponere idem est, ut docet Epistola
,, Innocentii ad Decentium cap. 3. & 6. Idem confirmat Mar-
,, cus in vita Porphyrii Gazensis Episcopi, cujus locum inferius
,, adducemus. Ambrosius, seu quis alius auctor est eorum Li-
,, brorum, in caput 4. Epistolæ Pauli ad Ephesios: *Denique*
,, *apud Aegyptum*, *presbyteri consignant*, *si præsens non fuerit Epis-*
,, *copus*. Eadem habet auctor Quæstionum veteris & novi Te-
,, stamenti inter Augustini opera editus, Quæstione 101. *Nam*
,, *& in Alexandria*, *& per totam Aegyptum*, *si desit Episcopus*,
,, *consecrat Presbyter*. Scribe *consignat Presbyter*, ut in supra citato
,, Ambrosii loco. Vetus inscriptio, quam refert Baronius
,, ad annum Christi 367. *Picentiæ legitimæ Neophytæ die 5. cal.*
,, *Sept. consignatæ à Liberio Papa &c.* Porro hæc baptizatorum
,, consignatio, interdum fiebat cum Chrismate: quoties scilicet
,, aliquis urgente morbi necessitate baptizatus fuerat a minori-
,, bus Clericis, nec Chrismatus. Tunc enim Episcopus qui bap-
,, tismi solemnia postmodum supplebat, Chrismare simul &
,, manum imponere necesse habebat. Qui vero perfectum bap-
,, tismum acceperant, iis manus tantum imponebatur ab Epi-
,, scopo sine Chrismatione, ut docet Canon Arausicanus. Quo
,, pertinet vetus Epigramma apud Gruterum pag. 1177. de
,, Marca:

,, *Tuque Sacerdotes docuisti*, *Chrismate Sancto*
,, *Tangere bis nullum judice posse Deo.*

,, Porro ut ad Novatiani baptismum redeamus, hinc manasse
,, mihi videtur mos Novatianorum, qui in baptismo Sacrum
,, Chrisma non adhibebant teste Theodorito lib. 3. Hæret. fa-
,, bularum; eo quod scilicet auctor ipsorum Novatianus baptis-
,, mum sine Chrismatione accepisset.

Digitized by Google

Sed imprimis interpretationis Rufini haud minimam puto habendam esse rationem. Non enim dubium, quin pervulgatam apud Latinos, & Græcos horumce verborum *σφραγίζειν*, & *consignare* notionem præ oculis habuerit. Unde id saltem efficitur, quod quinto ineunte sæculo, quum interpretandæ Eusebianæ Historiæ operam Rufinus dabat, consignari ab Episcopo perinde erat, atque ab eo sacra unctione perungi; & quod Spiritum Sanctum nemo consequi potuisset, qui non fuisset Chrismate ab Episcopo consignatus.

Deinde veterum testimonia, quibus suam interpretationem Valesius munire conatus est, nihil omnino ad eam stabiliendam momenti habent. Laudat imprimis Cypriani verba: *per manus impositionem &c. signaculo dominico consummentur*. Sed hæc non probant, quod *consignare*, & *manum imponere*, ut Valesius adserit, *idem sit*: quum utramque actionem apertè distinguat Cypriano antiquior, & ejusdem Carthaginensis Ecclesiæ Presbyter Tertullianus: *Caro signatur . . . . Caro manuum impositione adumbratur*. Laudat etiam Innocentii I. epistolam ad Decentium. Sed Innocentius in eo capite, in quo *de consignandis infantibus* agit, quid consignationis nomine intelligat, his verbis aperit: „ Presbyteris Chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab „ Episcopo fuerit consecratum. Non tamen frontem EX EO- „ DEM OLEO SIGNARE, quod solis debetur Episcopis, quum „ tradunt Spiritum Paracletum. Infantium itaque consignatio Chrismate ab Episcopo peragebatur. Laudat præterea Marcum in Vita Porphyrii Gazensis, ubi scilicet refert, quod Arianum Nauclerum ad fidem conversum, *Sancti Episcopi acceperunt & obsignarunt, super eum fusis precibus, & eum quoque impertierunt divinis Sacramentis*. Sed ex omnibus antiquis monumentis compertum est, Arianos in Oriente non sola manuum impositione, sed imprimis Sacri Chrismatis inunctione fuisse olim Catholicæ Ecclesiæ reconciliatos. Porro consignandi verbum apud Ambrosiastrum, & apud Auctorem quæstionum vet. & Novi Testamenti, ut etiam in antiqua illa Inscriptione, ad manus impositionem potius quàm ad Chrismatis unctionem pertinere, gratis omnino Valesius, & sine ullo fundamento supponit. Atqui ego potiori jure consignationis nomine Chrismationem intelligo.

go. In Ecloga Vitæ S. Athanasii apud Photium in Biblioth. Cod. 258. τούτους ἐπιχρίσας διὰ τῆς ἐν Χριστῷ σφραγῖδος ἐτελείωσεν: *qui quum eos inunxisset, Christi signaculo consummavit.* Et ipsimet Athanasio Epist. I. ad Serapion. χρίειν καὶ σφραγίζειν, *inungere & consignare*, pro eodem habentur, & perpetuo conjunguntur: σφραγίζεται καὶ χρίεται ..... χρίσμα καὶ σφραγὶς ..... χρίει καὶ σφραγίζει ..... τοῦ χρίσματος καὶ τῆς σφραγῖδος .... τὰ χριόμενα καὶ σφραγιζόμενα ..... τοῦ χρίοντος καὶ σφραγίζοντος &c. In Aegypto itaque & Alexandriæ, de quibus laudati Auctores loquuntur, & Romæ, ad quam pertinet vetus inscriptio, consignare & inungere, ut ex Athanasio ejusque Vitæ Auctore, & ex Innocentio constat, verba erant, quæ una ferme eademque vi ac potestate pollebant. De Synodi Arausicanæ Canone, & Gruteriano Epigrammate, sequenti Capite sermo habebitur.

De Novatianis etiam alibi differendum, id unum impræsentiarum moneo, vitio illis potissimum vertisse Patres, quod Novatiani exemplo sacram unctionem negligerent: ideoque sancitum plurium Synodorum auctoritate fuisse, ut sacro Chrismate delibuti Ecclesiæ corpori adjungerentur. Secunda Synodus Oecumenica de his aliisque Hæreticis agens, *eos*, inquit, *recipimus* σφραγιζομένους ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ, *signatos sive unctos primum Sancto Chrismate*; ubi duo illa participia σφραγιζομένους, & χριομένους, *signatos, & inunctos* pro vocibus ejusdem potestatis, ac veluti synonimis usurpantur; Rufini itaque interpretatio Valesianæ longe præferenda est, quum præter ea quæ adtulimus testimonia, innumera adhuc tum Græcorum, tum Latinorum proferri possent, quibus σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, *consignari ab Episcopo* perinde est, atque ab Episcopo Sacro Chrismate deliniri.

V. Cornelio coævus exstitit Cyprianus, qui in Epistola Synodica ad Januarium &c. de Sacra Baptizatorum Unctione ita loquitur: „ Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, „ ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & „ habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistia „ est unde baptizati unguntur oleum in altari sanctificatum. „ Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare „ habuit, nec Ecclesiam. Unde nec unctio spiritalis apud Hæreticos potest esse, quando constet, oleum sanctificari, &

„ Eucha-

„ Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse. Quibus verbis Cyprianus, aliique Episcopi, quorum nomine scripta est Epistola, materialem, & visibilem unctionem spiritalis & invisibilis unctionis caussam esse ac symbolum tradiderunt, ac sine ipsa Christi gratiam haberi posse, inficias iverunt, id est, eam Christianæ gratiæ plenitudinem, ac perfectionem, qua novi hominis vita perficitur, & consummatur; *signaculo*, inquit idem in Epist. ad Jubajan. *dominico consummentur*: & qua novus homo in baptismo genitus in athletam Domini ungitur; *esse*, inquit, *unctus Dei possit*. Quo sensu tum Cornelius, tum Pacianus, tum alii Patres Spiritum Sanctum sine Sacramento Confirmationis haberi posse denegarunt, id est, eam Sancti Spiritus, & Divinorum charismatum copiam, quam Christus hujusce Sacramenti fructum esse constituit. Hinc autem manifestè conficitur, non fuisse sacram unctionem pro una ex Baptismi ceremoniis ab Africanis Episcopis existimatam, sed partem fuisse habitam ac præcipuam Confirmationis materiam; cui propterea hujusce Sacramenti fructus acceptos retulerint. S. Augustinus lib. V. de Baptismo cap. XX. de his differens Africanorum Præsulum verbis, ea in hanc mentem atque sententiam interpretatus est, & in oleo perinde, atque in aqua Baptismi Sacramentum novæ Legis positum esse intellexit: *Cur autem ad verba, quæ procedunt ex ore homicidæ, possit tamen Deus* oleum sanctificare, *&* in altari quod Hæretici posuerunt, non possit, „ nescio: nisi forte „ quem cor hominis fallaciter conversum intus non impedit, „ lignum fallaciter positum impedit foris, quominus SACRAMENTIS SUIS adesse dignetur, nullis hominum falsitatibus „ impeditus? Si ergo ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, Deus peccatorem non audit, ut per peccatorem SACRAMENTA non celebrentur: quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super „ Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, „ quibus manus imponitur? „ Et paullo ante in principio ejusdem capitis dixerat: „ Quomodo aquam mundat, & sanctificat „ homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebræ? Si autem „ Deus adest SACRAMENTIS & verbis suis, per qualeslibet „ administrentur, & SACRAMENTA DEI ubique recta sunt,

„ &

„ & mali homines, quibus nihil prosunt, ubique perversi sunt. Si tam praeclaris & luculentis auctoritatibus non evincitur, sacram unctionem unum esse è Novi Foederis Sacramentis à ceteris distinctum; quibus tandem veterum Patrum testimoniis impositioni manuum id muneris vindicabimus? aut quibus tandem argumentis hunc pariter ritum inter Baptismi ceremonias numerandum non esse, adversus Haereticos demonstrabimus?

Duo autem circa praemissas Cypriani, & Augustini auctoritates animadvertere libet. Primo, quum ait S. Cyprianus: *Porro autem Eucharistia est unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatum*. Et iterum quum ait: *Quando constet, oleum sanctificari, & Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse*: Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi Eucharistiae nomine non intelligere, sed rem oratione, gratiarum actione, Sancti Nominis invocatione, ac divinis laudibus consecratam. Alioquin quis esset istorum verborum sensus: *Eucharistia est oleum in altari sanctificatum*? Erasmus quidem & Pamelius Eucharistiam pro Sacramento Christi Corporis & Sanguinis accipientes, ita legendum putarunt: *Porro autem Eucharistia, & unde baptizati unguntur, oleum in altari sanctificatur*. Sed lectionem in modernis editionibus restitutam veterum exemplarium unanimis ferme consensus adprobat. Iis vero quos nuperi Editores laudarunt, duos alios adjungimus Bibliothecae nostrae D. Marci Cypriani Operum Codices MSS. optimae notae, in quibus eadem lectio omnino, ut arbitror, retinenda exhibetur.

Alterum est, quum S. Augustinus ait: *Vel super capita eorum quibus manus imponitur*; non de illa determinate loqui manuum impositione, quae Neophytis adhibetur, sed vel generatim de iis omnibus Sacramentis, quae hoc ritu administrantur; vel speciatim de Sacra Ordinatione, quam praesertim manuum impositionis nomine Veteres intellexerunt: Alioquin manuum impositionem Eucharistiae Sanctus Doctor praeposuisset, quomodo Baptismum oleo, & oleum Eucharistiae praeposuit. Quatuor heic igitur novae legis Sacramenta recenset, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, & Sacram Ordinationem: & Baptismo quidem aquam pro materia adtribuit, Sacrae Ordinationi manuum impositionem, Confirmationi vero nil praeter oleum adsi-

adſignat: adeoque Chriſmationem non nudam eſſe putavit Baptiſmi ceremoniam, ſed alterius Sacramenti, hoc eſt, Confirmationis partem eſſe præcipuam; eo ferme modo, quo aqua Baptiſmi, panis & vinum Euchariſtiæ, & manuum impoſitio Sacræ Ordinationis præcipuæ partes eſſe cenſentur. Sed de Auguſtino inferius ſermo redibit. Nunc enim eo tantum S. Doctoris verba laudavimus, quo nobis ad Cypriani mentem ejus auctoritate aditus muniretur.

Quarto ſæculo inter Patres Latinos celebre fuit S. Paciani nomen, ex quo facilè addiſcere poſſumus, quænam fuerit per ea tempora de Chriſmatis neceſſitate, atque efficacia Eccleſiæ Latinæ ſententia. Plura enim docet, ex quibus manifeſto adparet, inunctionem aut adæquatam aut præcipuam fuiſſe Sacramenti Confirmationis materiam. Docet, Chriſmatis uſum ex Divino & Apoſtolico jure deſcendere; majorem eſſe Chriſmatis quàm Sacramenti Pœnitentiæ excellentiam; ceteris eſſe Novæ Legis Sacramentis adnumerandum, & ſine ipſo Spiritum Sanctum Fidelium cordibus non infundi, ea videlicet cœleſtium donorum ubertate, quam Theologi proprium eſſe docent Confirmationis effectum: (*a*) „ Si ergo & Lavacri, & Chriſmatis „ poteſtas, majorum & longe chariſmatum ad Epiſcopos inde „ deſcendit; & ligandi quoque jus adfluit atque ſolvendi . . . . „ Ergo nec Chriſma, nec Baptiſma, nec criminum remiſſio, „ nec innovatio Corporis ſanctæ poteſtati ejus indulta eſt, quia „ nihil propria uſurpatione mandatum eſt, totumque id ex „ Apoſtolico jure defluxit. His ſcilicet verbis Chriſmationi Apoſtolicam originem adſignat, ejus excellentiam commendat, & eodem loco numerat quo Baptiſmum, Pœnitentiam, & Euchariſtiam. Quæ ſit autem ad acquirendum Spiritum Sanctum hujuſce medii neceſſitas, ſequentibus verbis exponit: (*b*) *Veſtræ plebi unde Spiritum, quam non conſignat unctus Sacerdos?* Cornelium his verbis imitatur. Nam quemadmodum Sanctus ille Pontifex, Novatianum ab Epiſcopo minime conſignatum, Spiritum Sanctum accipere non potuiſſe docet: ita S. Pacianus Nova-

(*a*) Epiſt. I. ad Sympronian.
(*b*) Epiſt. III. ad Sympronian.

Novatianam plebem hoc eodem signaculo à suis Episcopis minime insignitam Spiritu Sancto vacuam fuisse contendit. Ne quis vero simplicem manuum impositionem consignationis nomine intelligat; qua in re, ex S. Doctoris mente, posita illa fuerit, sequentia verba declarant: (*a*) *Hæc aut compleri alias nequeunt, nisi Lavacri, & Chrismatis, & Antistitis Sacramento. Lavacro enim peccata purgantur, Chrismate Sanctus Spiritus superfunditur, utraque vero ista manu & ore Antistitis impetramus.* Fieri itaque non potest, ut nobis Sanctus Spiritus infundatur, nisi Chrismate ab Episcopo consignemur.

Floruit eodem sæculo quarto S. Optatus Milevitanus, qui non minus diserte, quam Patres hactenus laudati Chrismationi adtribuit Sacramenti Confirmationis effectus. Libro IV. adversus Parmenianum prope fin. *Descendit in aquam* (Christus), *non quia erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda, & ordinanda, & implenda Baptismatis: lotus quum in Johannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii, & complevit Pater quod rogaverat Filius, & quod nuntiaverat Spiritus Sanctus. Apertum est Cœlum Deo Patre ungente; Spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti ejus, & perfudit eum; unde cœpit dici Christus, quando unctus est à Deo Patre: cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis:* „ Hic est Filius meus, de quo „ bene sensi, hunc audite. Advertat heic Lector velim, 1. Chrismationis usum ad divinam institutionem haud obscure referri. *Venturum oleum aqua debuit antecedere ad mysteria initianda, & ordinanda &c.* Hunc itaque ritum, quo post lotionem Baptizati unguntur, ipse Dominus initiavit, & ordinavit. 2. quod unctiorem quamvis perfectionem esse doceat Baptismi, ac veluti complementum: *ad Mysteria initianda, & ordinanda, & implenda Baptismatis*: eam tamen pro mera Baptismi ceremonia S. Optatus non habet; sed velut alterum mysterium considerat ad quod ipsa ablutione disponimur, & quod Deus voluit tam sublimi Sacramento, Cœlorum scilicet apertione, & Spiritus Sancti sub columba specie apparitione, veluti præfigurare: *Lo-*

(*a*) Sermone de Baptismo post med.

tus quum in Johannis manibus haberetur, secutus est ordo Mysterii &c. 3. quum ait; Spiritale oleum in columbæ imagine descendisse, & insedisse capiti ejus &c. ad eum locum Geneseos respexisse, quo columba dicitur reversa in arcam adferens ramum virentis olivæ: quo certe manifeste significavit, Spiritum Sanctum in Fidelium corda descendere, eaque Spiritali unctione perfundere, quum ipsorum frontibus materialis unctio ab Episcopis adhibetur. Qui vero de Sacra unctione ita sentit, ab eorum opinione quam longissime abest, qui eam Sacramentorum Novæ Legis Catalogo eximunt, & inter puras putasque Baptismi ceremonias recensent. Idem lib. VII. seu potius appendice sex præcedentium Librorum (a) de Sacro Chrismate inter cetera hæc habet: *Confectum jam Chrisma vocatur, in quo est suavitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusa duritia peccatorum, quæ animum innovat lenem, quæ sedem Spiritui Sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur. Hæc est suavitas olei, quam possunt muscæ morituræ corrumpere &c.* Quum nemo inficias ire possit, quin Spiritum Sanctum baptizati in ipsis aquis Baptismatis consequantur; quomodo unctio, quæ post Lavacrum peragitur, Spiritui Sancto sedem præpararet, nisi alterum ex illa Sacramentum consurgeret, quo recens Baptizati præstantioribus Spiritus Sancti muneribus cumulantur?

Denique inter Latinos ejusdem sæculi quarti Scriptores Rufinus quoque censetur; qui, ut superius observavimus, ea Cornelii apud Eusebium de Novatiano verba, τοῦ τε σφραγισθῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου, de signaculo Chrismatis interpretatus est: *Nec*, inquit, *signaculo Chrismatis consummatus est. Unde nec Spiritum Sanctum unquam potuit promereri.* Ritus ille sensibilis, quo Christiani hominis vita consummatur atque perficitur, & quo Sanctum Spiritum promeremur, ipsissimum est Confirmationis Sacramentum: atqui *signaculo Chrismatis*, Christani hominis vita consummatur, & Spiritum Sanctum absque hoc signaculo promereri non possumus: in hoc itaque cœlesti signaculo ex Rufini mente posita est Sacramenti Confirmationis materia.

Sæculo quinto ineunte Innocentius I. Sedem Apostolicam tenuit,

(a) Vid. Dupin. præfat. ad novam Optati Libror. edition.

nuit, & pietate ac literis condecoravit. Duplicis Chrismationis celebri ad Decentium Epistola ab eo factam fuisse mentionem; & earum alteram Baptismo Sanctum Pontificem adtribuisse, alteram vero Confirmationi, nec ipsimet Adversarii diffitentur. Sed repetitam in Confirmatione Chrismationem recentioris esse arbitrantur institutionis, & circa hæc tempora Sacramento Confirmationis adjunctam; quum videlicet Confirmatio cœpit seorsim à Sacramento Baptismatis celebrari. Sed hanc eorum opinionem, tum ea quæ hactenus disseruimus, funditus evertunt, tum ipsamet Innocentii verba manifeste refellunt. Non enim morem, eorum frontes quibus manus ab Episcopis imponuntur, Sacro Chrismate consignandi, inter novitias institutiones refert, sed inter Ecclesiasticas consuetudines, & veteres traditiones, ejusque originem, uti præcedenti Capite ostendimus, ab ipsismet Apostolis repetit: *Hæc autem Pontificibus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo Ecclesiastica demonstrat, verum & illa lectio Actuum Apostolorum &c.* Non itaque frontalis Chrismatio, quæ ab Episcopis in Confirmatione peragebatur, sed verticalis, quam secundi ordinis Sacerdotes in Baptismate conficiebant, recentioribus Ecclesiæ institutis adcensenda est.

Coævus Innocentio exstitit Augustinus, ex quo plura quam ex aliis Patribus mihi suppetunt testimonia; & quidem adeo luculenta, ut nullum de Sancti Doctoris mente ambigendi locum permittant lib. XV. de Trinit. cap. XXVI. *Non utique oleo visibili, sed dono gratiæ, quod visibili significatur unguento, quo baptizatos unguit Ecclesia*: Atqui Sacramenti illa est optima definitio: Invisibilis gratiæ signum visibile; ergo visibilis unctio, qua invisibile donum gratiæ significatur, in Sacramentorum numerum referenda est.

Sed longe luculentius Tract. III. in Epist. Johan. visibili unctioni tum rem ipsam atque definitionem, tum ipsum quoque Sacramenti nomen adtribuit: Ita n. 5. *Unctio Spiritalis ipse Spiritus Sanctus est, cujus Sacramentum est in unctione visibili.* Et n. 12. *Unctionis Sacramentum est, virtus ipsa invisibilis, unctio invisibilis Spiritus Sanctus, unctio invisibilis caritas illa est &c.*

Ne quis vero in his locis Sacramenti nomen minus proprie

 acci-

Digitized by Google

accipiendum esse contendat, alia in promtu ejusdem S. Doctoris habemus loca, in quibus Baptismo, & Eucharistiæ unctionis Sacramentum adnumeratur, & una eademque notione Sacramenti nomen de tribus hisce Christianæ Religionis ritibus prædicatur. Ita lib. V. de Bapt. cap. XX. uti supra observavimus, quum de Cypriani mente dissereremus. Ita etiam Tract. 118. in Johan. n. 5. *Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo Chrismate unguuntur, sive Sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. Quomodo ergo per id quod mali faciunt, nihil boni significatur; quando per crucem Christi, quam fecerunt mali, in celebratione* SACRAMENTORUM *ejus bonum nobis omne signatur?* Ita etiam Sermone CCXXVII. al. 83. De Diversis: *Accessit Baptismum & aqua; qua si conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est Chrisma. Oleum etenim ignis nostri, Spiritus Sancti est* SACRAMENTUM . . . . . . *Accedit ergo Spiritus Sanctus, post aquam ignis: & efficimini panis, quod est Corpus Christi. Et ita unitas quodammodo significatur. Tenetis* SACRAMENTA *ordine suo*. Et Sermone CCCXXIV. al. 33. De Diversis. *Baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completis omnibus* SACRAMENTIS, (Baptismo scilicet, & unctione cum ei adnexa manus impositione, & Eucharistia, quæ statim post Baptismum, & Confirmationem ipsis etiam infantibus porrigebatur) *adsumptus est*. Et Enarratione in Psalm. CXLI. n. 9. *Usque adeo de Cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam Crucem Christi, sed in fronte portam. Multa* SACRAMENTA *aliter atque aliter accipimus: quædam, sicut nostis, ore accipimus*, nimirum Eucharistiam; *quædam per totum corpus accipimus*, uti Baptismum qui tunc per totius corporis immersionem peragebatur; *Quia vero in fronte erubescitur . . . . . ipsam quodammodo ignominiam, quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit*. Quibus verbis ad Sacramentum Confirmationis adludit, quod in fronte suscipimus, quum in ea corporis parte Sacro unguento in Crucis formam ab Episcopo consignamur.

Sed nihil luculentius eo testimonio desiderari potest quod lib. II. contra Epist. Petiliani cap. 104. legimus in hæc verba: *Et in hoc unguento* SACRAMENTUM CHRISMATIS *vultis in-*

ter-

terpretari: *quod quidem* IN GENERE VISIBILIUM SIGNACULORUM SACROSANCTUM EST SICUT IPSE BAPTISMUS: *Sed potest esse & in hominibus pessimis, in operibus carnis vitam consumentibus, & regnum cœlorum non possessuris . . . Nulline apud vos tales unguuntur . . . . Discerne ergo visibile Sanctum* SACRAMENTUM, *quod esse & in bonis & in malis potest, illis ad præmium, illis ad judicium, ab invisibili unctione caritatis, quæ propria bonorum est*. Confirmationis Sacramentum quomodo Sacramentum Chrismatis dictum ab Augustino fuisset, si olim ad Confirmationem nullo modo spectasset, sed locum dumtaxat inter Baptismi ceremonias ex Ecclesiæ institutione habuisset? Quomodo etiam puram putamque Baptismi ceremoniam, in genere visibilium signaculorum sicut ipsum Baptismum, Sacrosanctam esse dixisset? Ipsá quoque Confirmatio Sacramentum Chrismatis absurde fuisset appellata, si ad ejus essentiam Chrisma neutiquam pertineret; sed ceremonia fuisset ei postmodum adjuncta, quum seorsim à Baptismo cœpit administrari. Nullo equidem argumento probari potest, veterem disciplinam per hæc tempora in Africa non amplius obtinuisse: sed contra ex iis quæ habemus Africanorum Patrum testimoniis aperte constat, hæc tria Sacramenta, Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam, ipsis etiam infantibus fuisse ut plurimum uno eodemque tempore, haud secus atque superioribus sæculis, administrata. Unde prorsus immerito Cl. Adversarius contendit, Chrisma non ante haberi cœpisse pro una ex Confirmationis ceremoniis, aut etiam pro Confirmationis materia, quam duplex Chrismatio in usu haberetur, & in duo veluti Sacramenta distribueretur. Nam licet antiquus ritus ad hæc tempora in Africa servaretur, & unius tantum in Africanis Scriptoribus, Tertulliano, Cypriano, Optato, & Augustino, clara apertaque mentio Chrismationis occurrat, Baptismum inter & manuum impositionem interpositæ: eam tamen in meras ac simplices Baptismi ceremonias minime conjecerunt, sed ei Confirmationis effectus adjudicarunt, ex eaque Sacramentum fecerunt, quod in genere visibilium signaculorum, non minus quam ipse Baptismus, Sacrosanctum habendum sit. Unde adparet, nihil omnino ad hanc quæstionem referre, sive unica fuerit olim, sive duplex Chrismatio;

sive

sive inter Baptismum interjecta fuerit & manuum impositionem, sive ipsam manuum impositionem, ut modo, consequeretur: hæc enim accidentaria sunt: sed illud adtentius, & non raptim ac properanter considerandum, quo in pretio Sacram unctionem veteres Patres habuerint, quos illi effectus adscripserint, & eam ad ejusmodi effectus consequendos quam necessariam existimarint. Num eam Sacramenti nomine, ac definitione donaverint, num ceteris Ecclesiæ Sacramentis adnumerarint, num denique de Sacra unctione & de Baptismo atque Eucharistia veluti de tribus Ecclesiæ Sacramentis loquentes, similes, aut eædem prorsus ideæ atque notiones eorum animis obversarentur. Ad hæc enim oportuit animum diligenter advertere, ut de hac controversia tuto statueretur, & rectum proferretur judicium.

CA-

Digitized by Google

CAPUT TERTIUM.

Ex celebri Canone Concilii Arausicani I. & coævis Patribus, aliisque usque ad 13. sæculum Latinis Scriptoribus demonstratur, Chrismationem partem esse Confirmationis essentialem.

I. Claudii de Vert de Canone secundo Concilii Arausicani I. Sententia.

II. Chrismationis Confirmatoriæ necessitas laudato Canone non evertitur, sed statuitur.

III. Coævi Concilio Arausicano Patres Sacræ unctionis præstantiam ac divinam institutionem agnoverunt.

IV. S. Gregorius M. Presbyteris Sardis nequaquam indulsit, ut unctionem Confirmatoriam Neophytis adhiberent.

V. Sequentium sæculorum Scriptores Sacramentum Chrismatis eodem in censu & ordine conlocarunt, quo Baptismum, & Eucharistiam.

I. LAtinorum Patrum, qui Concilii Arausicani tempora præcesserunt, superiori Capite examinavimus testimonia: nunc ad hujusce Synodi Canonem celeberrimum accedendum, ex quo Viri doctissimi invictum pro adversa opinione conficere sibi viden-

videntur argumentum. Claudius de Vert postquam Innocentii ad Decentium Decretalis mentionem, fecit quem primùm, ait, duplicem distinxisse Chrismationem, alteram qua in Baptismo à Presbyteris in vertice consignamur, alteram qua in Confirmatione ab Episcopis in fronte perungimur; hæc subjungit: „ (a) Celebres Theologi existimant, quod hac Decretali minime obstante, aliquæ Galliarum Ecclesiæ unicam duntaxat, quæ Baptismum comitabatur, adhuc admiserint Chrismationem: hac tamen cautione, quod si aliqua necessitate cogente fuisset in Baptismate prætermissa, Episcopus hujusce rei admonitus admissum in priore Sacramento defectum per unctionem frontis in Confirmatione suppleret: Totum id, juxta laudatos Theologos, ex celebri Canone Concilii prioris Arausicani conficitur, quo præcise decernitur, non esse nisi unicam Chrismationem: Non eo quidem quod repetita Chrismatio quidquam obsit, sed ut non necessaria habeatur: En verba Canonis, ut eum ad plurium MSS. fidem doctus Pater Sirmundus edidit: *Nullum ministrorum qui baptizandi recepit offi-*

(a) *De celébres Theologiens croyent, que non obstant cette Décrétale, quelques Eglises de France sembloient ne reconnôitre, & n'admettre encore que une seule Chrismation, qui étoit celle du Baptême, avec cette precaution, que si par quelque nécessité on ne la recevoit pas dans le Baptême, l'Evêque en étoit averti, & y suppléoit par l'onction du front à la Confirmation. Tout cela, selon ces Theologens, résulte du celebre Canon du Concile d'Orange I. qui declare precisément „ qu'il n'y a qu'une seule, & unique Chrismation. Non „ que l'onction reïterée porte quelque prejudice * (a), mais a fin qu' „ on ne la croye pas necessaire. Voicy le Canon entier de la maniere, que le cite le docte Pere Sirmond, sur la foy de plusieurs Manuscrits:* Nul-

* (a) *Ou selon une autre lecture: „ Non qu' on pretende porter prejudice au sentiment de ceux qui penserojent, ou qui en userojent autrement. C'est a dire, qui ferojent deux onctions, l'une au Baptéme, & l'autre à la Confirmation, suivant la pratique de l'Eglise de Rome, marquée par le Pape Innocent. I. „ Aut secundum „ aliam*

„ officium, sine Chrismate usquam debere progredi, quia inter nos „ placuit semel Chrismari. De eo autem, qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non Chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur. Nam inter quoslibet Chrismatis ipsius „ non nisi una benedictio est; non ut præjudicans quidquam, sed ut „ non necessaria habeatur repetita Chrismatio. Concilium Arelatense II. quod undecim annis post Arausicanum habitum est, „ eamdem ordinationem conceptis verbis confirmat, quum ait „ Canone XXVII. Nullum Ministrum, qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate usquam debere progredi: quia inter nos „ (Gallicanos nimirum Episcopos) juxta Synodi (Arausicanæ) „ constitutionem, placuit semel Chrismari.

A 2 II.

Nullum Ministrorum, qui baptizandi recepit officium &c.* (a). *Le Concile d'Arle II. tenu onze ans après celuy d'Orange, confirme nettement cette disposition, en disant Canon 27. que „ Les Ministres, „ qui sont Chargez de baptiser, ne doivent aller nulle part sans „ avoir le Chrême, parce qu'il a été résolu (entre les Evêques de „ France) de ne faire l'onction qu'une fois, selon la definition du Concile (d'Orange)*

„ *aliam lectionem*: Non præjudicante cuique hoc dicimus; *id est iis qui duplicem unctionem peragerent, unam in Baptismo, alteram in Confirmatione, juxta morem in Ecclesia Romana receptum, de quo loquutus est Innocentius.*

* (a) „ *On sait, disent les Auteurs de Dictionaire de Trevoux, les disputes de Petrus Aurelius & du Pere Sirmond (au sujet de l'intelligence de ce Canon) les quelles ont fait beaucoup de bruit. Petrus „ Aurelius eut d'abord un grand nombre d'approbateurs, disent ces Auteurs „ Mais le sentiment du Pere Sirmond „ doit être préféré: les plus habiles gens luy ont enfin rendu justice. Compertum est, inquiunt Trevoltini Catalogi Auctores, quem rumorem ediderint Petri Aurelii, & P. Sirmondi super hujus Canonis intelligentia disputationes. Petrus Aurelius statim magno numero adprobatores invenit; sed P. Sirmondi sententia præferenda est, eique eruditiorum hominum natio victoriam merito adjudicarit.*

Digitized by Google

II. Equidem præferendam esse editam Arausicani Canonis à doctissimo P. Sirmondo lectionem, tum veterum Exemplarium auctoritas manifeste suadet, tum ipse verborum sensus, qui juxta Binianam & Aurelianam lectionem miris ambagibus implicatur. Sed quod ad Canonis intelligentiam, & Gallicanorum Patrum sententiam, & mentem Synodi spectat, nullus dubito, plurimum esse Virum doctissimum, & quibus ipse sententiam suam adprobavit, hallucinatos. Hanc enim Synodi mentem fuisse existimant, ut Innocentiano Decreto contrarium Canonem ederet, & probatam Romano Pontifici duplicem Chrismationem improbaret: hanc vero Gallicanis Patribus adhæsisse opinionem, ad Baptismi ceremonias pertinere unctionem, non autem ad Sacramentum Confirmationis: ideoque hoc Canone sanxisse, ut unctione semel in Baptismate administrata, in Confirmatione nequaquam repeteretur, quod Baptismalis & Confirmatorii Chrismatis una eademque benedictio sit; unde licet ex duplici Chrismatione nullum timendum sit præjudicium, nullam tamen esse repetitæ unctionis necessitatem. Mihi vero cum petitæ extrinsecus ex præcedentium & sequentium sæculorum dogmatis & consuetudine conjecturæ, tum verba ipsa Canonis alias prorsus his de rebus adferunt cogitationes.

Primum itaque statuo; non ad labefactandam Innocentiani decreti auctoritatem Arausicanos Patres laudatum Canonem promulgasse; sed ut ei potius morem gererent, & Sollennem in Ecclesia Romana Baptismalis Chrismationis ritum Ecclesiis quoque Gallicanis observandum proponerent. Id suadet imprimis contestata Gallicanorum Præsulum erga Sedem Apostolicam observantia. Quamvis enim ante ævum Caroli M. alium Ecclesiæ Romanæ & alium Gallicanis Ecclesiis ad conficienda Sacramenta Ordinem fuisse non ignoremus; attamen proclivius est credere, Galliarum Episcopos, pro sua erga Romanum Pontificem reverentia, aliquem specialem ritum Romæ usitatum in Gallias invexisse, quam nuper ab eodem Romano Pontifice confirmatum edito Canone reprobasse.

Sed longe id manifestius adparet ex ipsis tum verbis, tum scopo Canonis. Præcipuus Canonis scopus is fuit, ut deinceps una

una cum Baptismo & Sacra unctio ministraretur; ideoque præcipit, ut nullus in posterum ministrorum usquam fine Chrismate progrediatur. Unde colligitur, ab antiquis temporibus non fuisse in usu Gallicanis Ecclesiis, sed tum primum invectam, Chrismationem, quæ mera Baptismi ceremonia est. Eccur enim ritum ab aliquot sæculis observatum novo decreto sanxissent? Sed ad ipsa Canonis verba intentius animum advertamus: *Nullum*, inquiunt, *Ministrorum &c. sine Chrismate usquam debere progredi*. Id certe nullius præcedentis Synodi decreto constitutum est: hujusce autem recentis Constitutionis & novi oneris Baptismi Ministris impositi hanc rationem proferunt: *Quia inter nos*, inquiunt, *placuit semel Chrismari*. Id est, *ut eorum mentem exponit Illustrissimus Petrus de Marca* (*a*): „ Necessarium esse „ duximus, ut Chrismatis delibutio non pendeat in poste- „ rum ex arbitrio Presbyterorum, sed simul & semel cum „ Baptismo administretur. Tantundem est, si legas *semel*, vel „ *simul*. Par enim est hoc loco utriusque verbi significatio; ut „ recte monuit Sirmondus. *Placuit* itaque Patribus, ut una cum Baptismo Chrismatio Neophytis adhiberetur. Non igitur vetere instituto, vel antiqua consuetudine ejusmodi ritus, sed eorum placito nitebatur: *Placuit*, inquiunt, *inter nos*, non ajunt, placuit antiquis Patribus, & primis Ecclesiæ Gallicanæ Magistris & Institutoribus, sed nobis in hac Synodo congregatis, postquam rem adcuratius examinavimus, *semel Chrismari*. Quum mos antiquissimus obtineat, ut in Ecclesiis, præsertim Parochialibus, pro infirmorum Viatico aliquot ex consecratis Particulis reserventur; an non se deridendum propinaret Episcopus, qui Canonem hac similive forma conceptum in Synodo promulgaret: Nullum Parochorum, qui curam ut ajunt recepit animarum, fine Particulis consecratis in sua Ecclesia esse debere, quia inter nos placuit Viaticum moribundis administrari? An non potius si aliquam in suis negligentiam animadvertisset Episcopus, veterem eis in memoriam Ecclesiæ morem & antiquos Canones revocaret? Ita si jamdudum in Ecclesiis Gallicanis usu receptum fuisset, ut Ministri Bap-

(*a*) In Notis ad Conc. Claramontan.

tismatis nusquam sine Chrismate progrederentur, & una cum Baptismo unctionem administrarent, veteris eos potius instituti, quam nuperi placiti ac legis admonuissent.

Hæc autem omnia Concilii Arelatensis II. Canone XXVII. egregie confirmatur: *Nullum Ministrum, qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate usquam debere progredi: quia inter nos, juxta Synodi constitutionem, placuit semel Chrismari*. Ex his verbis discimus primo, primarium scopum Canonis Arausicani fuisse, ut cum Baptismo Chrismatio conjungeretur; ideoque præcepisse, ut Ministri nusquam sine Chrismate progrederentur. Unde eam solum Canonis Arausicani partem confirmat, qua de hac re constitutum est. Secundo discimus, hunc morem, ut à Ministris Baptismi Neophyti Chrismarentur, in Galliis Concilio Arausicano vetustiorem non esse. Nam ad hujusce Synodi constitutionem ejusmodi ritus institutionem Patres Arelatenses manifeste referunt: *Placuit*, inquiunt, JUXTA SYNODI CONSTITUTIONEM, *semel Chrismari*. Inde vero consequens est, Chrismationem inter Baptismi ceremonias ante laudatam Synodum locum in Galliis non habuisse, neque ante prædictum tempus fuisse Confirmationem sine Chrismate administratam. Siquidem fuisse jam inde ab ineunte saltem Christianæ Religionis sæculo tertio omnium Ecclesiarum usu receptum, ut Christiani Sacro unguento perfunderentur, & nos supra locupletissime demonstravimus, & neque ipsimet Adversarii diffitentur. Unde quum Baptismalis Chrismatio ante Concilium Arausicanum in Galliis usitata non fuerit, sequitur, unctionem Confirmatoriam fuisse ante id temporis usurpatam.

Jam vero ad alteram ejusdem Canonis Arausicani partem accedamus, ex qua idem non minus aperte conficitur: *De eo autem, qui in Baptismate, quacumque necessitate faciente, non Chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur &c.* Quoniam contingere poterat, ut aliquando sine Chrismate Baptismus administraretur; ideo quid tum facto opus esset, hac secunda laudati Canonis parte decernitur. Ubi duo sunt observanda. 1. Chrismationem Baptismalem recentis fuisse in Galliis institutionis. Nam si antiqua consuetudine obtinuisset, quid in eo casu præstandum esset, decerni recenti hac regula opus non fuisset; quum

quum ungendos esse sive in Baptismo, sive in Confirmatione Christianos, à nemine fuisset ignoratum. 2. ex iisdem verbis constare, fuisse ante Concilium Arausicanum Sollennem in Ecclesiis Gallicanis unctionem Confirmatoriam. Quum enim omissas quacumque necessitate in Baptismo ceremonias postmodum supplendas esse, antiquissimo Ecclesiæ usu ac traditione, ut aperte constat ex sæpius laudata Cornelii ad Fabium Antiochenum Epistola, compertum esset; nemo dubitasset, supplendam quoque omissam in Baptismate unctionem, nisi ambigi a quibusdam potuisset, num per solam unctionem Confirmatoriam prioris unctionis omissio cumulate resarciretur. Quandoquidem planum erat, per solam manuum impositionem, siquidem hoc tantum ritu Confirmatio in Galliis constitisset, prætermissæ unctionis, ut etiam aliarum ceremoniarum, defectum non potuisse suppleri. Erat itaque de unctione specialis ratio dubitandi, quod in Confirmatione jam inde ab antiquis temporibus adhiberetur.

Et revera solam repetendæ unctionis difficultatem locum quæstioni dedisse, ex sequentibus verbis manifeste colligitur. Postquam enim statuerunt Patres, ut de omissa Chrismatione in Confirmatione Sacerdos admoneretur; adjungunt: *Nam inter quoslibet Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est &c.* Id est, eadem benedictione consecratur unguentum, quod Ministris semper ad manus esse præcipimus, & quod INTER NOS PLACUIT una cum Baptismo adhiberi. & quo antiquo usu in Confirmatione Christianorum frontes ab Episcopis consignantur. Ex quo principio deducunt, quod quamvis repetita Chrismatio nihil obsit; attamen nullam esse ejus repetendæ necessitatem: *Non ut præjudicans quidquam, sed ut non necessaria habeatur repetita Chrismatio*. Hæc verba, quibus potissimum Adversarii nituntur, eorum opinionem funditus evertere, mihi videntur. Quod omnibus planum apertumque fore confido, dum tamen ad casum, de quo in Canone sermo est, oculos intendamus. De casu enim agitur, quo quispiam, quacumque necessitate faciente, fuerit sine Chrismatione Sacris undis perfusus: quæritur autem, an in Confirmatione supplenda sit omissa in Baptismate unctio? Respondent Patres, necessariam non videri repetitam

Chris-

Chrismationem. Si de illo ageretur, qui fuisset in Baptismate unctus; & ambigeretur, an esset iterum in Confirmatione perungendus; ex hac Patrum Arausicanorum responsione jure optimo colligeretur, necessariam eis habitam non fuisse unctionem Confirmatoriam. Sed quum de illo ageretur, qui non fuerat in Baptismo Chrismate delibutus, nullus in hoc casu repetitæ Chrismationi locus esse potuisset, nisi unctionem Confirmatoriam necessariam existimassent.

Hic itaque perplexi prima fronte & intricati Canonis planus & obvius sensus esse videtur: *Nullum Ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine Chrismate usquam* in posterum *debere progredi: quia inter nos* post adcuratum hujusce negotii examen *placuit semel Chrismari*; placuit una cum Baptismo, quemadmodum in Ecclesia Romana Sollenne est, Chrismationem Neophytis adhiberi. *De eo autem, qui in Baptismate, quacunque necessitate faciente, non Chrismatus fuerit, in Confirmatione Sacerdos commonebitur*. Nimirum, ut siquidem ei placuerit, hanc quoque ceremoniam suppleat, quomodo aliis Sollennis baptismi ritus suppleri solent, si quandoque fuerint casu aliquo prætermissi. Ceterum animadvertat Sacerdos, quod *inter quoslibet Chrismatis ipsius non nisi una benedictio est*, quod Chrisma in Baptismo deinceps adhibendum, & quo in Confirmatione utimur, una & eadem benedictione apud quoslibet consecratur. Ideoque, licèt *non ut præjudicans quidquam* reputanda sit *repetita* in ipsamet Confirmatione *Chrismatio*; eam tamen *necessariam* ducere non debemus; quum ea sine qua Confirmatio celebrari & administrari non potest, quod pars hujusce Sacramenti essentialis habeatur, abunde resarcire possit omissæ in Baptismo Chrismationis defectum.

Equidem non esse necessariam, in eo casu de quo nunc agimus, duplicem Chrismationem, sed alteram sufficere, Arausicani Patres existimarunt: Quam vero necessariam esse judicaverint, quamvis ex verbis & scopo Canonis liquido non adpareret; ex præcedentium tamen & sequentium sæculorum unanimi traditione, & conspirantibus cum Græcorum tum Latinorum Patrum decretis conjicere nullo id negotio possumus: Quandoquidem si nobis in mentem venerit, unctionem, cujus

ad

ad confirmandos Christianos, eisque tradendum Spiritum Sanctum, eosdemque donis cœlestibus cumulandos, Sollennis est usus, necessariam Gallicanis Patribus visam non fuisse, ignaros omnino laudatissimos Patres veteris traditionis habemus. Ejusmodi enim unctionem Patres superiori Capite laudati ad consequendum Spiritum Sanctum, & divinæ gratiæ consummationem esse prorsus necessariam existimarunt. Tertullianus negat, nos Spiritum Sanctum in aquis consequi, sed per unctionem, & manuum impositionem: *Non quod Spiritum-Sanctum in aquis consequamur &c.* S. Cornelius Papa: *Hoc autem signaculo minime percepto, quomodo Spiritum-Sanctum potuit accipere?* Quod, ut vidimus, *de signaculo Chrismatis* Rufinus interpretatur. S. Cyprianus: *Ungi quoque* NECESSE EST *eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei, & habere in se gratiam Christi possit.* S. Pacianus: *Vestræ plebi unde Spiritum, quam non consignant unctus Sacerdos?* Et rursus: *Hæc autem compleri alias nequeunt, nisi Lavacri, & Chrismatis, & Antistitis Sacramento . . . . . Chrismate Spiritus-Sanctus superfunditur.* S. Optatus: *Confectum jam Chrisma vocatur, in quo est suavitas . . . quæ sedem Spiritui-Sancto parat, ut invitatus illic &c.* S. Augustinus: *Accessit Baptismum & aqua . . . Sed nondum est panis sine igne . . . . . Oleum ignis nostri Spiritus Sancti est Sacramentum . . . . Accedit ergo Spiritus Sanctus, post aquam ignis, & efficiamini panis &c.* Quibus verbis non Baptismi, sed Confirmationis effectus, nimirum Sancti Spiritus infusionem, & Christianæ vitæ consummationem unctioni sic adtribuunt, ut etiam ejusmodi effectus sine unctione consequi nos posse, palàm apertèque inficientur. Unde liquet, & de unctione Confirmatoria Patres esse loquutos, & eam ad consequendum Spiritum Sanctum &c. omnino necessariam existimasse: adeòque ad unctionem Confirmatoriam Arausicanos Patres minime respexisse, quum repetitam Chrismationem necessariam à nobis haberi noluerunt; Sed ad eam, quæ mera Baptismi ceremonia est, quam in eo casu, de quo agebatur, necessariam esse, neutiquam judicarint. Ea verò prætermissa, locus non est amplius repetitæ chrismationi, sed unica superest ac simplex unctio, in qua unà cum manuum impositione posita est Sacramenti Confirmationis essentia.

III.

III. Hanc fuisse Patrum Arausicanorum mentem, ex sequentium quoque sæculorum Patribus, ac Scriptoribus, & præsertim Gallicanis, compertum habemus atque exploratum. Siquidem non minus disertè, quàm vetustiores Patres, Chrismationem non solùm inter Confirmationis ceremonias recensuerunt, sed etiam vim ei sanctificandi tribuerunt, & animam Spiritus Sancti charismatis inlustrandi; &, quod caput est, adhibitam in Baptismo unctionem recentioris fuisse institutionis tradiderunt; eamque proinde esse intelligendam, quam Arausicani Patres minimè necessariam esse sanxerunt.

S. Leo I. sub quo Concilium tum Arausicanum I., tum Arelatense II. habitum est, Serm. III. in Anniverf. suæ Assumpt. ita loquitur: *Omnes enim in Christo regeneratos, Crucis signum efficit Reges, Sancti verò Spiritus unctio consecrat Sacerdotes*. His autem verbis ad unctionem materialem adludere, qua regeneratis in Christo Crucis signaculum in fronte depingitur, ipse quoque Cl. Adversarius agnoscit. Sed quum ejusmodi ritum spiritalis unctionis & consecrationis, Sacrum esse signum manifeste doceat, ambigendum non est, quin eum in numero & censu Sacramentorum novæ Legis habuerit.

Floruit iisdem temporibus in Galliis Salvianus Massiliensis Presbyter, qui lib. III. de Provid. inter præcipua bona, quæ Deus Christianis largitus est, Sacram quoque unctionem sequentibus verbis recenset: *Quæritur forsitan, quæ sit bona, quæ Deus Christianis hominibus adsignet? Quæ? Nisi omnia per quæ credimus, id est, per quæ omnia Christiani sumus. Primum scilicet Legem, deinde Prophetas, tertio Evangelium, quarto Apostolicas lectiones, postremum regenerationis novæ munus, Sancti Baptismatis gratiam, divini Chrismatis unctionem. Scilicet, ut sicut apud Hebræos quondam, id est, peculiarem ac propriam Dei gentem, quum judiciarius honor in potestatem regiam transcendisset, probatissimos & lectissimos Viros per unguentum regium Deus vocavit in regnum: sic omnes homines Christiani, quum post Chrisma Ecclesiasticum omnia Dei mandata fecissent, ad capiendum laboris præmium vocarentur ad cœlum*. Non poterat apertius eloquentissimus Auctor Chrismatis usum ad divinam institutionem referre. Quum inter ea dona Sacrum Chrisma recenseat, quorum indubie Deus per semetipsum au-

ctor

Digitized by Google

ctor fuit. Ex quo autem illud inter potiora munera numeravit, quibus divina Bonitas Christianum populum auxit; sequitur, non nudam & vacuam Baptismi ceremoniam Salviano fuisse Sacram unctionem existimatam, sed Symbolum & caussam interioris unctionis, qua, ut ait S. Leo, omnes in Christo regenerati in Reges consecrantur & Sacerdotes.

Sub hujus sæculi finem vixisse perhibetur Vigilius ille vulgo Tapsensis, qui variis scriptis inclaruit. Lib. III. contra Eutych. n. VII. exponens verba illa Geneseos cap. 17. *Ecce odor filii mei, sicut odor agri cui benedixit Deus. Det tibi Dominus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei.* Inter cetera de Sacro Chrismate hæc habet: *Jacob autem & Esau, populi Gentium & Judæorum tenere figuram, nullum opinor ambigere Christianum. Primus ergo populus Gentium, cujus Jacob præformabat imaginem, à rore cœli, & à pinguedine terræ, id est, Christo, qui est Deus & Homo, benedictionis sortitus gratiam, frumenti, & vini, & olei est abundantia cumulatus; id est, Corporis & Sanguinis Christi, &* CHRISMATIS EJUS MYSTERIO CONSECRATUS. *Cujus trinæ benedictionis multiplicem gratiam, David etiam Sacro commemorat carmine, dicens:* „ à tempore frumenti, „ vini, & olei multiplicati sunt. Et hic quoque non minus diserte quam Salvianus Christum ipsum Sacræ unctionis, perinde ac Sacramenti Corporis & Sanguinis sui, facit auctorem, Mysterium, id est, Sacramentum, Sacrum hunc ritum appellat, per Chrismationem consecrari nos docet, & multiplicem ejus gratiam commendat. Quæ omnia Sacramentorum Novæ Legis Characteres esse ac peculiares prærogativas, neminem latet.

IV. Labente sæculo sexto S. Gregorius M. Romanam Cathedram doctrina & meritis plurimum inlustravit. Celebres sunt ejus ad Januarium Episcopum Caralitanum Epistolæ, IX. & XXVI. libri IV. quibus Presbyteris Sardis primum quidem districte prohibet, ne baptizatos, seu baptizandos Chrismate in fronte consignent, deinde vero id eis muneris atque officii permittit. S. Pontificis verba describam, tum quia Gruteriano apud Henricum Valesium Epigrammati de Marea lucem adferre posse videantur; tum etiam quia non nihil habeam circa eadem verba observandum, quod ad illam quæstionem perti-

 net,

net, qua de extraordinario, ut vocant, Confirmationis Ministro inter Theologos disputatur. Priore igitur Epistola ita Sanctus Pontifex scribit: *Episcopi baptizatos infantes signare bis in frontibus Chrismate non præsumant: Sed Presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant in fronte*. Ex hoc itaque S. Gregorii loco lucem adfulgere existimo veteri apud Gruterum Epigrammati:

Tuque Sacerdotes docuisti, Chrismate Sancto
Tangere bis nullum judice posse Deo.

Quomodo S. Gregorius *Episcopos* admonuit, ut *baptizatos infantes signare bis in frontibus Chrismate non præsumerent*; ita Mareas docuit, neminem Chrismate Sancto bis esse in fronte tangendum. Uterque nimirum repetitam in fronte Chrismationem reprobavit; non equidem decernendo, ne post Presbyteros Episcopi baptizatorum frontes Sacro unguento signarent, sed Presbyteris interdicendo, ne frontem ab Episcopis in Confirmatione signandam, Sacro ipsi Chrismate tangere auderent, ut ex Gregorii verbis apertissime liquet. Nam & in quibusdam Galliarum locis abusus olim fortasse inrepserat, ut Chrismatio quæ in Baptismo vertici erat à Presbyteris adhibenda, fronti adliniretur; ut ex Sacramentario Gallicano, quod ex vetustissimo Codice Bobiensi To. 1. Musei Italici edidit Vir Cl. Johannes Mabillonius, colligi videtur; nisi frontem pro vertice Scriptor illius Codicis usurpavit, quum post editam Baptismi formam statim subjungit: *Suffundis Chrisma in fronte ejus dicens: Deus Pater Domini Nostri Jesu Christi &c.*

Interdictam sibi à Summo Pontifice frontis Chrismationem ægre tulerunt Presbyteri Sardi. Unde hac de re iterum ad eumdem Januarium his verbis sapientissimus Pontifex scripsit: *Pervenit quoque ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, quod Presbyteros Chrismate tangere eos, qui baptizandi sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus. Sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizandos Chrismate tangere debeant, concedimus*. Indultum his verbis à Gregorio M. jus fuisse Presbyteris Sardis Sacramentum Confirmationis administrandi, communis eruditorum opinio est, & inter eos Claudii du Vert, & PP.

Be-

Benedictinorum in Notis huic Epist. subjectis in novissima Gregorii Operum editione. Sed falsos esse hac in re Viros doctissimos, nullus dubito, ac tribus invictissimis, ut mihi videtur, momentis evinco.

Primo de *baptizandis* in utraque Epistola S. Gregorius loquitur, non vero de baptizatis, nisi *semel*, ubi de Episcopis agit. Hanc enim lectionem ob plurium Exemplarium auctoritatem ipsi quoque adcuratissimi Editores prætulerunt. Porro incredibile videtur, quod Sanctus Pontifex, siquidem de unctione loquutus fuisset, quam Presbyteri non secus atque Episcopi post Baptismum administrabant, de Presbyteris agens *baptizandos* ubique nominarit, & ubi ipsi de Episcopis sermo est, *baptizatos* dixerit non *baptizandos*. Profecto casu non accidit hæc variatio, & adsidua illa participii futuri temporis, quod ad Presbyteros pertinet, repetitio.

Secundo jubet Epist. IX. ut *Presbyteri*, dimissa Chrismatione frontis, *baptizandos ungant in pectore*: atqui unctio qua baptizandi in pectore ungebantur, in omnibus Sacramentariis, Ordinibus, ac Ritualibus baptismum præcedit; quæ enim baptismum sequitur, vertici non pectori à Presbyteris adhibebatur. Porro levis admodum, ut libere dicam quod sentio, & nullo fundamento excogitata videtur PP. Benedictinorum conjectura: quod nimirum Gregorius „ ut Episcopis proprium frontes „ signandi jus servaret, ab illa consignatione longius arcuerit „ Presbyteros; quibus nempe ne ipsam quidem verticis, sed „ solam permiserit pectoris unctionem: atqui zelo adeo immoderato præditum fuisse Gregorium, probari simili exemplo non potest. Deinde se ait Epist. XXVI. veterem Ecclesiæ Romanæ morem esse secutum: *Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus*: atqui vetus Ecclesiæ Romanæ usus fuit, ut unctio, quæ Baptismum consequebatur, in vertice non in pectore perageretur. Præterea verosimile non videtur, quod ob coërcendam Presbyterorum audaciam, verticis unctione privare voluerit baptizatos, & repetitam pectoris unctionem præscripserit. Nam pectoris unctionem, quæ Baptismo præit, Gregorio vetustiorem esse, ex ejus Sacramentario colligitur (*a*) & ex

Bb 2 For-

(*a*) Vid. Hugon. Menard. Not. 278.

Fortunato lib. V. Carm. IV. ubi de Judæis agens à S. Avito baptizatis; ad hanc unctionem sequenti dysticho adludit:

Hinc oleari ovium perfunditur unguine vellus:
Adspersuque Sacro fit gregis alter odor.

Tandem quum jure antiquo verticalis unctio Presbyteris conveniret, si hujus administrandæ potestate deturbare Sardos Presbyteros voluisset, facere utique debuisset veteris instituti mentionem, & quod non obstantibus priscis Ecclesiæ decretis verticis unctione illius Insulæ Presbyteris interdicebat.

Tertio, consignatos in frontibus à Presbyteris infantes iterum Episcopi consignabant. Quod certe minime præstitissent, si Presbyteris Sardis, perinde atque Græcis, permissum tacito Ecclesiæ consensu existimassent, ut Sacramentum Confirmationis administrarent. Datum enim in Ecclesia Catholica Confirmationis Sacramentum numquam iteratum fuisse legimus: neque consignatos à Presbyteris suæ communionis Græcos Episcopos iterum consignasse, memoriæ proditum est. Quod si ejusmodi abusus in Sardiniam inrepsisset, quum postmodum ut Presbyteri illius Insulæ baptizatorum frontes Chrismate consignarent, Gregorius M. indulsit, monere utique non omisisset, ne Confirmatos à Presbyteris iterum Episcopi confirmarent.

Doctissimi PP. Benedictini observationem suam variis nituntur rationibus communire, in quibus tamen parum inesse videtur roboris ac momenti. Eas heic referam ac refellam. „ Constat, *inquiunt*, S. Gregorium Epistola posteriori, scilicet „ XXVI. illud concessisse, quod priori, nempe IX. prohibuerat; „ unctionemque ac consignationem permissam, quæcumque fuerit, „ *secundum usum veterem Ecclesiæ Romanæ*, imo Ecclesiarum fere omnium Occidentalium, non à Presbyteris „ adhibitam umquam, sed à solis Episcopis: nec alia lege Sardis Presbyteris illam administrandi jus collatum, nisi ubi „ deessent Episcopi. At quænam alia potest excogitari præter „ Sacramentalem Chrismationem? Unctio enim vel in vertice, „ vel in pectore baptizandorum ex Chrismate, ad Presbyteros „ pertinebat in qualibet Ecclesia, adeoque in Romana, modo „ baptizandi licentiam ab Episcopo consecuti essent.

Respondetur, quod quum de baptizandis S. Gregorius constan-

ſtantiſſime loquatur, neque de verticali, neque de Sacramentali unctione ipſius verba poſſumus interpretari : utraque enim poſt ablutionem peragebatur. Eſt itaque de unctione, quæ baptiſmum præcedebat, intelligendus, quæ quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ Romanæ, imo Eccleſiarum fere omnium Occidentalium in pectore fieri debebat, ſed fronti à Sardis Presbyteris inlinebatur. Ad aliarum ergo Eccleſiarum vetus inſtitutum Presbyteros Sardos primum ſapientiſſimus Pontifex revocavit. Sed poſtmodum frontis unctionem eiſdem hoc adhibito temperamento conceſſit, ut ab ea quum Epiſcopi adeſſent, ob mox ſecuturam Epiſcopalem unctionem abſtinerent.

„ Itaque, *ſubjungunt Cl. editores*, de Catechumenis ante im-
„ merſionem Chriſmate in fronte tangendis, Gregorium intel-
„ ligat nemo: quippe baptizandos, antequam immergerentur,
„ ſimplici quidem oleo inunctos legimus, numquam Chri-
„ ſmate.

Reſpondetur, quod etiam ſimplex oleum Chriſma ſæpiſſime à Patribus appellatur. Innumera exempla omnibus obvia libens prætermitto: unum dumtaxat huc pertinens commemorabo. In celebri Cod. Sacramentorum Moiſacenſi, annorum, ut Cl. Edmundus Martene teſtatur (*a*) circiter 800. unctionem, quæ immerſionem præcedit, & in pectore, & inter ſcapulas facienda præſcribitur, hæc forma comitatur : *Ego te linio* CHRISMATE *ſalutis in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. Reſpondetur etiam, præter morem quoque futurum, ut baptizati Chriſmate in pectore inungerentur ; quum eis Chriſmate non niſi aut vertex à Presbyteris, aut frons ab Epiſcopis conſignaretur. Aut ergo Chriſmatis nomine cujuslibet Sacræ unctionis materiam indiſcriminatim S. Pontifex denotavit : aut hanc quoque ſpecialem eſſe noverat Sardorum conſuetudinem, ut non ſolum in fronte, verum etiam in pectore non ſimplici oleo, ſed Chriſmate *baptizandos* perungerent.

„ Deinde, ut jam, *inquiunt*, obſervavimus, Gregorium de
„ illa frontis Chriſmatione loqui, quæ Epiſcopo reſervabatur,
„ nec niſi ſuper baptizatos fiebat, evincit conceſſionis ejus hæc
„ reſtrictio: *ubi Epiſcopi deſunt*. Re-

(*a*) To. 1. de antiq. Eccleſ. rit. l. 1. Ord. XII. de Bapt.

Respondetur, quod concessionis ejus hæc restrictio oppositum potius evincit. Inde enim colligitur, antea præsentibus etiam Episcopis infantium frontes Presbyteros Chrismate consignasse. Est autem prorsus incredibile, quod præsentibus Episcopis Sacramentum Confirmationis administrarint, & quod majoris fuisset absurditatis, quod coram se à Presbyteris confirmatos rursus ipsimet Episcopi confirmarent. Ob debitam itaque Episcopis observantiam, quum ipsi coram adessent, frontem ab ipsis mox post baptismum à Presbyteris consignari. Sed de his satis. Atque ut in orbitam redeamus, ex evulgato sub S. Gregorii nomine à doctissimo Hugone Menardo Sacramentario probationem Capite sequenti informabimus.

S. Gregorio M. supparem ac pene coævum habemus S. Isidorum Episcopum Hispalensem, qui Chrismatis Sacramentum eodem in ordine ac censu habet ac baptismum & Eucharistiam. Sic enim ait lib. VI. Origin. cap. XIX. *Sunt autem Sacramenta, Baptismus, & Chrisma, Corpus & Sanguis Christi: quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretius salutem eorumdem Sacramentorum operatur.* Et infra: *Chrisma Græce, Latine unctio nominatur, ex cujus nomine & Christus dicitur, & homo post Lavacrum Sanctificatur. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur; ita per unctionem Sanctificatio Spiritus adhibetur; & hoc de pristina disciplina, qua ungi in Sacerdotium, & in Regnum solebant, ex quo & Aaron a Moyse unctus est. Quæ dum carnaliter fit, spiritualiter proficit: quomodo & in ipsa baptismi gratia, visibilis actus est, quod in aqua mergimur, sed spiritalis effectus, quod delictis mundamur.*

S. Isidoro subjungam Aponii testimonium, quod hoc eodem sæculo septimo vixisse existimetur, licet eum Bellarminus inter noni sæculi Sctiptores enumerarit Libro I. Comment. in Cant. ad illa verba: *Meliora sunt ubera tua vino &c.* de præstantia & virtute Chrismatis ita loquitur: *Quem cibum Ecclesia de supradictis uberibus in baptismatis suscepit Sacramento . . . . quum ei sæpe dictum doctrinæ lac, triformem contulerit redemtionis medullam, liquorem scilicet baptismatis, candidissimum suaveque succum Corporis Christi, & pinguissimum butyrum, Sacri Chrismatis oleum, per quod Spiritus Sanctus infunditur. De qua pinguedine Ecclesia in*

alio

alio Propheta deprecatur animæ suæ medullas repleri, *dicendo*; sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea; *cujus odor sauciatas à peccatis animas resuscitat*; *cujus pinguedinis virtutem in prædictis uberibus absconsam fragrantemque*, *post oscula suscepta collaudare sequenti docetur versiculo dicens*: Fragrantia unguentis optimis. *Erat quidem boni odoris*, *id est meriti*, *unguentum illud in veteri Testamento*, *magistro Deo compositum*, *de quo ungebantur Reges*, *Prophetæ*, *& Sacerdotes*. *Sed quantum distat verus homo à pictura fucis colorum oblita*; *tantum interest quod Ecclesia suscipit renascendo in Spiritu*, *cujus figuram Synagoga suscipiebat in corpore &c.* Viden, ut Chrisma Sacramentis Novæ Legis adnumeret, & cum Baptismo, & Eucharistia in eodem ordine collocet? Ejus præterea virtute Sanctum infundi Spiritum docet; & antiquis unguentis Deo magistro compositis adeo præstare, quantum homo vivus & Spiritu & ardore præditus inani & mortuæ frigidæque picturæ; quomodo nimirum invicem comparantur Veteris & Novi Fœderis Sacramenta. Cui vero ejusmodi de Sacro Ecclesiæ Chrismate notiones in animo versabantur, is utique Sacram unctionem meram esse baptismi ceremoniam, neutiquam judicabat.

Sæculo octavo Venerabilis Beda pluribus suorum Operum locis eidem dogmati manifestissime suffragatur lib. VI. in Lucam ad illa verba: Et egressus ibat secundum consuetudinem „ in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum & Discipuli. *Et pulcre*, inquit, *sui Corporis & Sanguinis Mysteriis imbutos in montem Olivarum Discipulos educit*, *ut omnes in morte sua baptizatos altissimo Sancti-Spiritus Chrismate confirmandos esse designet*, *qui dicere possint cum Psalmista*. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo. *Et de quibus ante subjungitur*: A tempore frumenti, vini, & olei multiplicati sunt. Idem in Acta Apost. cap. X. *Unctus est ergo Jesus*, *non oleo visibili*, *sed dono gratiæ*, *quod visibili significatur unguento*, *quo baptizatos ungit Ecclesia*. Et in I. Johan. cap. II. *Unctio spiritalis*, *ipse Spiritus Sanctus*, *cujus* SACRAMENTUM *est in unctione visibili*. Denique, ut alia Venerabilis Patris loca prætermittam, Homilia in Octavas Epiphaniæ: *Post acceptum*, inquit, *unda regenerationis Lavacrum*, *per unctionem Sacri Chrismatis*, *gratia Spiritus*-

ritus-Sancti signamur. Ex quibus omnibus facile per semetipsum quisquam colligere potest, nihil ad Sacramenti rationem pertinens in visibili unctione desiderari; non divinam institutionem, non sensibilem ceremoniam, non invisibilem gratiam externo ritu significatam, non eamdem gratiam conferendi virtutem, non ipsum denique Sacramenti nomen.

Sæculum nonum, ut omnes norunt, Viris doctissimis abundavit, quos inter plures Caroli Magni Imperatoris, & successorum ejus studio, ac pietate excitati de Ecclesiæ ritibus, & Sacramentis scripserunt, qui omnes in eam quam tuemur opinionem miro consensu conspirant. Ita Leichadus Episcopus Lugdunensis lib. de Baptismo *ad laudatum Karolum Magnum Imperatorem* (apud Mabillonium Tom. III. ver. Analector.) cap. VII. *de Sacra unctione*, ubi inter cetera hæc habet: *credimus per Chrismatis unctionem, & manus impositionem dari Spiritum Sanctum. Nam sicut in Baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem sanctificatio spiritus adhibetur. Et hoc quod dictum est, de pristina disciplina, qua ungi in Sacerdotium, & in Regnum solebant, quæ dum carnaliter fit, spiritaliter proficit; quomodo & in ipsa Baptismi gratia, visibilis quidem actus, quod in aquam mergimur; sed spiritalis effectus, quod delictis mundamur. Propter quod & Sacramenta dicuntur, quia sub tegumento corporalium rerum virtus Divina secretius salutem eorumdem Sacramentorum operatur*. Et infra. *Nam quæ sit differentia Baptismi, & Chrismatis, Beatus Augustinus exponit, dicens* „ Quando exorcizantur infantes, velut frumentum „ moluntur; quando baptizantur, consperguntur; quando chris- „ mantur, coquuntur. *Pulchra comparatio, dum moluntur per exorcismum, à potestate Diaboli eruantur; dum consperguntur per Baptismum, à peccatorum sordibus emundentur, dum per Chrisma coquuntur, Spiritus Sancti gratia inlustrentur, & confirmentur*.

Ita etiam Theodulfus Episcopus Aurelianensis lib. de Ord. Baptismi cap. XVI. in fine. *Quibus*, idest, baptizatis, & à Presbyteris Chrismate delibutis, & mystico velamine contectis, *etiam septiformis gratiæ spiritus per Chrismatis unctionem conceditur, ut non solum Spiritus, qui unius est cum Patre, & Filio substantiæ, sed totius Sanctæ Trinitatis habitaculum effici mereantur*. Hæc enim verba de unctione capitis non esse intelligenda, quæ baptizato-

rum

Digitized by Google

rum frontibus ab Episcopis adhibetur, constat ex initio capitis sequentis, ubi diserte negat, ad Presbyterorum pertinere potestatem, ut septiformem Spiritum tradant, verum id juris solis esse Episcopis reservatum.

Sed nihil luculentius iis quæ habet Paschasius Ratbertus Abbas Corbejensis lib. de Corpore, & Sanguine Domini Cap. III. *Sacramentum igitur est, quidquid in aliqua celebratione Divina nobis quasi pignus salutis traditur, quum res gesta visibilis longe aliud invisibile intus operatur, quod sancte accipiendum sit. Unde & Sacramenta dicuntur, aut à secreto, eo quod in re visibili Divinitas intus aliquid ultra secretius efficit per speciem corporalem, aut à consecratione sanctificationis, quia Spiritus Sanctus manens in corpore Christi, latenter hæc omnia Sacramentorum mystica, sub tegumento visibilium pro salute fidelium operatur. Magis igitur vis divina ex hoc mentes credentium ad invisibilia instruit, ac si visibiliter ea monstraret, quæ interius præstat ad effectum salutis*: Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. *Sunt autem Sacramenta Christi in Ecclesia, Baptismus, & Chrisma, Corpus quoque Domini, & Sanguis.*

Concinit Paschasio Ratramnus ejusdem Abbatiæ Corbejensis Monachus Doctissimus, lib. IV. contra Græcorum opposita cap. VII. (Spicileg. Dacherian. Tom. II.) *Constat*, inquit, *Spiritus Sancti gratiam per unctionem frontis ex Chrismate ab Episcopis donari. Quod nulli præter Episcopos esse concessum, Evangelica testatur auctoritas.* Et paulo post: *Constat autem, omnem Ecclesiam Corpus esse Christi, videlicet Regis, & Sacerdotis, unde omnes Christiani genus sumus Sacerdotale, & Regale; propter quod post lavacrum ungimur, ut Christi nomine censeamur; & non nisi per Pontifices, à quibus Reges, & Sacerdotes ungebantur in lege.* Quod etiam probat ex Actibus Apostolicis cap. 8. ubi baptizatis à Philippo manus imposita dicitur ab Apostolis, *ut acciperent Spiritum Sanctum. Quæ forma*, inquit, *servatur hodieque in Ecclesia, ut baptizentur quidem fideles per Presbyteros; gratia verò Spiritus Sancti per impositionem manuum tribuatur ab Episcopis: quod tunc fit, quando frontes baptizatorum Chrismate sancto liniuntur ab Episcopis*. Adducit etiam ex iisdem Actis cap. 19. Ephesiorum exemplum, quibus post Baptismum manus impositæ sunt ab Apostolo. Ubi notat, *quia Paulus non baptizaverit eos, sed jusserit baptizari; baptizatis autem manus Paulus im-*

posuit; & ita demum venit super eos Spiritus Sanctus. Docemur igitur Baptismi gratiam per Presbyteros posse contribui; donum verò Spiritus Sancti, quod tribuitur per manus impositionem, quando frontes baptizatorum Chrismate sancto liniuntur, non nisi per Episcopos posse promoveri. Quibus verbis non solum docet, ad Confirmationem pertinere Chrismationem, sed in ea etiam constituere videtur totam, ut ita dixerim, hujusce Sacramenti substantiam; neque aliam agnoscere manuum impositionem, quæ sit huic Sacramento essentialis, præter illam, qua baptizati Chrismate ab Episcopis consignantur. Qua in re & Beda in Psal. 29. Ratramno præivisse videtur; *Illa*, inquiens, *unctio, quæ per manus impositionem ab Episcopis fit, & vulgo confirmatio dicitur*: & eisdem recentiores aliquot Scriptores, ut deinceps videbimus, adstipulari.

Æneas quoque Episcopus Parisiensis lib. adversus Græcos (*apud Acherium Spicileg. Tom. VII.*) postquam cap. CLXXVIII. Innocentii I. auctoritate probavit, Baptizatorum frontes non esse à Presbyteris Chrismate liniendas, & id juris solis Episcopis convenire: capite sequenti, verticalis unctionis, quæ in Baptismo à Presbyteris administratur, institutionem ad S. Silvestrum ex Gestis Romanorum Pontificum refert. Unde colligit, aliam unctionem tribus prioribus sæculis non fuisse in usu, nisi quam Innocentius solis Episcopis vindicat, quum tradunt Spiritum Paracletum: adeoque Æneas in ea versatus est opinione, quod Chrismatio inter Confirmationis, non autem inter Baptismi ceremonias fuerit primis Ecclesiæ sæculis recensita: *legitur*, inquit, *etiam in Gestis Romanorum Pontificum, quia Silvester Papa constituit, ut à Presbytero Neophytus ungeretur, scilicet in cerebro, sive in vertice. Sic enim ibi scribitur*: „ Hic constituit, ut baptizatum „ liniat Presbyter Chrismate levatum de aqua propter occasio„ nem transitus mortis. *Quo enim tempore Silvester rexit Romanæ Sedis Ecclesiam, manifestum est, id est, quando Nicænum Concilium celebratum est sub Pio Imperatore Constantino. Exin, ut arbitrari potest, Sancti Patres instituerunt, ut ungerentur Neophyti à Presbyteris Chrismate consecrato ab Episcopo. Quod si id antea agebatur, superfluum videtur, constitutum esse à Sancto Silvestro quod jam à Catholicis implebatur. Secundum hanc Constitutionem suspicari quilibet valet, quod priori tempore de unctione Chrismatis Pontifex exspe-*

exspectabatur , ut per manus Episcopi omnis unctio Chrismatis compleretur. Usque ad illud tempus non generaliter omnes baptizabantur, præsertim cum Imperatores & Principes eorum Paganismo detinerentur : ideo facile Neophytis poterat occurrere Episcopus , vel ipsi ad Episcopum venire, quia adhuc Christianitas angusta erat , & clanculo agebatur.

Eidem nostræ opinioni non minus aperte favet Jonas Episcopus Aurelianensis lib. 1. de Institutione Laicali (*apud Acherium To. I. Spicileg.*) cap. VII. *Credendum vero est, quia sicut baptismatis, & Corporis & Sanguinis Domini Sacramenta , per Sacerdotum mysteria visibilia fiunt , & per Dominum invisibiliter consecrantur , ita nimirum Spiritus-Sancti gratia per impositionem manuum, ministerium administratum Episcoporum fidelibus invisibiliter tribuatur .* Ad hoc vero ministerium Chrismationem perinde ac manuum impositionem pertinere, sequentia verba demonstrant : Statim enim subjungit : *Cur autem non à Presbyteris , sed ab Episcopis Apostolorum successoribus , credentium frontes ob percipiendum Sancti Spiritus donum, Sacro-Sancto Chrismate signentur, S. Papa Innocentius in Decretalibus suis plenissime scribit &c.*

Plura huc pertinentia legere est apud Amalarium lib. 1. de Ecclesf. Offic. cap. XII. XVII. & XL. Priori loco, *de eo oleo, quod infunditur super Neophytos tenere nos* docet *Apostolicam consuetudinem*. Cap. XXVII. Verticis unctionem à Silvestro Papa fuisse institutam , neque ante Nicæni Concilii tempora obtinuisse : & cap. XL. quod *unctio illa ideo fit, ut sciamus quid invisibiliter operetur Spiritus-Sanctus in nobis*. Sed integra hæc Capita legenda sunt.

Denique, ut alios hujus sæculi Scriptores omittam, videndus omnino Rabanus Maurus. lib. de Institutione Clericorum Cap. XXX. quod *de impositione manus Episcopalis, &* CHRISMATIS SACRAMENTO, inscribitur: & initio Cap. XXXI. *de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini*, quod ita incipit : *Sed quia de duobus Sacramentis, id est , Baptismo, & Chrismate , jam quantum nobis Dominus dedit, supra disseruimus ; superest, ut de reliquis duobus , id est, Corpore & Sanguine Domini, etiam nunc, quantum Dominus annuerit, diligentius investigemus*. Quamvis , ut ostendunt Theologi , Baptismus & Confirmatio , & Corpus & Sanguis Christi non

eadem ratione duo dici possint Sacramenta ; ex his tamen verbis adparet, Sacramentum Confirmationis primario ac præcipuo fuisse à Rabano in unctione Chrismatis constitutum. Non enim alia ratione ab eo fuisset, non quidem Sacramentum manuum impositionis, sed Sacramentum Chrismatis adpellatum.

Sæculo decimo, alioquin satis obscuro, habemus editum ab Acherio To. VIII. Spicilegii, Attonis II. Episcopi Vercellensis, *doctissimi*, ut ait Ferdinandus Ughellus, *Theologi & Canonistæ ; & in rebus Divinis & Ecclesiasticis*, ut ait laudatus Acherius, *versatissimi* Capitulare, seu Collectionem Canonum centum Capitibus constantem. Capite autem LXXVII. quod hanc epigraphem habet ; *Qualiter* MYSTERIA *Baptismatis, vel* CHRISMATIS *custodienda sint* ; de utroque Sacramento, Baptismi nimium & Confirmationis, ita decernit: *Qui Sacri Baptismatis mysterium, vel donum Spiritus-Sancti in Chrismate susceperint, ante nonum diem cum mulieribus nullo modo coëant ; similiter hujuscemodi mulieres omni modo a Viris se abstineant; nec ullo turpi ludo, vel negotio ullo modo misceant; à carnium usura diu abstineant, donec Episcopus loci pro qualitate personæ vel temporis præviderit. Nec à Sacro Fonte aliquem levare, aut ad consignandum ante Episcopum tenere aliquis audeat ..... nisi prius hæc eadem prædicta* SACRAMENTA *in se celebravit. Si quis autem in aliquo supradictorum prævaricator exstiterit, judicio Episcopi pœniteat*. Baptismi & Confirmationis Sacramenta eodem in pretio habet ; & Confirmationem, *Mysterium, & Sacramentum Chrismatis* vocat; & in Chrismate Spiritus-Sancti donum suscipi docet ; omissa prorsus manuum impositionis mentione.

Sæculo undecimo Gerardus Cameracensis Episcopus, Serm. quo in Synodo Atrebatensi Gundulfianos Hæreticos amplissime confutavit, & ad errorum suorum, quibus omnia Novi Fœderis Sacramenta de medio tollebant, abdicationem coëgit, Capite I. (*apud Acherium Spicileg. Tom.* XIII.) de Sacra unctione ita loquutus est: *Deinde vero Sacri Chrismatis unctione perfunditur infans, ex cujus nomine Christus dicitur, & homo post Lavacrum sanctificatur. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem Sanctus Spiritus adhibetur. Quæ licet carnaliter administretur, Spiritualiter tamen proficit; Sicut & ipsa baptismi gra-*

tia

tia visibilis actus est, quod in aqua mergimur; sed Spiritualis efficitur, quod delictis mundamur. Et in fine ejusmodi Capitis, Chrismatis usum, perinde atque aquæ in baptismo, ad divinam institutionem, & Apostolicam traditionem retulisse videtur: *Denique vos, qui nihil in Sancta Ecclesia corporaliter gerendum arbitramini, ut in hoc Baptismatis Mysterio aqua, oleum Chrismale, Sacerdotis officium, & cetera, quæ usque hodie Catholica servat Ecclesia: vos, inquam, rogo, quid sibi vult illa materialis aquæ alluvio, quam lavandis pedibus invicem exhibere soletis. Nam si hoc ab Evangelio vos accepisse dicitis ..... stultum est, imo & sacrilegum, cetera & multo majora repudiare, quæ ab ipso rerum auctore Domino sunt constituta, ab Evangelio enuntiata, ab Apostolis tradita, sine quibus nostræ salutis plenitudo non potest consistere: quæ quidem ipse Dominus & ante Resurrectionem, & post Resurrectionem Discipulis suis servanda instituit.* Quibus verbis olei Chrismalis usum iis rebus adnumerat, quæ ab ipso Domino sunt constituta, & ab Apostolis tradita, & sine quibus nostræ salutis plenitudo, idest perfectio consistere non potest.

Sæculo duodecimo S. Bruno Signiensis Episcopus libro de consecrat. Eccles. (*in Spicileg. Acher. Tom. I. nov. edit. pag.* 443.) Tit. *Quid significet consecratio Chrismatis & olei*; Sic ait: *Nunc sola confirmatio restat, quæ ab Episcopis fieri jubetur, in qua totius Christianæ Religionis mysterii plenitudo completur. In Baptismo namque per Spiritum Sanctum datur remissio peccatorum: hic autem ipse Spiritus Sanctus invitatur, ut veniat, & domum ipsam quam ædificavit, defendere, & habitare dignetur. Nam & ipsi Apostoli post Baptismum acceperunt Spiritum Sanctum, quem utique in ipso Baptismo jam acceperant in remissionem peccatorum... Acceperant autem & Spiritum Sanctum, quo ligarent, & solverent à peccatis.... Acceperunt autem & iterum in die Pentecostes ad totius virtutis, & scientiæ perfectionem. Ad totius itaque similitudinem perfectionis hæc ultima confirmatio fieri jubetur. In quo manifestum est, quod hoc* SACRAMENTUM *non iteratur, siquidem propter aliud & aliud datur. Quamvis enim prius in vertice, & postea in fronte homo Chrismate ungatur, non tamen iteratur* CHRISMATIS SACRAMENTUM, *quia, ut superius diximus, propter aliud & aliud fit.... Hæc autem ultima signatio ideo quidem in fronte fit, quia perfecto-*

rum

Digitized by Google

rum est, non in occulto, sed palam, & in manifesto Christi nomen semper habere &c.

Similia omnino habet Goffridus Vindocinensis ejusdem ævi Scriptor celeberrimus Opusc. VIII. & IX. ita ut sua alter ex altero mutuatus sit, aut ex Goffrido Bruno, aut ex Brunone Goffridus.

Sed imprimis observatione digna sunt quæ habet Venerabilis Petrus Cluniacensis Abbas lib. V. Epist. VII. ad Theobaldum: *Ut quid enim*, inquit, *jam baptizatus inungitur, nisi ut jam collata, non conferenda baptizato per Spiritum Dei, peccatorum remissio demonstretur? Hoc quia semel factum sufficit, quia semel remissa peccata simplex Sacri Chrismatis unctio ostendit, iterandum esse, nulla ratio persuadet.* Hæc de unctione, quæ à Presbyteris in vertice administratur; per quam, quod simplex Baptismi ceremonia sit, gratiam Spiritus Sancti conferri negat; sed gratiæ in Baptismo conlatæ merum esse symbolum docet. At longe aliter sentit de unctione, qua baptizatorum frontes in confirmatione ab Episcopis consignantur. Per hanc enim ipsum donari Spiritum Sanctum, apertissimè confitetur; *Sed cur*, inquit, *& illa, quæ ab Episcopis fit, Confirmationis unctio non iteratur? Non iteratur plane hac ratione: quia semel Christianus post Baptismum armis Spiritus Dei per illam unctionem advocati, contra Satanæ mundique bella munitus, alio rursum Spiritu, vel aliis armis, illa simplici unctione, muniri non posse monstratur. Et potest quidem segnitie propria ab hoste, his armis depositis, vinci; potest & eisdem resumtis, iterum hostem vincere: nec tamen ea de caussa unica illa unctio iteranda est, quia quotiescumq; hostem superat, non per alium, & alium spiritum, sed per eundem Spiritum Sanctum hoc fieri, simplicitate sua unctio sacra designat.*

Favet etiam nostræ opinioni Hugo Archiepiscopus Rothomagensis lib. I. contra Hæreticos sui temporis cap. XIII. *Sicut ergo Pontifex noster, Summusque Sacerdos de sede majestatis in discipulos suos, prius per Spiritum Sanctum baptizatos, & sanctificatos, postea in igneis linguis Spiritum Sanctum plenius effudit, ita & ii, qui præeminent officio Pontificali, donant opere cœlesti, vice Jesu Christi, donant filiis in Baptismo regeneratis, super eos imponentes manus, cum oratione, & signo sanctæ Crucis, & unctione Chrismatis, Spiritum Sapientiæ, & intellectus &c.* Et rursum in fine capitis: *Festinet*

net itaque omnis in Christo baptizatus, ut oratione Pontificis, & manus impositione, cœlestis unctione Chrismatis consignetur; & sic, virtute ex alto suscepta victor ubique proficiat, & pro Chrismate regali in perpetuum nomine Christiano præfulgeat. Quibus verbis Chrismationi non secus ac manuum impositioni effectus Sacramenti Confirmationis attribuit.

Petrus Cellensis ejusdem sæculi Scriptor Sacramentum confirmationis per Chrismatis inunctionem designat, Serm. de Purificat. *Considerate decorem Ecclesiæ in Baptismatis ablutione, in Chrismatis inunctione, in Corporis, & Sanguinis Domini consecratione*. Et lib. de Panibus cap. XXV. *Adspersio aquæ in Baptismate celebratur, adspersio Sanguinis in Passione, adspersio olei in Chrismatis confirmatione*. Cui perinde ac duabus præcedentibus adspersionibus effectum salutis adtribuit: *Unam quidem salutem operantur diversæ adspersiones &c.*

Finem huic capiti imponam elegantibus Arnoldi Bonævallensis Abbatis verbis in libro de cardinalibus Christi operibus, qui S. Cypriano olim adscriptus est, Sermone de Unctione Chrismatis, in quo hæc habet: *Hodie in Ecclesia cum ceteris unctionibus ad populum Dei sanctificandum in participatione dignitatis, & nominis, Sacrum Chrisma conficitur; in quo mixtum oleo balsamum Regiæ, & Sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem*. Et infra: *non hæc medendis corporibus unctio instituta; quia sanctificatis elementis jam non propria natura præbet effectum, sed virtus divina potentius operatur, sed adest veritas signo, & spiritus* SACRAMENTO, *ut & ipsis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur auctoritas, deiformi conversatione, & cœlestibus moribus innotescat.... Ex hujus unctionis beneficio, & sapientia nobis & intellectus divinitus datur, consilium, & fortitudo cœlitus illabitur, scientia, & pietas, & timor inspirationibus supernis infunditur. Hoc oleo uncti cum spiritalibus nequitiis colluctamur, nec fetoribus spuriis imbui possumus, qui balsami spiritalis odore flagramus &c.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

Græci, & Orientales Scriptores Sacramentum Confirmationis aut unicè, aut potissimum in Sacra unctione constituerunt.

I. Sacramentum Confirmationis frequentius per Chrismationem, quam per manuum impositionem Græci Patres exponunt.
II. De sacri virtute Chrismatis, & præstantia, quam magnifice senserint SS. Cyrillus Hierosolimitanus, & Alex., & Theodoritus.
III. Dionysii vulgo Areopagitæ testimonia, variæque circa illa observationes.
IV. Orientales in suis Liturgiis Chrismationem cum Baptismo conferunt, & Eucharistia.
V. Græcorum Scriptorum in sacri unguenti commendationem aliæ quamplures auctoritates.

I. POstquam Latinorum Patrum testimonia expendimus, Patrum Græcorum auctoritates nobis ad examen revocandæ sunt, ut & cetera tum Latinæ, tum Græcarum, & Orientalium Eccclesiarum monumenta, ex quibus constare possit, quænam fuerit ad hæc usque tempora Christianorum pene omnium de Chrismate Confirmatorio fides, atque traditio. Concilium Nicænum I. de Novatianis, qui Novatiani hujusce Sectæ Patriarchæ exemplo Sacramentum spernebant Confirmationis, Canone VIII. constituit, ut eis ad Ecclesiam Catholicam convolantibus manus imponerent.

rent.

rentur: qua loquendi ratione videri sacra Synodus posset hujusce Sacramenti substantiam in sola posuisse manuum impositione. Non enim Chrismatis meminit. Sed longè aliter supparibus, ac pene Synchronis Patribus visum est. Concilium Laodicenum eodem quo Nicænum sæculo celebratum, Canone VII. veluti Nicæni Canonis interpretem agens, de iisdem Novatianis ita decrevit: (*a*) *Eos, qui apud illos fideles dicebantur, fidei symbola discentes, & sancto Chrismate inunctos, sic sancto Mysterio communicare*. Unde quemadmodum Nicæna Synodus Sacramentum Confirmationis per manuum impositionem; ita Laodicena per unctionem Chrismatis designavit. Ex quibus colligi haut immerito potest, non minus unctionem Chrismatis, quam manuum impositionem ex Patrum Græcorum sententia ad Sacramentum pertinere Confirmationis. Sed quæ fuerit Laodicenorum Patrum de Chrismatis efficacia mens atque doctrina, ex Canone XLVIII. longe habemus exploratius. Ita enim statuit. (*b*) *Quod oportet, eos, qui inluminantur, post Baptisma inungi super cœlesti Chrismate, & esse regni Christi participes.* Quę verba ita Zonaras interpretatur: (*c*) *Cœleste Chrisma appellavit, quippe quod & Sacris precationibus, & Sancti Spiritus invocatione Sanctificatum sit; & qui eo inunguntur, Sanctos, ac regni cum Christo participes ..... efficiat.*

Similiter S. Basilius Epist. I. Canonica ad Amphilochium Can. I. Sacramentum Confirmationis per unctionem Chrismatis denotavit; quum de Novatianis aliisque Hæreticis agens, *omni ratione statuendum esse*, judicavit (*d*) *ut qui ex illorum Baptismo accedunt, ungantur coram fidelium cœtu, & sic ad mysteria accedant*. Sed in hoc M. Basilii Canone illud imprimis observatione di-

(*a*) Τὰς λεγομένας παρ' αὐτοῖς πιστὰς, ἐκμανθάνοντας τὰ τῆς πίστεως σύμβολα, χρισθέντας τε τῷ ἁγίῳ χρίσματι, οὕτω κοινωνεῖν τῷ μυστηρίῳ τῷ ἁγίῳ.

(*b*) Ὅτι δεῖ τὰς φωτιζομένας μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχας εἶναι τῆς βασιλείας τῦ Χριστῦ.

(*c*) Χρίσμα ἐκάλεσεν ὁ κανὼν τὸ ἅγιον μύρον, καὶ οὐκ ἁπλῶς χρίσμα, ἀλλ' ἐπουράνιον, ὡς διὰ τῶν ἁγίων εὐχῶν, καὶ τῆς ἐπικλήσεως τῦ ἁγίυ πνεύματος ἁγιαζόμενον, καὶ ἁγιάζον τὰς χριομένας, καὶ μετόχας αὐτὰς ποιῦν τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν.

(*d*) Παντὶ δὲ λόγῳ τυπωθῆναι, τὰς ἐπὶ τὸν βάπτισμον ἐκείνων προσερχομένας ἢ χρίεσθαι ὑπὸ τῶν πιστῶν δηλονότι, καὶ οὕτω προσίεναι τοῖς μυστηρίοις.

gnum videtur, quod ejusmodi Hæreticos primum novo Baptismo perfundi jubet: at postea permittit, ut si hoc *τῇ καθόλε οἰκονομίᾳ universali œconomiæ*, & eorum conversioni sit impedimento futurum, absque novo Baptismate recipiantur. Verum non ita se gerit, quum de Sacra unctione decernit: vult enim, eos *παντὶ λόγῳ omni ratione* inungi, antequam mysteriis communicent: nec satis habet, ut manus prædictis Hæreticis imponantur. Quo aperte significavit, Confirmationem sine Chrismate administrari non posse. Non enim simplicem Baptismi ceremoniam tanti fecisset, ut eam omni ratione servari vellet in iis etiam Hæreticis suscipiendis, quos *οἰκονομίας* & dispensationis ergo ad novum Baptismum non esse adigendos existimabat.

Concilium quoque CP.I. Canone VII. ritum describens, quo admittendi erant in Ecclesiam Novatiani, & alii quidam Hæretici, quos, alibi (*a*) verosimilibus rationibus ostendi, non fuisse apud suos Confirmationis Sacramento donatos, manuum impositionis ne meminit quidem, sed solius Chrismationis cum adjuncta verborum formula, qua Græci in Neophytis perungendis utuntur. (*b*) *Eos*, inquiunt, *recipimus . . . . signatos, sive unctos primum Sancto Chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures. Et eos signantes dicimus: signaculum doni Spiritus-Sancti.*

Theodoritus Libro tertio Hæretic. fabularum capite V. de iisdem Novatianis agens, & eorum quum ad Catholicam fidem convertuntur, in Ecclesiam receptione, ita loquitur: (*c*) *Iis quos baptizant, Sanctissimum Chrisma non præbent. Qua propter eos, qui ex hac Hæresi corpori Ecclesiæ conjunguntur, laudatissimi Patres inungi præceperunt.* De manuum impositione penitus silet, cujus etiam nullam mentionem fecerunt, cum Trullani Episcopi Canone

(*a*) Differt. de Bapt. in Nom. Christi: & de Hæretic. qui Bapt. form. olim adulterarunt.

(*b*) Δεχόμεθα ...... σφραγιζομένους ἤτοι χριομένους πρῶτον τῷ ἁγίῳ μύρῳ τό τε μέτωπον, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ τὰς ῥῖνας, καὶ τὸ στόμα, καὶ τὰ ὦτα. καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν· Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου.

(*c*) Τοῖς ὑπὸ σφῶν βαπτιζομένοις τὸ πανάγιον οὐ προσφέρουσι χρίσμα. διὰ τοῦτο τοὺς ἐκ τῆς αἱρέσεως τῷ σώματι τῆς ἐκκλησίας συναπτομένους χρίειν οἱ πανεύφημοι πατέρες προσέταξαν.

none XCV. tum etiam Timotheus Presbyter, & S. Theodorus Studita Epist. ad Naucratium, de eodem differentes argumento; quo videlicet ritu recipiendi sint, qui ex diversis Hæreticorum sectis ad fidem Catholicam convertuntur. His autem auctoritatibus non id omnino effici existimo, quod sine ulla manuum impositione Confirmatio fuerit ejusmodi Hæreticis administrata; sed cùm præcipuam apud Græcos hujusce Sacramenti partem fuisse Chrismationem; tum etiam arctissime fuisse cùm manuum impositione conjunctam; & ad Confirmationem adeo intime pertinuisse, ut per hanc proprius & convenientius quam per manuum impositionem judicaverint designari. Quod certe cum eorum opinione nullo modo conciliari potest, qui Chrismationem apud Græcos nullo modo ad Sacramentum Confirmationis spectare putant, sed meram esse docent Baptismi ceremoniam.

II. Quam porro Græci tribuerint Sacræ unctioni virtutem, ex subjunctis eorum aliquot testimoniis patebit. Primus autem in medium prodeat S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui de hoc argumento data opera disseruit Catechesi XXI. Mystagogica III. quæ inscribitur, περὶ χρίσματος, *De Chismate*. Circa quem titulum hæc Cl. Toutée novissimus Cyrillianarum Catecheseon editor & interpres observat: „ Quod enim apud Latinos Confir„ mationis nomine designamus, hoc Græci *Chrisma*, vel Μύρον, „ *Unguentum* appellare consueverunt. Nam ii in hoc Sacramen„ to unctionem semper uti præcipuam ejus partem spectavere; „ quum Latini antiquitus manus impositionem potiore loco ha„ buisse videantur. Illud etiam cum eodem Cl. Auctore animadvertendum, quod quamvis Cyrillus Ecclesiæ Hierosolymitanæ in conferenda Confirmatione ritus adcurate describat; attamen impositionis manuum atque orationis eam comitantis non meminit. Quod quidem licet argumento esse nolim, eam omnino fuisse ab Ecclesia Hierosolymitana in consignandis Neophytis prætermissam; quum ejus usum non obscure insinuet Catech. XVI. num. XXVI. sed voluisse tamen unctionem inter præcipuas hujus Sacramenti ceremonias computari. Et sane, aut Confirmatio ex numero Sacramentorum Novæ Legis expungenda est; aut fatendum, hocce Sacramentum Chrismatione

imprimis constitisse. Nam Confirmationem Catechesi XXI. non alio S. Cyrillus quam unctionis ritu describit: quam si meram Baptismi ceremoniam fuisse dicamus; sequitur, Confirmationem inter Baptismi ceremonias enumerandam; quod plane Hæreticum est. Sed quæ S. Doctoris de ipso Chrismate ejusque virtute sententia fuerit, propius consideremus.

I. Autem Sanctum Chrisma *τῦ ἁγίε Πνεύματος τὸ ἀντίτυπον, Sancti-Spiritus Antitypon* vocat. „ Hoc est (inquit Cl. Touté:) „ *Symbolum*, *vicaria similitudo*, *pignus*. Qui etiam subjungit, „ quod Antitypum non idem præcise est ac typus, seu figura; „ sed typus quidam in locum rei præsentis vel latentis datus. „ Antitypum itaque rem quam repræsentat, de se nec includit, „ nec excludit, tantum præsentiam ejus sensibilem supplet. Cy- „ rillus Cat. 20. n. 6. Baptismum dicit præteritarum Christi „ passionum, quas ipsi non toleramus, Antitypum esse. Hîc au- „ tem Chrisma præsentis quidem, sed latentis Spiritus-Sancti „ Antitypum pronuntiat. Nam I. Chrisma dicit *Spiritus-Sancti* „ *efficiens fieri*, *præsentia divinitatis ejus*, postquam Ecclesiæ pre- „ cibus consecratum fuit, Catechesis hujus num. 3. 2., ait ibi- „ dem, quando visibili Chrismate corpus perlinitur, animam „ Sancto & vivifico Spiritu sanctificari. 3. pronunciat num. 5. „ summi Sacerdotis, & Salomonis in veteri lege unctiones, in „ Symbolo & figura constitisse; at nos vere non in figura à Spi- „ ritu-Sancto inungi. 4. ait Cat. 3. num. 14. & Cat. 17. num. „ 9. ipsum Spiritum-Sanctum, qui in Christum descendit, in „ nos quoque descendere; & Cat. 16. num. 26. Cat. 17. nu. 15. „ eumdem Spiritum, qui in veteres Justos primum, ac deinde „ in Apostolos illapsus est, in nos advenire. Sed ipsamet S. Cyrilli verba ex eo, de quo nunc agimus loco exhibeamus: (*a*) *Christi autem facti estis, dum Spiritus-Sancti* ANTITYPUM *accepistis: & omnia erga vos in imagine sunt peracta, quandoquidem Christi imagines estis. At ille quidem in Jordanis flumine ablutus, quum fragrantia divinitatis suæ effluvia aquis communicasset, ab eis adscen-*

(*a*) Χριςοὶ δὲ γεγόνατε, τῦ ἁγίε Πνεύματος τὸ ἀντίτυπον δεξάμενοι· καὶ πάντα εἰκονικῶς ἐφ' ὑμῶν γεγένηται, ἐπειδὴ ἐςὲ Χριςῦ. Κἀκεῖνος μὲν ἐν Ἰορδάνῃ λυσάμενος ποταμῷ, καὶ τῶν χρωτῶν τῆς θεότητος μεταδοὺς τοῖς ὕδασιν, ἀνέβαινεν ἐκ τέτων· καὶ

adscendit, Sanctique Spiritus substantialis in eum illapsus factus est, simili super similem requiescente: Vobis quoque similiter, postquam ex Sacrorum laticum piscina adscendistis, datum est Chrisma, illius ANTITYPUM, *quo unctus est Christus, quod est nimirum Spiritus-Sanctus*. Atqui materiale ac sensibus subjectus Sancti Spiritus in animam sese infundentis *Antitypum*, unum est e Novæ Legis Sacramentis: Chrisma igitur seu Chrismatio, de qua S. Cyrillus loquitur, inter Novi Fœderis Sacramenta numeranda est. Nam si mera Baptismi ceremonia esset, & nihil ad Confirmationem pertineret, Spiritus-Sancti post peractum Baptismum in animam descendentis *Antitypum* minime diceretur: quum posterior iste Divini Spiritus in jam baptizatos inlapsus, proprius sit ac peculiaris Sacramenti Confirmationis effectus.

Num. II. eleganter Sacram unctionem cum Baptismo comparat. Nam quemadmodum Christus ἀληθῶς *vere* Crucifixus est, & sepultus, & resurrexit; nos autem per baptismum, passionis ejus & sepulturæ ac resurrectionis typum & imaginem, his Christi mysteriis in Spiritu communicamus: ita Christus οὐσιωδῶς *substantialiter*, seu κατ' ἀλήθειαν, *secundum veritatem* (*), Sancto Spiritu unctus est; nos autem per Sacrum Chrisma, Sancti Spiritus, Antitypum & figuram, ejusdem Sacræ unctionis, qua Christus delibutus est, participes & consortes efficimur: (*a*) *Ac quemadmodum Christus vere Crucifixus est, sepultus, & resurrexit: vobis autem in baptismate per quamdam similitudinem una cum ipso crucifigi, & sepeliri, & resurgere divina dignatione conceditur: ita & de Chrismate contingit. Ille intelligibili exsultationis oleo perunctus est, id est, Spiritu-Sancto; qui exultationis oleum idcirco appellatur, quod ipse Spiritualis exsultationis auctor exsistat: vos vero un-*

Πνεύματος ἁγίυ ὀυσιώδης ἐπιφοίτησις αὐτῷ ἐγένετο. τῷ ὁμοίῳ ἐπαναπαυομένυ τῦ ὁμοίυ. Καὶ ὑμῖν ὁμοίως ἀναβεβηκόσιν ἀπὸ τῆς κολυμβήθρας τῶν ἱερῶν ναμάτων, ἐδόθη χρῖσμα, τὸ ἀντίτυπον ὃ ἐχρίσθη Χριςός. τῦτο δέ ἐςὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα.

(*) Vid. Toutée in Not. num. I.

(*a*) Καὶ ὥσπερ ὁ Χριςὸς ἀληθῶς ἐςαυρῶθη, καὶ ἐθάπτετο, καὶ ἠγέρθη· ὑμᾶς δὲ κατὰ τὸ βάπτισμα, ἐν ὁμοιώματι καὶ συςαυρωθῆναι, καὶ συνταφῆναι, καὶ συναναςῆναι αὐτῷ κατηξιώθε· οὕτω καὶ ἐπὶ τῦ χρίσματος. ἐκεῖνος ἐλαίῳ νοητῷ ἀγαλλιάσεως ἐχρίετο, τῦτ' ἔςι Πνεύματι ἁγίῳ, ἀγαλλιάσεως καλυμένῳ ἐλαίῳ, διὰ τὸ αἴτιον αὐτὸ τῆς πνευματικῆς τυγχάνειν ἀγαλλιάσεως· ὑμᾶς δὲ μύρῳ ἐχρίσθητε, κοινωνοὶ καὶ μέτοχοι τῦ Χριςῦ γενόμενοι.

unguento uncti estis, Christi participes & consortes effecti. Atqui puram putamque baptismi ceremoniam cum ipso baptismo neutiquam comparasset, neque similem aut parem huic & illi virtutem tribuisset. Præterea rogo Adversarios, annon signum sensibile, quo post baptismum Spiritu Christi replemur, quemadmodum per ipsum baptismum Christi commortui sumus & consepulti; rogo, inquam, annon hoc signum sensibile sit ipsummet Confirmationis Sacramentum? Nonne hac analogia baptismus & Confirmatio invicem ab antiquis Patribus comparantur? nempe quod in baptismo peccatis morimur, & cum Christo resurgimus; sed in Confirmatione Spiritu-Sancto replemur?

Sed quod magis mirandum, cum ipsamet Eucharistia nu. III. Sacrum unguentum Cyrillus confert, quo post baptismum Neophyti perliniuntur: (*a*) *Ceterum vide, ne nudum & vile suspiceris unguentum hoc esse. Nam sicut panis Eucharistiæ, post invocationem Sancti-Spiritus, non est communis panis, sed Corpus Christi: ita & Sanctum istud unguentum, non amplius nudum, neque si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem; sed Christi donarium, & Spiritus-Sancti, præsentia Divinitatis ejus, efficiens factum. Quod quidem symbolice fronti, aliisque sensibus tuis inlinitur. Ac dum unguento visibili inungitur Corpus, Sancto & vivifico Spiritu anima sanctificatur*. Hoc S. Cyrilli loco abuti Sacramentarios, ut realem Corporis Christi in Sacramento præsentiam evertant, manifestum est: qui tamen si propius oculos admovissent, hæc S. Doctoris verba silentio præterire satius habuissent; quum iis & Catholicum dogma invictissime adstruatur, & eorum profanus error penitus profligetur. Non enim sicut Eucharisticum panem ipsummet esse Christi Corpus adfirmat; ita Sacrum unguentum post invocationem ipsum esse docet Spiritum-Sanctum; sed Christi donum, & Sancti-Spiritus, ob

(*a*) Ἀλλ᾽ ὅρα μὴ ὑπονοήσῃς ἐκεῖνο τὸ μύρον ψιλὸν εἶναι· ὥσπερ γὰρ ὁ ἄρτος τῆς Εὐχαριστίας, μετὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, οὐκ ἔτι ἄρτος λιτὸς, ἀλλὰ σῶμα Χριστοῦ· οὕτω καὶ τὸ ἅγιον τοῦτο μύρον, οὐκ ἔτι ψιλὸν, οὐδ᾽ ὡς ἂν εἴποι τις κοινὸν μετ᾽ ἐπίκλησιν· ἀλλὰ Χριστοῦ χάρισμα, καὶ Πνεύματος ἁγίου, παρουσίᾳ τῆς αὐτοῦ θεότητος ἐνεργητικὸν γινόμενον. ὅπερ συμβολικῶς ἐπὶ μετώπου, καὶ τῶν ἄλλων σου χρίεται αἰσθητηρίων. Καὶ τῷ μὲν φαινομένῳ μύρῳ τὸ σῶμα χρίεται, τῷ δὲ ἁγίῳ καὶ ζωοποιῷ Πνεύματι ἡ ψυχὴ ἁγιάζεται.

ob præsentiam Divinitatis ejus, ἐνεργητικὸν, activum & efficax instrumentum: quum tamen Eucharistiam non Christi Corporis efficientiam, sed Christi Corpus appellet. Est igitur a D. Cyrillo inter panem Eucharisticum & unguentum in eo posita comparatio, quod neutrum post benedictionem ut commune aliquid habendum est, sed Sanctitate plenum & divina virtute præditum; atque ut Eucharistiam Corporis Christi, ita unguentum Sancti-Spiritus ad sanctificandas animas nostras efficax esse instrumentum, tenendum est.

Num. IV. mysticas rationes exponit, ob quas frons, & aures, & nares, & pectus Sacro unguento perungerentur; præsertim autem quæ habet de unctione pectoris, heic nobis observanda sunt: (*a*) *Tum vero & pectus peruncti estis, ut induentes thoracem justitiæ, staretis adversus insidias Diaboli. Nam velut Christus post baptismum, & Sancti-Spiritus in se adventum, egressus debellavit Adversarium: ita & vos post Sacrum baptisma, & mysticum unguentum, induti totam Sancti-Spiritus armaturam, adversus oppositam potestatem consistitis, eamque debellatis ajentes:* „ Omnia „ possum in eo, qui me corroborat, Christo. Nonne hunc esse omnes fatemur præcipuum Sacramenti Confirmationis effectum? Quod si Sacram unctionem ejusmodi virtute præditam meram esse dixerimus baptismi ceremoniam, quibus tandem argumentis quibusve testimoniis Confirmationem Sacramentorum Novæ Legis numero adjungemus?

Num. V. per eamdem Sacram unctionem consequi nos docet, ut κυρίως, *proprie*, & secundum perfectam rationem Christianorum nomine digni habeamur, sive, ut loquitur Theodulphus Aurelianensis (*b*), *Christiani nominis prærogativam accipiamus*. Quam Christianæ vitæ & nominis perfectionem, consummationem, τελείωσιν per Sacramentum Confirmationis baptizatis.

(*a*) Μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὰ ςήθη· ἵνα ἐνδυσάμενοι τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης, ςῆτε πρὸς τὰς μεθοδείας τοῦ διαβόλου. ὥσπερ γὰρ ὁ Χριςὸς μετὰ τὸ βάπτισμα καὶ τὴν τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπιφοίτησιν ἐξελθὼν καταγωνίζεται τὸν ἀντικείμενον· οὕτω καὶ ὑμεῖς μετὰ τὸ ἱερὸν βάπτισμα καὶ τὸ μυςικὸν χρίσμα, ἐνδεδυμένοι τὴν πανοπλίαν τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἵςασθε πρὸς τὴν ἀντικειμένην δύναμιν, καὶ ταύτην καταγωνίζεσθε λέγοντες· Πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριςῷ.

(*b*) Lib. de Ord. Baptismi cap. XV.

tis adjungi, communis veterum Patrum, & Ecclesiæ Catholicæ traditio docet: (*a*) *Hoc Sancto Chrismate digni habiti, vocamini Christiani, veritatem quoque nominis hujus per regenerationem adsequentes. Prius enim quam hæc vobis gratia conlata esset, eo nomine proprie digni non eratis, sed eo contendebatis, ut essetis Christiani.*

Num. VI. Christianorum unctionem Cyrillus comparat cum unctionibus Sacerdotum & Regum in veteri Testamento: quas nostri Chrismatis meras fuisse figuras adseverat; quod nimirum juxta Apostolum nil aliud fuerint quam vacua & egena elementa: nos autem Chrismate delibuti, ὁ τυπικῶς, *non in figura*; ἀλλ' ἀληθῶς, *sed in veritate*, Sancto Spiritu perungamur: (*b*) *Nosse autem vos oportet, Chrismatis hujus in veteri Scriptura Symbolum extare. Quando enim Moses divinum cum fratre communicavit mandatum, summum eum Sacerdotem constituens; ablutum aqua perunxit: vocatusque est Christus, ab Chrismate videlicet figurativo. Sic & Salomonem Summus Pontifex, in regem promovens, unxit eum, postquam lavisset in Gihon. At hæc in figura contingebant illis: vobis autem non secundum figuram, sed in veritate; siquidem à Spiritu-Sancto vere inuncti estis.*

Tandem num. VII. Neophytos hortatur, ut (*c*) Chrisma *incontaminatum custodiant. Est enim,* inquit, *hoc* Chrisma *Sanctum, Spiritualis Corporis amuletum, & animæ salutare præsidium.* De quo & illud Isaiæ intelligendum esse pronuntiat: „ Et faciet „ Dominus omnibus Gentibus in monte hoc: bibent vinum, „ bi-

---

(*a*) Τούτου τοῦ ἁγίου χρίσματος καταξιωθέντες, καλεῖσθε χριστιανοὶ, ἐπαληθεύοντες τῇ ἀναγεννήσει καὶ τὸ ὄνομα. πρὸ γὰρ τοῦ καταξιωθῆναι ὑμᾶς ταύτης τῆς χάριτος, ταύτης τῆς προσηγορίας κυρίως οὐκ ἦτε, ἀλλ' ὁδεύοντες προεβαίνετε εἰς τὸ εἶναι χριστιανοί.

(*b*) Εἰδέναι δὲ ὑμᾶς ἀναγκαῖον, ὅτι τοῦ χρίσματος τούτου ἐν παλαιᾷ γραφῇ τὸ σύμβολον κεῖται. ὅτε γὰρ ὁ τηνίκα τὸ τοῦ Θεοῦ πρόσταγμα Μωσῆς τῷ ἀδελφῷ μετεδίδου, ἀρχιερέα καθιστῶν τοῦτον· μετὰ τὸ ἐν ὕδατι λούσασθαι, ἔχρισεν· καὶ ἐκαλεῖτο Χριστὸς, ἐκ τοῦ χρίσματος δηλαδὴ τοῦ τυπικοῦ. οὕτω καὶ τὸν Σολομῶνα προάγων εἰς βασιλέα, ἔχρισεν αὐτὸν, μετὰ τὸ λούσασθαι ἐν τῷ Γιὼν, ὁ ἀρχιερεύς. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐκείνοις συνέβαινε τυπικῶς, ὑμῖν δὲ οὐ τυπικῶς, ἀλλ' ἀληθῶς· ἐπειδὴ ἀπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐχρίσθε ἀληθῶς.

(*c*) Τοῦτο φυλάξατε ἄσπιλον ...... ἔστι γὰρ τοῦτο τὸ ἅγιον, πνευματικὸν σώματος φυλακτήριον, καὶ ψυχῆς σωτήριον. τοῦτο ἐκ παλαιῶν χρόνων ὁ μακάριος Ἡσαΐας προφητεύων ἔλεγε· Καὶ ποιήσει Κύριος πᾶσιν ἔθνεσιν ἐπὶ τὸ ὄρος τοῦτο ...... πίονται οἶνον, πίονται εὐφροσύνην, χρίσονται μύρον.

„ bibent lætitiam , ungentur oleo &c. An ſimplicem baptiſmi ceremoniam tot præconiis exornaſſet? An ejus exponendis myſteriis , perinde atque Baptiſmo & Euchariſtiæ, Catecheſin integram impendiſſet? Ad hæc, rogo Adverſarios, quibuſnam aliis verbis Sacramentum Confirmationis deſcribere potuiſſet? Spiritus-Sancti, & interioris unctionis figuram & Antitypum vocat: ejus virtutem cum baptiſmi virtute comparat, & ipſiuſmet Euchariſtiæ: per eum armari nos & indui Spiritu-Sancto ad robur , & ad reſiſtendum Diabolo , ejuſque adſultus frangendos : Chriſtiani nominis perfectionem per ipſum nobis communicari: Veteres unctiones meras fuiſſe figuras; per hanc autem nos Spiritu-Sancto *in veritate* repleri . An nos aliquid amplius de Sacramento Confirmationis veteres Patres, & Eccleſia Catholica docuerunt.

Laudatum Iſaiæ locum ante Cyrillum de Sacramento Altaris, & Chriſmate Euſebius Cæſarienſis fuerat interpretatus: (*a*) „ Bibent, *inquit*, lætitiam, bibent vinum . . . . . ungentur un- „ guento in monte hoc . Trade omnia hæc Gentibus : Conſilium enim hoc ſuper omnes Gentes . *Horum porro imagines & Symbola in* MYSTERIIS *Novi Teſtamenti per myſticum Chriſma, & ſalutarem Sanguinem nobis tradidit Evangelicus ſermo; ut in his probati, etiam meliorum participes ſimus: etenim Iſraël his dignus non eſt. Quemadmodum autem quis depoſitum cum menſura tradit* ; *ſic* , inquit , *myſticum de prædictis rebus ſermonem trade omnibus Gentibus: nam hoc conſilium ſuper omnes Gentes eſt*. Cum Chriſti Sanguine Sacrum Chriſma Novi Teſtamenti myſteriis , id eſt , Sacramentis adcenſet: & hujus uſum , perinde ac Chriſti Sangui-

nis,

(*a*) „ Πίονται φησὶν , εὐφροσύνην , πίονται οἶνον . . . . . χρίσονται „ μύρον ἐν τῷ ὄρει . παράδος ταῦτα πάντα τοῖς ἔθνεσιν · ἡ γὰρ βουλὴ αὕτη „ ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη . τούτων δὲ εἰκόνας ἡμῖν καὶ σύμβολα ἐν τοῖς μυστηρίοις τῆς καινῆς διαθήκης διὰ τοῦ μυστικοῦ χρίσματος καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος ὁ εὐαγγελικὸς παραδέδωκε λόγος · ἵνα ἐν αὐτοῖς δοκιμασθέντες , καὶ τῶν κρειττόνων μεταλάβωμεν · ὁ γὰρ Ἰσραὴλ οὐκ ἄξιος τούτων . ὥσπερ δέ τις παρακαταθήκην ἐν μέτρῳ παραδίδωσι , οὕτω φησὶ τὸν περὶ τῶν λεχθέντων μυστικὸν λόγον παράδος πᾶσι τοῖς ἔθνεσι · καὶ γὰρ βουλὴ αὕτη ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη .

nis, futurum in omnibus Gentibus, Prophetam esse vaticinatum, manifesto docet.

Similia habet in eumdem Isaiæ locum S. Cyrillus Alex. (*a*) *Per vinum autem mysticam benedictionem, & incruentæ hostiæ modum significat, quam in Sacris Ecclesiis consuevimus administrare. Unguentum nobis perpulchre Sancti-Spiritus unctionem designat. Scribit enim sapiens Johannes*: Et vos unctionem habetis à Sancto illo: neque opus habetis, ut quis doceat vos, at sicut unctio docet vos. *De omnibus enim inuncti sumus unguento, maxime Sacrosancti baptismatis tempore* SYMBOLUM ACCIPIENDI SANCTI SPIRITUS, *unctionem facientes*. Atqui Confirmationis Sacramentum nihil est aliud quam efficax accipiendi Sancti-Spiritus Symbolum; ergo unguentum, quod Sancti-Spiritus unctionem designat, & accipiendi Spiritus-Sancti Symbolum dicitur, Sacramenti Confirmationis potissimam esse partem, tenendum est. Nec minus luculenter ad illa verba Johelis: „ Et replebuntur areæ tritico, & redundabunt torcularia vino & oleo; eamdem oleo confirmatorio vim Sanctificandi tribuit, quam aquæ baptismali, & pani Eucharistico: (*b*) *Sciendum præterea, etiam secundum mysticum eventum promissionem veram esse: data est nobis ceu pluvia, aqua Sacri baptismatis, & tamquam in frumento panis vivus, & tamquam in vino Sanguis. Accessit item usus olei, qui per Sacrum baptisma in Christo, justificatis ad consummationem confert*. In Christo autem justificatis consummationem conferre, proprium

(*a*) Διὰ δέ γε τοῦ οἴνου τὴν μυστικὴν εὐλογίαν ὑποδηλοῖ, καὶ τῆς ἀναιμάκτου θυσίας τὸν τρόπον, ἣν ταῖς ἐκκλησίαις ἀποπληροῦν εἰθίσμεθα. Τὸ δέ γε μύρον ἡμῖν κατασημαίνει καὶ μάλα τὴν τοῦ ἁγίου Πνεύματος χρίσιν. γράφει γὰρ ὁ σοφὸς Ἰωάννης, καὶ ὑμεῖς ἔχετε ἀπὸ τοῦ ἁγίου, καὶ οὐ χρείαν ἔχετε, ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς, ἀλλ' ὡς τὸ αὐτοῦ χρίσμα διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων. κατεχριόμεθα γὰρ μύρῳ κατὰ τὸν καιρὸν μάλιστα τοῦ ἁγίου βαπτίσματος σύμβολον τοῦ μεταλαχεῖν ἁγίου Πνεύματος τὸ χρῖσμα ποιούμενοι. In Isaiam lib. III.

(*b*) Ἰστέον δέ, ὅτι καὶ κατὰ τὸν τρόπον τῆς μυστικῆς πληρώσεως ἀληθὴς ἡ ὑπόσχεσις. δέδοται γὰρ ἡμῖν ὡς ἐν ὑετῷ τὸ ὕδωρ τὸ ζῶν τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, ὡς δ' ἐν σίτῳ ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, καὶ ὡς ἐν οἴνῳ τὸ αἷμα. προσπεπόρισται δὲ καὶ ἡ τοῦ ἐλαίου χρῆσις συντελοῦσα πρὸς τελείωσιν τοῖς δικαιουμένοις ἐν Χριστῷ διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος.

prium esse docemur ac peculiare Sacramenti Confirmationis munus: ergo aut in Sacra unctione posita est hujusce Sacramenti substantia, aut ex ea velut una ex primariis ejus partibus constat.

Neque minus magnifice de Sancto Chrismate sentit ac loquitur S. Cyrillo æqualis Theodoritus in Notis ad I. Cantici Canticor. v. 3. ubi enarrans hæc verba, unguentum effusum nomen tibi, ait: (*a*) *Quod si magis etiam mystice vis intelligere, reminiscere Sacræ mystagogiæ, in qua qui initiantur, post Tyranni abnegationem, & regis confessionem, velut sigillum quoddam regium suscipiunt Spiritualis unguenti Chrisma; unguento veluti in typo invisibilem Sanctissimi Spiritus gratiam recipientes.* „ Tanta efficacia, quam huic unguento tribuit „ non finit, *inquit Petrus de Marca* „ (*b*) ut locum istum de oleo ante Baptismum adhibito inter- „ pretemur. Neque enim gratia spiritus-Sancti ante Baptismum „ dare dicebatur per olei illius ministerium. Quibus addo, unctionem, quæ baptismum præcedit, apud Grecos non τῷ μύρῳ, unguento fuisse peractam, sed ἐλαίῳ, simplici *oleo*; quomodo constanter appellatur, ut in alio capite ostendam, primæ unctionis materia; quum ea, quæ baptismum subsequitur, μύρον *unguentum*, & χρίσμα communius appelletur. Heic autem non aliis quam τῷ μύρυ & χρίσματος vocibus utitur Theodoritus. Unde palam est, ipsum de unctione loqui, quæ post baptismum administratur. Hanc vero βασιλικὴν σφραγῖδα, *regium sigillum*, πνευματικὸν μύρον, *Spirituale unguentum*; & τύπον, *typum*, in quo τὴν ἀόρατον τῆ παναγίυ Πνεύματος χάριν, *invisibilem Sanctissimi Spiritus gratiam* suscipimus. Rogo autem, quibus aliis verbis ipsummet Confirmationis Sacramentum describere potuisset?

III. Circa hæc tempora, idest, medio sæculo quinto, & gliscentibus Eutychianorum tumultibus, larvatum Dionysium Areopagitica elaborasse, doctissimus noster Lequienus auctor est (*a*).

(*a*) *Εἰ δὲ βύλει κὴ μυςικώτερον νοῆσαι, ἀνάμνησον σαυτὸν τῆς ἱερᾶς μυςαγωγίας, ἐν ᾗ οἱ τελύμενοι, μετὰ τὴν ἄρνησιν τῦ τυράννυ, κὴ τὴν τῦ βασιλέως ὁμολογίαν, διονεὶ σφραγῖδά τινα βασιλικὴν δέχονται, τῦ πνευματικῦ μύρυ τὸ χρίσμα, ὡς ἐν τύπῳ μύρῳ τὴν ἀόρατον τῦ παναγίυ Πνεύματος χάριν ὑποδεχόμενοι.*

(*b*) In Notis ad Concil. Claromont.

(*a*). Is autem quicumque fuit illarum lucubrationum, quas ei Magni Dionysii nomine ornare placuit, concinnator in lib. de Eccles. Hierarch. plura docet, ex quibus adparet, eum Confirmationis Sacramentum aut omnino, aut primario in Sacri unguenti unctione constituisse. Hujus enim Sacramenti ritum describens manuum impositionis non meminit, sed in solius unguenti consecratione, compositione, virtute, mysteriis, & effectibus describendis, occupatur. Quum autem Sacramenti Confirmationis sit, baptismalem gratiam perficere & consummare, & Spiritum-Sanctum baptizatis excellentiori quam in baptismo ratione conjungere; Vim hanc perfectivam atque consummativam, & novum hunc Sancti-Spiritus in animam inlapsum Sacro unguento diserte vindicat Pseudo-Dionysius. Ita enim ait cap. II. in fine (*b*) *Denique unguenti illa consummans unctio eum qui initiatur, odoris suavitate perfundit; Sacra enim divinæ generationis initiatio ea quæ initiata sunt, divino spiritui conjungit. Porro illapsum illum, qui spiritalem istam odoris suavitatem adfert, quum sit prorsus ineffabilis, spiritaliter relinquo cognoscendum iis, qui secundum mentem Sacra & deifica divini spiritus communione digni sunt habiti.* Et capite quarto, quo agit data opera de Sacramento Confirmationis, quemadmodum capp. 2. & 3. egerat de Sacramentis baptismi, & Eucharistiæ, quas esse judicaverit Sacri unguenti in hoc Sacramento partes, vel ex ipsa epigraphe satis constat; ita enim laudatum caput inscribitur: περὶ τῶν ἐν τῷ μύρῳ τελουμένων, καὶ τῶν ἐν αὐτῷ τελουμένων, *de iis, quæ in unguento fiunt, ac perficiuntur*. Deinde §. 3. ejusdem ordinis, & operationis esse docet Sacrosanctum hoc divini unguenti mysterium cum ipsomet Eucharistiæ Sacramento: (*c*) *Est igitur, ut dixi, Sacrosanctum,*

(*a*) Differt. Damascen. II. §. X.

(*b*) Ἡ δὲ τοῦ μύρου τελεστικὴ χρῖσις, εὐώδη ποιεῖ τὸν τετελεσμένον· ἡ γὰρ ἱερὰ τῆς θεογενεσίας τελείωσις, ἑνοῖ τοὺς τελεσθέντας τῷ θεαρχικῷ Πνεύματι· τὴν δὲ νοητῶς εὐωδοποιὸν καὶ τελεσιουργὸν ἐπιφοίτησιν ἀρρητοτάτην οὖσαν, ἐπιγνῶναι νοερῶς παρίημι τοῖς ἠξιωμένοις τῆς κατὰ τὸν νοῦν τοῦ θείου Πνεύματος ἱερᾶς καὶ θεουργοῦ κοινωνίας.

(*c*) Ἐςι δὲ ἄν, ὅπερ ἔφην, ἡ τοῦ ὑμνημένη παρ' ἡμῶν ἱερὰ τελετουργία, τῆς τελεστικῆς τῶν ἱεραρχικῶν τάξεως καὶ δυνάμεως διὸ καὶ ταύτην οἱ θεῖοι καθηγεμόνες ἡμῶν, ὡς ὁμόταγῆ καὶ ταυτουργὸν τῷ τῆς συνάξεως ἱερῷ τελεστηρίῳ, ταῖς αὐταῖς ἀναλόγως τὰ πολλὰ καὶ μυστικαῖς διατυπώσεσι καὶ ἱερολογίαις διετάξαντο.

Digitized by Google

ctum, quod à nobis modo laudatur, mysterium ejus ordinis atque virtutis, ut Hierarchicas consummet functiones : quocirca quoque divini Præceptores nostri, tamquam ejusdem ordinis & operationis cum Sacrosancto Synaxeos Sacramento iisdem imaginibus ut plurimum, mysticisque distinctionibus, ac Sacris verbis descripserunt. Et rursum §. XI. docet, iis qui post baptismum Sacro unguento perunguntur, communicari Spiritum-Sanctum, & hujusce Sancti-Spiritus in regeneratos inlapsus Sacram hanc unctionem caussam, ac signum seu Symbolum esse: (*a*) *Quin etiam ei qui Sanctissimo divinæ regenerationis Sacro initiatus est*, CONSUMMANS ILLA UNCTIO DIVINI SPIRITUS INLAPSUM ELARGITUR, SACRA, *uti reor* SUMBOLORUM FICTIONE HOC SUB OCULOS PONENTE, *quomodo ab ipso, qui propter nos humano more spiritu Dei principali sanctificatus, essentiali Divinitatis suæ statu invariato*, DIVINISSIMUS ILLE SPIRITUS DONETUR. Quæ majoribus characteribus descripsimus, ipsammet continent hujusce Sacramenti diffinitionem. Neque enim aptius Sacramentum Confirmationis describi potest, quam dicendo : *Symbolum esse & caussam inlapsus Spiritus-Sancti ad eos consummandos & perficiendos, qui sunt per baptismum in Christo regenerati*. Quæ quum Sacræ unctioni tam diserte laudatus Auctor adtribuat ; planum est, ex ejus mente, aut omnino aut potissimum ex Sacra unctione constare hujusce Sacramenti substantiam.

Quo porro apud Græcos tum Catholicos & Chalcedonensis fidei propugnatores, & Hæreticos Chalcedonensis Synodi hostes statim ac in lucem prodierunt, Areopagitica in pretio fuerint, non est hic locus data opera differendi ; præcipue quum spartam hanc Lequienus noster, magna exquisitæ & reconditioris eruditionis copia, laudata superius Dissertatione adornarit: Attamen operæ pretium existimo aliqua heic ex eodem doctissimo Lequieno observare, quæ ad hunc locum inlustrandum nonnihil momenti habere posse videntur. Quotquot enim Areopagitica

(*a*) *Ἀλλὰ μὴν καὶ τῷ τελεσθέντι τὴν ἱερωτάτην τῆς θεογενεσίας τελετὴν, τὴν τοῦ θεαρχικοῦ Πνεύματος ἐπιφοίτησιν, ἡ τοῦ μύρου δωρεῖται τελειωτικὴ χρῖσις ὑποτυπώσεως οἶμαι, τῆς ἱερᾶς τῶν συμβόλων εἰκονογραφίας, ὑπ' αὐτοῦ τοῦ δι' ὑμᾶς ἀνθρωποπρεπῶς τῷ θεαρχικῷ Πνεύματι καθαγιασθέντος, ἀναλλοιώτως τῆς οὐσιώδους θεότητος ἕξει τὸ θεότατον Πνεῦμα χορηγούμενον*.

gitica pro genuinis libris habuerunt, dubium non est, quin descriptos in eis ritus, & opiniones, quas personatus Auctor à divinis suis Præceptoribus se accepisse refert, pro Apostolicis existimarint. Primum itaque observo, Dionysiana quum primum lucem adspexerunt, ardentiori studio ab Hæreticis Monophysitis & Severianis excepta fuisse, quam à Catholicis. Johannes Scytopolitanus, qui primus inter Catholicos horumce Librorum γνησιότητα agnovit, & eosdem scholiis inlustravit, quæ in editis S. Maximi Confessoris & Martyris nomine inscribuntur, quibusdam succenset, qui ex Hæreticorum officina prædicta Opera prodiisse suspicabantur. Severus, qui expulso Flaviano Antiochenam sedem invasit, eamque sex ferme annis tenuit; nimirum ab anno 513. ad 518. suppositam cum aliis Libris Dionysio Areopagitæ quartam ad Cajum Epistolam veluti genuinam sæpius laudavit in suis Operibus, quæ magno sane numero in lucem emisit, ut adparet ex eorum indice tum apud Guillelmum Cave, tum apud Cl. Montfaucon. Biblioth. Coislinian. pag. 55. & seqq. sic autem scribit impius ille Acephalorum Antesignanus in fragmento Epistolæ tertiæ ad Johannem Hegumenum, quod, ut Lequienus testatur, exstat in Collectaneis contra Severianos manu exaratis cap. XXXVI. (*a*) *Nos, quemadmodum in aliis Operibus ad longum scripsimus, sapientissimi Dionysii Areopagitæ vocem illam*, sed Dei facti Viri, novam quamdam Dei-virilem operationem nobis gerens, *unam compositam naturam indicare intelleximus, atque intelligimus &c.* Anno deinde 532. in celebri Collatione Constantinopoli Catholicis habita cum Acephalis, Dionysium Areopagitam in erroris sui patrocinium cum aliis Patribus in medium Hæretici produxerunt; Catholicis contra in suppositionis suspicionem vocantibus inscriptas ejus nomine lucubrationes. Quum itaque Monophysitæ Areopagitica tanti fecerint, & legitimum eorum parentem fuisse Dionysium Paulli discipulum, & primum Atheniensium Episcopum nul-

(*a*) *Ἡμᾶς, καθὼς ἤδη φθάσαντες ἐν ἄλλοις διὰ πλάτους γεγραφήκαμεν, τὴν φωνὴν τοῦ πανσόφου Διονυσίου τοῦ Ἀρεοπαγίτου, τὴν λέγουσαν, ἀλλ᾽ ἀνδρωθέντος Θεοῦ καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος, μίαν ἐνοήσαμεν σύνθετον φύσιν, καὶ νοοῦμεν.*

nullatenus dubitaverint: fieri non posse videtur, ut quæ ipse tradit veluti ab Apostolis accepta Christianæ Religionis dogmata & instituta, summo studio, quoad præcipua saltem eorum capita, non adoptarint. Petrus Cnapheus seu Fullo, qui pluribus annis ante Severum in Ecclesia Antiochena tyrannidem exercuerat, sæpius ex ea deturbatus, & sæpius in eamdem intrusus, haud inanis forsitan conjectura est, quod non aliam quam horum Librorum auctoritate, instituerit, tum ut Symbolum fidei in omni synaxi recitaretur, *κ̓ ἐν πάσῃ συνάξει τὸ σύμβολον λέγεσθαι*. Tum ut Sanctum unguentum seu Chrisma palam in Ecclesia, adstante populo, intra Missarum Sollennia sacraretur, *τὸ μύρον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐπὶ παντὸς λαοῦ ἁγιάζεσθαι*, inquit Theodorus Lector in Excerptis, ubi utrumque hunc ritum ad Petrum Cnapheum, velut ad Auctorem refert; quibus tamen pro more Dionysiaster, de Eccles. Hierarch. capp. 2. & 3., Apostolicam vindicat institutionem. Jacobitæ, qui ex Severianis & Monophysitis per totum Orientem propagati sunt, Dionysiana perinde pro genuinis habent, & ipsorum Auctorem tamquam Virum Apostolicum plurimi faciunt. Singularem Liturgiam ejus nomine composuerunt, quæ exstat apud Cl. Renaudotium Tom. II. Collection. Litrugiarum Orientalium, qui etiam in Notis testatur, quod in variis Collectaneis sententiarum ex antiquis Patribus, quæ Jacobitæ in opinionis suæ defensionem adornarunt, exstant nonnullæ ex Areopagiticis: & quod ea ratione Dionysius inter Ecclesiæ Doctores frequenter in Diptychis numeratur. Quum igitur de Sacro unguento tam magnifice senserit, ac locutus fuerit Dionysiaster, atque illud ex divinorum Præceptorum, hoc est ipsorum Apostolorum traditione, in eodem cum Eucharistia ordine conlocaverit; conjicere inde non sine fundamento possumus; Monophysitas & Jacobitas, qui Dionysiana ut fœtum Viri Apostolici exosculabantur, paria de ejusdem Sacri unguenti dignitate atque virtute sensisse.

IV. Sed quid conjecturas sequimur, quum perspicua luculentaque exstent hujusce rei in publicis eorum monumentis documenta? Quid Severus Patriarcha Antiochenus sectæ princeps hac de re scripserit lib. de ritibus Baptismi, qui ut testatur Cl. Re-

Renaudotius (a) apud Syros vulgo usurpatur, capite sequenti videbimus. Nunc aliis non minoris auctoritatis documentis utamur, cujusmodi sunt quæ nobis ex aliquot eorum Liturgiis suppeditantur. In ea quæ Philoxeno Mabugensi seu Hieropolitano Episcopo tribuitur, hæc leguntur, ex quibus adparet, Jacobitas, apud quos celeberrimum est Philoxeni nomen, Sancti Chrismatis unctionem in eodem cum Baptismo & Eucharistia ordine conlocare: *Et propter banc dispensationem tuam salutarem, Sacrificium hoc offerimus tibi; vocibusque gementibus & suspiriis deprecamur, ut non facias nos partem ignis illius ardentis*, QUIA CHRISMA TUUM SANCTUM SIGNATUM IN NOBIS EST: *neque cruciandos nos tradas in flamma illa flagrantissima, quia* SIGILLO CRUCIS TUÆ VIVIFICANTIS OBSIGNATI SUMUS. *Neque dominetur vermis stridens dentibus in membra nostra*, QUIA CORPUS TUUM SANCTUM CONDITUM IN NOBIS EST. *Non illam vocem terribilem nobis pronuncies*, Discedite à me maledicti, non novi vos, *quia fratres tuos vocasti, & appellasti nos*, EX AQUA BAPTISMI. In quæ verba hæc observat rituum Orientalium callentissimus Renaudotius: „ Myron vox Græca est usus Ecclesiastici, quam Syri, Arabes, & Orientales reliqui „ suam fecerunt, ad significandum Chrisma, quo baptizati in „ fronte signantur. Præcipue vero apud Orientis Ecclesias ea „ voce significatur Sacramentum Confirmationis, ut in Latina „ appellatur. Cum vero simul administrari cum Baptismate soleat per totum Orientem, ut olim in Occidente mos fuit „ quando Episcopus aderat, multi temere Græcos & reliquos „ Oriantales Christianos, Confirmationem agnoscere tanquam „ Novæ Legis Sacramentum, negaverunt; eo magis quod à „ Presbyteris apud illos administratur, non ut apud nos, à solis Episcopis. Quam inanis esset illa accusatio, alibi probavimus (b): & ex Liturgiæ loco satis intelligi potest, quam religiose de Myro, seu Confirmatione, quæ idem est, Jacobitæ „ sentiant, quorum ea in parte eadem est ac reliquorum Orientalium Christianorum fides & doctrina. Comparant enim illud

(a) To. II. Liturgiar. Orient. in Notis ad Severi Liturg. nu. 1.
(b) Perpet. Tom. 5. lib. 2. c. 9. 11, & cet.

„ lud cum baptismo, & Eucharistia, quæ duo Sacramenta agnoscere illos, nemo dubitat. Orant quippe, ut igni æterno non tradantur: quia signati sunt Chrismate, donumque Spiritus-Sancti acceperunt; nam in consignatione dicitur, *sigillum doni Spiritus-Sancti*, ut apud Græcos: tum quia Eucharistiam acceperunt, quod exprimunt, ita ut metaphoræ locus nullus sit, cum dicunt, Corpus Christi conditum & depositum fuisse in nobis: tum quia per Baptismum regenerati sunt. Agnoscunt igitur gratiam, ut vulgo dicitur, Sacramentalem in Chrismatis unctione, non minus quam in baptismo, & Eucharistia, atque adeo illud Sacramentum esse confitentur.

Huc etiam optime faciunt B., ut vocant, Jacobi Interpretis Episcopi Edesseni verba in Liturgia, quæ ex ejus nomine inscribitur: *Non tegant peccata nostra* SIGILLUM CHRISMATIS TUI SANCTI; *neque spoliemur per insipientias nostras baptismo tuo divino*. Ubi non solum Chrismatis unctionem cum baptismo confert, & in eodem ordine ac censu habet; sed etiam utrumque Sacramentum manifeste distinguit; sigillumque Chrismatis, a veste baptismatis, qua Christum induimus, aliud esse declarat. Denique sigilli nomine, id quod nos Characterem appellamus, hunc Auctorem intelligere, perspicuum est. Non enim veretur, & orat; ne peccata nostra sigillum Sancti Chrismatis deleant; quomodo rogat; ne per insipientias nostras baptismo, hoc est stola innocentiæ, quam in baptismo induimus, exuamur; sed ne tegant & obscurent: qua loquendi ratione sigillum hoc esse indelebile insinuat: adeoque unctioni Chrismatis tribuit, quidquid nos Latini Confirmationis Sacramento tribuimus. Vid. Renaudot. ibid. in Notis.

Quomodo Jacobus Edessenus Chrismationem cum baptismo contulit; ita Ignatius Antiochenus Jacobitarum Patriarcha cum Christi Corporis & Sanguinis Sacramento in Liturgia sua comparavit: *Ne devoret ignis eos, qui comederunt Corpus tuum Sanctum: sitis non excruciet eos, qui biberunt Sanguinem tuum pretiosum: Nec flamma tangat corpora* SIGNATA CHRISMATE TUO VENERANDO ET SANCTO. „ Cum dicitur (*inquit Cl. Renaudotius in Notis*) *ne flamma tangat &c.* perspicuam probatio-

 nem

„ nem Auctor subministrat doctrinæ Orthodoxæ de Sacramento Confirmationis: ut notavimus ad aliam Liturgiam. Hæc „ enim verba significant characterem Christi cum signo Crucis „ ex Chrismate impressum, gratiamque Sacramentalem.

Nestoriani quoque latissime per Orientem propagati Chrismatis usum in Sacramento Confirmationis retinuerunt; & ad Sacram unctionem vim sanctificandi, & Sancti Spiritus adventum referre potissimum consueverunt. Audiendus hac de re laudatus Renaudotius ad hæc verba Liturgiæ, quæ Nestorii nomen in epigraphe habet: *Mundavit nos & expiavit nos per baptismum aquæ Sanctæ, & sanctificavit nos gratia sua per donum Spiritus-Sancti*. „ In his, *inquit*, verbis extat luculentum Nestorianæ Ecclesiæ de Confirmationis Sacramento testimonium, „ dum agnoscitur gratia sanctificans per donum Spiritus-Sancti. Cum enim de baptismo prius dictum sit, *expiavit nos per* „ *baptismum aquæ sanctæ*: donum Spiritus Sancti ad Myron seu „ Chrisma referendum est, quod ut apud Græcos confertur dicendo: *signaculum doni Spiritus-Sancti*; ita Nestoriano ritu per „ hæc verba: *Pignus Spiritus-Sancti*, ut discimus ex Ordine „ baptismatis Syriaco Mar Jechuaïab Catholici, quem habemus „ descriptum ex Codice Eliæ Sacerdotis. Neque mirum, Nestorianos hac in re cum Jacobitis, & utrosque cum Orthodoxis convenire. Quamvis enim in iis, quæ pertinent ad Mysterium Incarnationis, in varias abierint sectas & opiniones; ritus tamen quibus Majores eorum fuerant in Ecclesiæ sinu innutriti, & quos secum, dum ab ea deficerent, abstulerunt, incorruptos & integros, quoad præcipua saltem eorum capita, cujusmodi sunt quæ ad materias spectant & formas Sacramentorum, incorruptos, inquam, & integros adhuc servant: Et eodem ferme omnes Orientales Ecclesiæ in conficiendis consecrandisve Sacramentis ritu atque ordine utuntur.

Maronitæ quoque in Epist. ad Leonem X. To. 14. Concilior. Labbeanæ edit. manuum impositionem silentio prætereunt, & solum unguento, cujus ibi compositionem & benedictionis ritum adcurate exponunt, gratiam Confirmationis adscribunt: *Oleum Sacrosancti Chrismatis, quod cum Sancto baptismate liberat à pericula ..... hoc modo facimus &c.*

V.

Digitized by Google

V. Sed ad Græcos revertamur, & institutam ex eorum Auctoribus probationem prosequamur. Johannem Scythopolitanum, ardentissimum Christianæ doctrinæ sæculo quinto labente & sexto ineunte adversus Monophysitas, & Nestorianos propugnatorem, melioris saltem partis scholiorum Græcorum in Pseudo-Dionysium auctorem esse, quamlibet Sancto Maximo omnia nullo discrimine tribui vulgo soleant, optimis conjecturis Lequienus Noster ostendit. Hic itaque religioni sibi duxisset iis opinionibus refragari, quas Auctor, quem illustrandum susceperat, pro Apostolicis institutionibus & traditionibus venditat, cujusmodi sunt quæ ad usum Sacri Chrismatis pertinent. Idemque argumentum fieri potest de omnibus tum Græcis tum Latinis Scriptoribus, qui per decem sæculorum decursum Areopagitica ut fœtum Apostolicum susceperunt. Hos enim verosimile non est, ut meram Captismi ceremoniam habuisse ritum, cujus mysteria, perinde atque baptismi & Eucharistiæ Sacramenta; speciali capite exponit; quem ex Apostolorum doctrina & traditione ad eumdem cum Baptismo & Eucharistia ordinem evehit; in quo denique sitam esse docet baptizati hominis perfectionem, & Christianæ vitæ consummationem.

S. Johannes Damascenus lib. IV. Fid. Orthod. cap. IX. de unctione, quæ post baptismum peragitur, intelligendus mihi videtur, quum ait: (*a*) *Oleum idcirco ad baptismum adhibetur, quia unctionem nostram significat, nosque Christos facit, insuper Dei misericordiam per Spiritum-Sanctum nobis pollicetur. Nam & Columba illis, qui incolumes e diluvio evaserunt, oleæ ramum præter omnem spem olim adtulit.* Hæc, inquam, verba de unctione, quæ statim post baptismum Neophytorum frontibus apud Græcos adlinitur, intelligenda mihi videntur. Tum quia sermonis & contextus series id exigit; nam de Baptismo antea disseruerat. Tum etiam quia propositum ipsi fuisse videtur, de his tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia conjunctim age-

(*a*) *Τὸ ἔλαιον βαπτίσματι παραλαμβάνεται, μηνύον τὴν χρῖσιν ἡμῶν, καὶ Χριστοὺς ἡμᾶς ἐργαζόμενον, καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ ἡμῖν ἐπαγγελλόμενον διὰ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἔλεον, ἐπεὶ καὶ κάρφος ἐλαίας τοῖς ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ περισωθεῖσιν ἡ περιστερὰ κεκόμικεν.*

agere, quæ olim conjunctim administrabantur. Tum denique, quia in pauca contrahit quæ de Sacri unguenti præstantia, Catechesi superius laudata, S. Cyrillus Hierosolymitanus uberius disputavit: quod Sacra hæc unctio interioris unctionis imaginem gerat; quod per eam participes effecti Christi, ut S. Cyrillus loquitur, Christi non immerito appellemur; quod per eam Sancto & vivifico Spiritu repleamur; quod hujus unctionis figura in ea Columba præcesserit, quæ ramum virentis oleæ post diluvium adtulit: scimus autem diluvio comparatum à Patribus fuisse baptismum, Columbæ Spiritum-Sanctum post baptismum ad homines advolantem, & ramo virentis oleæ unctionem quæ Neophytis adhibetur; neque refert, quod ἐλαίῳ *olei*, non μύρῳ *unguenti* voce usus fuerit. Nam & laudatus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi vigesima secunda numero septimo de hoc Sacramento loquens eadem voce usus est: (*a*) *Oleo caput tuum impinguavit in fronte, per signaculum quod habes Dei, ut efficiaris effigies signaculi, Sanctificatio Dei.* Quod nempe oleo maximam partem constiterit Sacri hujusce unguenti compositio. Per solam itaque unctionis ceremoniam Confirmationis Sacramentum S. Johannes Damascenus describit, atque uni unctioni, manuum impositione prætermissa, mirabiles ejusdem Sacramenti effectus adscribit.

Idem, sive alius Auctor Commentariorum in Epistolas Paulli à Cl. Lequieno inter Damasceni Opera editus in cap. 1. ad Ephes. Chrisma vocat (*b*) *signaculum, quo fides munitur, quodque Christi similitudo est, ob Spiritus participationem*. Nempe ut doctissimus Toutée animadvertit, ad illum Cyrilli locum adludit: (*c*) *Christi autem facti estis, dum Spiritus-Sancti Antitypum accepistis*. Per unguentum Christos nos effici docet, & Christi consortes & imagines, quoniam unguentum Sancti Spiritus Antitypum est: Sanctus autem ipse Spiritus Christi in se ipso naturam habet: Unde qui per Sacram unctionem Spiritus-Sancti par-

(*a*) Ἐλαίῳ ἔλιπανέ σου τὴν κεφαλὴν ἐπὶ μετώπου, διὰ τὴν σφραγῖδα ἣν ἔχεις τοῦ Θεοῦ· ἵνα γένῃ ἐκτύπωμα σφραγῖδος, ἁγίασμα Θεοῦ.

(*b*) Καὶ τὸ ἐπὶ τῷ πιστοσφραγισμῷ, ὅς ἐστιν ὁμοίωσις πρὸς Χριστὸν διὰ τῆς τοῦ Πνεύματος μεταλήψεως.

(*c*) Χριστοὶ δὲ γεγόνατε, τοῦ ἁγίου Πνεύματος τὸ ἀντίτυπον δεξάμενοι.

participes efficiuntur, Christi in semetipsis similitudinem gerunt. Vid. Toutée in laudatum Cyrilli locum. Add. ex Photin.

Germanus Patriarcha CP. in Theoria rerum Ecclesiastic. post init. (a) *Ungi oleo baptizatos, est instar olei, quo Reges & Sacerdotes & Prophetæ ungebantur; ut etiam Christus unctus est, tamquam Rex & Sacerdos, unctione Incarnationis. Est quoque ad id ne possit diabolus nos superare peccati mortis potentia; quæ est mors ex transgressione Adam in nos delapsa.* Et infra. *Vide Sanctam inscriptionem. Etenim Sanctam Trinitatem in modum libelli præscribit Spiritus-Sanctus, veluti lingua Dei & Patris,* & calamus scribæ velociter scribentis, *sculpens scilicet in significationem Christi non per atramentum & chartam, sed per unguenti lituram, & velut in Libro novo tabulis cordium fidelium Crucem Christi insculpens, quemadmodum ait Propheta*: Et scripsi legem meam, *ait Deus*, in cordibus eorum, & imprimam eam in fronte eorum, ut signatum sit in ipsis lumen vultus mei, & sint ipsi celebres in universa terra: *ostendens nos & hæredes regni sui & filios legitimos & cohæredes ipsius, si modo & demus operam conservare sanctum baptisma incolume & signaculum salvum.*

Simeon Thessalonicensis Præfat. lib. de Templo Sacræ unctionis mysterium cum Baptismo & Eucharistia conjungit, & in eodem cum illis ordine constituit: (b) *Atque ideo baptismatis lavacro nos regenerat, suamque generationem ab omni adfictione segrega-*

(a) Τῷ χρίεσθαι ἐλαίῳ τὺς βαπτιζομένες, ἐςὶ κατὰ τὸ ἔλαιον ᾧ ἐχρίοντο οἱ βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς καὶ οἱ προφῆται, καθὼς καὶ ὁ Χριςὸς ἐχρίσθη, ὡς βασιλεὺς καὶ ἱερεὺς τῷ χρίσματι τῆς σαρκώσεως. ἔςι δὲ καὶ τῷ μὴ δύνασθαι τὸν διάβολον κρατεῖν ἡμῶν τῷ κράτει τῆς ἁμαρτίας τῦ θανάτυ, ὅ ἐςιν, ὁ παραβάσει τῦ Ἀδὰμ ἐπελθὼν ἡμῖν θάνατος...... Ἴδε ἐπιγραφὴν ἁγίαν· καὶ γὰρ ὑπογράφει τὴν ἁγίαν τριάδα λιβέλλυ δίκην τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, ὡς γλῶττα τῦ Θεῦ καὶ πατρὸς, καὶ κάλαμος γραμματέως ὀξυγράφυ. διαχαράττον οἷον ἐν τῇ σημειώσει τῦ Χριςῦ, ὁ διὰ μέλανος καὶ χάρτυ, ἀλλὰ διὰ μύρυ τῆς χρίσεως, καὶ ὡς ἐν τόμῳ καινῷ ταῖς πλαξὶ τῶν καρδιῶν τῶν πιςῶν τὸν ςαυρὸν τῦ Χριςῦ ἐγχαράττον, καθώς φησιν ὁ προφήτης, καὶ ἔγραψα τὸν νόμον μυ φησὶν ὁ Θεὸς, ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, καὶ ἐνσημειώσομαι αὐτὸν ἐπὶ τὸ μέτωπον αὐτῶν, τῦ σημειωθῆναι αὐτοῖς τὸ φῶς τῦ προσώπυ μυ, καὶ εἶναι αὐτὺς ὀνομαςὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ· δεικνύων ἡμᾶς καὶ κληρονόμυς τῆς αὐτῦ βασιλείας, καὶ υἱὺς γνησίυς καὶ συγκληρονόμυς αὐτῦ, ἐάν περ καὶ ἀγωνισώμεθα φυλάξαι τὸ ἅγιον βάπτισμα σῶον, καὶ τὴν σφραγῖδα σώαν.

(b) Καὶ δὴ τῷ βαπτίσματι μὲν ἀναγεννᾷ, τὴν αὐτῦ καὶ ἡμῖν ἀπαθῆ διδὺς γέννησιν· τῇ ἐπιθέσει δὲ τῆς χειρῶν καὶ ἐμπνεύσει, τὴν τῦ μύρυ χάριν ἐντίθησιν, ὁ ἐςὶ

gatam nobis donat. Per manuum vero impositionem, & insufflationem unguenti gratiam impertitur, quod nimirum unguentum ipsemet est: Unguentum enim, *inquit*, effusum nomen tuum; *qui unxit semetipsum qua Deus, & unctus est qua Homo. Proinde & nos ex bonitate sua ungens, suaveolentem & vitalem Spiritus gratiam nobis elargitur. Quod autem* TERTIUM ET SUMMUM EST, *nos sui participes efficit; & id in tradendis mysteriis ostendit. Accepit enim panem, & Sacrificavit &c.*

Pachymeres in S. Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. II. §. 8. (*a*) *Denique unguenti illa consummans unctio eum qui initiatur odoris suavitate perfundit*. Et cap. IV. §. I. (*b*) *Est & aliud illi* (Eucharistiæ) *adfine Sacramentum unguenti*. Et §. IV. (*c*) *Dicimus itaque unguenti compositionem ex fragrantissimis materiis componi, cujus qui participes exsistunt, pro ratione participationis suavissimo odore reficiuntur. Jesus itaque divinissimus, cujus nomen unguentum effusum est, tanquam supernaturaliter fragrans, sui participes divina replet voluptate &c.* Et §. 11. (*d*) *Quin etiam ipsimet baptizato unguenti unctio Sancti-Spiritus inlapsum elargitur, dum hoc modo per unguenti unctionem Spiritus-Sanctus descendere significatur. Unguentum autem Christus est, quoniam ab ipso quoque humanitus, à Spiritu-Sancto, sanctificato Spiritus-Sanctus tamquam ipsius Spiritus donatur*. Quæ adfinia & consentanea sunt iis, quæ S. Cyrillus de Sacra unctione disseruit.

Gregorius Protosyncellus & postea Patriarcha in Apologia pro

μῦρον αὐτὸς ἐςι· μῦρον γάρ φησι ἐκκενωθὲν ὄνομά σου. Χρίσας μὲν ἑαυτὸν ὡς Θεὸς, χρισθεὶς δὲ ὡς ἄνθρωπος· διὸ καὶ ἡμᾶς ἀγαθῶς χρίων, ἡμῖν παρέχει τὴν εὐώδη καὶ ζῶσαν τοῦ Πνεύματος δύναμιν· τρίτον δὲ καὶ μέγιςον ἡμῖν δίδωσι τὸ μετέχειν ἡμᾶς αὐτοῦ. ὅπερ τῇ παραδόσει τῶν μυςηρίων παρέδειξεν· ἔλαβε γὰρ ἄρτον, καὶ ἱερούργησε.

(*a*) Η δὲ τοῦ μύρου τελεωτικὴ χρίσις, εὐώδη τὸν τελούμενον ποιεῖ.

(*b*) Α'λλ' ἔςιν ὁμοταγὴς ταύτης ἡ τοῦ μύρου ἑτέρα τελετή.

(*c*) Λέγομεν τοίνυν, ὡς ἡ τοῦ μύρου σύνθεσις, ἐξ ὑλῶν εὐωδεςάτων συνάγεται· ἧς οἱ μετέχοντες εὐωδιάζονται κατὰ τὸ ποσὸν τῆς μεθέξεως. ὁ γοῦν θεαρχικώτατος Ἰησοῦς, οὗ τὸ ὄνομα μύρον ἐκκενωθὲν, ὡς ὑπερουσίως εὐώδης, ἀναπίμπλησι θείας ἡδονῆς τοὺς μετέχοντας.

(*d*) Οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ βαπτισθέντι ἡ τοῦ μύρου χρίσις τὴν ἐπιφοίτησιν δωρεῖται τοῦ Πνεύματος, δηλουμένου ἐνθεῦτεν, ἐπεὶ διὰ τῆς τοῦ μύρου χρίσεως ἐπιφοιτᾷ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. τὸ δὲ μύρον ἐςὶν ὁ Χριςὸς, ὅτι καὶ ὑπ' αὐτοῦ δὴ ἀνθρωπικῶς τῷ ἁγίῳ Πνεύματι καθαγιασθέντος, τὸ ἅγιον Πνεῦμα χορηγεῖται ὡς οἰκεῖον αὐτοῦ.

Digitized by Google

pro Latinis adversus Marci Ephesii Epistolam, hanc esse docet utriusque Ecclesiæ, Latinæ nimirum & Græcæ sententiam, quod Sacra unctio unum sit e Septem Ecclesiæ Sacramentis: (*a*) *Ceterum Latini etiam Baptizatos inungunt Chrismate; & æque ac nos credunt, unctionem Chrismatis esse unum de septem Ecclesiæ Sacramentum.*

Sed nihil præclarius his quæ habet Nicolaus Cabasilas lib. I. & III. de vita in Christo. Prior liber hunc habet titulum: *Vitam in Christo per divina baptismi, Sacræ unctionis, & Communionis mysteria constitui.* Quod inter cetera hac eleganti ratione declarat: *Hæc enim sunt, per quæ* in ipso, *ut Paulus ait*, vivimus, movemur, & sumus: *siquidem baptisma quidem esse, & prorsus subsistere in Christo largitur. Id enim mortuos perditosque complexum primum in vitam introducit. Sacra autem unctio natum perficit & consummat, actionem tali vitæ respondentem inferens. Divina deinde Eucharistia vitam hanc & sanitatem continet atque conservat. Parta enim servare, & vitam retinere, panis vitæ donum & munus est. Idcirco hoc quidem pane vivimus, unguento autem movemur, postquam à baptismo accepimus ut essemus.* Sed omnino videnda quæ de hoc argumento Libro tertio elegantissime disputat, ostendens; *quam ei* (id est vitæ in Christo) *utilitatem Sacrum unguentum, sive Chrisma conferat.* Hæc enim utpote prolixiora exscribenda heic esse minime judicavi.

Quæ sit hodierna Græcorum, & Orientalium Christianorum de Sacri unguenti præstantia fides, atque sententia, constat ex eorum recentioribus Synodis, & Scriptoribus, aliisque monumentis, de quibus consulesis eruditissimum Goarium in notis ad Euchlog. Grecor. & doctissimum Natalem Alex. Dissert. X. in Hist. Eccles. Sæc. II. §§. XXI. & XXIII. ubi inter cetera hanc adfert Synodi Leucosiæ in Insula Cypri celebratæ sub Nicephoro totius insulæ Archiepiscopo VI. Idus Aprilis 1668. definitionem, quam heic coronidis loco adpono: *Si quis Sacratissimum Chrisma non unum proprie fateatur ex septem Ecclesiæ Sacramentis per traditionem Apostolorum ab ipsomet*

(*a*) Ἀλλὰ καὶ τῷ μύρῳ τοὺς βαπτιζομένους οἱ Λατῖνοι χρίουσι, καὶ ὡς ἡμεῖς ἓν τῶν ἑπτὰ μυστηρίων τῆς ἐκκλησίας τὴν τελετὴν τοῦ μύρου λέγουσι.

met omnium Rege Christo institutis, novamque gratiam ac Sanctificationem propriam ex hoc iis qui inunguntur præstari per Spiritum-Sanctum, veluti characterem Regalis Spiritualis dignitatis consignantem in hereditatem regni cœlestis; itemque robur ac fortitudinem adversus visibiles invisibilesque hostes; & odorem suavitatis ad Deum in bonis operibus: is integritatem Ecclesiasticæ tollit pulchritudinis, quam ædificans suam domum Sapientia per septem columnas prænotavit, & Lex antiqua per columnas septem candelabri in Templo aliisque typis præfiguravit.

Quæ quum ita sint, & hæc hisque similia cum veteres, tum Moderni Græci pari consensu concinant, quis non futilem illam vanissimamque Adversarii conjecturam derideat ac floccipendat; ex eo desumtam, quod apud Græcos & Orientales, qui Confirmationis Sacramentum statim post Baptismum administrant; unica sit unctio, Baptismi ritibus, ut Adversarius conjicit, adcensenda. Quid enim refert, ut sæpius dictum est, unicane fuerit post baptismum an duplex unctio, modo ex ea constituerint Sacramentum à Baptismo distinctum, eique adjudicarint quæcumque Theologi ad Sacramentum Confirmationis pertinere docent?

CA-

CAPUT QUINTUM.

Ex Græcorum & Orientalium Euchologiis probatur, Sacrum Unguentum aut unicam esse, aut potissimam Sacramenti Confirmationis materiam.

I. D. du-Vert adversus nostram opinionem ex Græcorum ritibus conjectura.

II. In Euchologiis Græcorum, ubi ritus Confirmationis Neophytorum describitur, manuum impositionis nulla fit mentio: Neque ad eam impositio manuum apud Græcos videtur ullatenus pertinere.

III. De ritu quo idem Sacramentum apud Græcos quibusdam Hæreticis ad Ecclesiam revertentibus adhibetur.

IV. De Sacri unguenti efficacia & necessitate ex Clementinis Constitutionibus. Quæ forma Sacramenti Confirmationis apud Græcos.

V. In Rituali Severi de manuum impositione siletur. In Ordine autem Mysteriorum secundum Aethiopes de manus impositione præcipitur; sed vis potissima Sacramenti Sacræ unctioni tribuitur.

VI. De Sacro unguento quam magnifice Græci sentiant, ex Oratione ostenditur, qua illud sollenniter benedicunt.

I. Quamquam ineptissimæ sint observationes, quas capitibus præcedentibus examinavimus; nulla tamen ineptior est ea, quam sequentibus verbis doctissimus Adversarius proponit: (*a*) „ Quoniam „ adhuc apud Græcos mos est, Confirmationem „ statim post Baptismum conferendi; neque „ ulla umquam iis ratio fuit, cur unctiones, quemadmodum „ Latini multiplicarent atque dividerent, imo eam unice servant, quam e sacro fonte prodeuntibus administrant: prorsus „ verosimile non videtur, quod una & eadem actio jam con„ juncta Baptismo simul & in eodem instanti alteri Sacramen„ to deserviat, nempe Confirmationi. Unde e duobus alterum „ dicendum est; aut quod ea dispositio, quæcumque illa sit, „ quam Græci suis manibus tribuunt, quum orationem reci„ tant, *Benedictus es Domine Deus Omnipotens*, quæ juxta hanc „ sententiam rationem formæ obtineret, & orationi responde„ ret, quæ apud Latinos incipit, *Omnipotens sempiterne Deus*; „ quod sane proprius ad verum accedit: necesse est, inquam, „ aut quod hæc manuum dispositio in Ecclesia Græca vicem „ te-

(*a*) *Pour ce qui est maintenant des Grecs, comme ils observent toujours de conférer la Confirmation immediatement aprés le Baptéme, & qu'ainsi ils ne sont proint obligez comme les Latins de multiplier ni de diviser leur onction; qu'en un mot ils s'en tiennent uniquement encore à celle qui s'administroit au sortir des Fonts, il n'est gueres vraisemblabe qu'une pareille action, deja attachée au Baptême, puisse encore tout de nouveau & dans l'instant même, servir au second Sacrement, je veux dire à la Confirmation. Et il faut de deux choses l'une; ou que la disposition que les Grecs donnent icy a leurs mains (quelle quelle puisse être) en recitant la priere,* Benedictus es Domine Deus Omnipotens *(qui dans cette supposition servit la forme du Sacrement, repondant à la nôtre,* Omnipotens

„ teneat illius manuum impositionis, quam essentialem esse di-
„ cimus Sacramento, & quam reapse Græci numquam non
„ usurparunt, ut ex infinitis testimoniis adparet, quæ Sambo-
„ vius refert in suo Tractatu de Confirmatione disput. 3. art.
„ 1. Aut quod Græci cum Theologis, de quibus superius locu-
„ ti sumus, impositionem manuum cum Chrismatione conjun-
„ ctam & ab ea inseparabilem ad valorem Sacramenti sufficere
„ existiment &c.

II. Sed hujus conjecturæ, qua suam D. Du-Vert opinionem probabilem efficere studet, vanitas tum ex jam dictis satis manifesta est, & ex dicendis in præsenti capite manifestissima evadet. Quamquam enim ad adstruendam Sacri unguenti in Confirmationis Sacramento necessitatem & efficaciam ex Patribus, & omnium sæculorum Scriptoribus instituta probatio efficacissima sit; nonnihil tamen majoris momenti inesse videtur in ea quam modo ex Ecclesiarum Euchologiis & Ritualibus informamus. Præcipue vero ad evertendum contrariam opinionem tam perspicua ex Euchologiis Græcorum confici mihi videtur demonstratio, ut satis mirari non possim, virum doctum iis quæ sibi ad animum succurrebant adeo se abripi passum esse, ut aut non persenserit, aut plane dissimulaverit veterum monumentorum auctoritatem. Ait igitur, unicam illam, & quæ statim apud Græcos post Baptismum adhibetur, unctionem, quum sit conjuncta Baptismo, statui non posse velut alterius Sacramenti materiam. Verumenimvero, si ad tempus, locum, & ritum quo apud Græcos Neophytorum unctio peragitur, animum advertamus, manifesto adparebit, eam Græcos ut Sacramentum à Bap-

sempiterne Deus, *à quoy il y auroit bien plus d'apparence*): *il faut, dis-je, ou que cette disposition des mains, tienne lieu, dans l'Eglise Grecque, de l'imposition des mains essentielle au Sacrement, & qu'en effet les Grecs ont toujours aussi pratiquée, comme il paroît par une infinité de témoignages, rapportez par M. de Sainte-Beuve, en son traité de la Confirmation, dispute 3. article 1. ou que les Grecs regardent avec les Théologiens dont nous avons parlé plus haut, l'imposition des mains inséparable de la Chrismation, comme suffisante à leur gré, pour la validité du Sacrement &c.*

Baptismo prorsus distinctum administrare ; neque alia ratione unctionem cum Baptismo conjungere, quam quod veterem consuetudinem adhuc retinent , Confirmationis Sacramentum statim post Baptismum administrandi : quæ quidem conjunctio si argumento esse deberet, Sacram unctionem pro una ex Baptismi ceremoniis apud Græcos existimari ; multo magis & ipsa manuum impositio , adeoque totum Confirmationis Sacramentum nihil aliud esse Græcis quam meram Baptismi ceremoniam , quod absurdissimum esse constat Lutheranorum & Calvinianorum commentum , locupletissimis cum veterum tum recentium Græciæ Scriptorum testimoniis jampridem à Romanis Theologis dissipatum . Varios nunc igitur ex Græcorum Euchologio administrandæ Confirmationis ritus ordinesque describam ; & Græca Ecclesia ab ea quam impugno quorundam Theologorum opinione quam sit aliena, meis in prædictos ritus observationibus palam faciam.

In Euchologio igitur Græcorum apud Goarium nostrum his verbis Sacramenti Confirmationis ordo describitur : (a) „ Et „ postquam indutus fuerit (*Neophytus*) adjicit Sacerdos oratio„ nem hanc:

Dominum precemur .

Benedictus es Domine Deus Omnipotens , fons bonorum, Sol justitiæ , qui per unigeniti Filii tui & Dei nostri adparitionem , velut salutis Sol, iis qui in tenebris erant, inluxisti , & nobis indignis beatam purgationem in vivifica unctione contulisti : qui & nunc recens inluminatum servum tuum , per aquam & Spiritum , peccatorum sponte atque etiam indeliberate commissorum remissione ei concessa, regenerare voluisti ; ipse Domine , Rex omnium benigne signaculum doni

(a) Καὶ μετὰ τὸ ἐνδῦσαι αὐτὸν ἐπεύχεται ὁ Ἱερεὺς τὴν εὐχὴν ταύτην. Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν. Εὐλογητὸς εἶ Κύριε ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ἡ πηγὴ τῶν ἀγαθῶν, ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης, ὁ λάμψας τοῖς ἐν σκότει φῶς σωτηρίας διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ μονογενοῦς σου Υἱοῦ καὶ Θεοῦ ἡμῶν καὶ χαρισάμενος ἡμῖν τοῖς ἀναξίοις τὴν μακαρίαν κάθαρσιν ἐν τῷ ἁγίῳ ὕδατι, καὶ τὸν θεῖον ἁγιασμὸν ἐν τῷ ζωοποιῷ χρίσματι, ὁ καὶ νῦν εὐδοκήσας ἀναγεννῆσαι τὸν δοῦλόν σου τὸν νεοφώτιστον δι' ὕδατος καὶ Πνεύματος, καὶ τὴν τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων ἄφεσιν αὐτῷ δωρησάμενος· αὐτὸς δέσποτα παμβασιλεῦ εὔσπλαγχνε· χάρισαι αὐτῷ τὴν σφραγῖδα τῆς δωρεᾶς τοῦ ἁγίου καὶ παντοδυνάμου καὶ προσκυνητοῦ σου Πνεύματος, καὶ τὴν μετάληψιν τοῦ ἁγίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου. φύλαξον αὐτὸν ἐν τῷ σῷ ἁγιασμῷ, βεβαίωσον ἐν τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει, ῥῦσαι

Digitized by Google

ni Sancti & Omnipotentis & adorandi tui Spiritus, & Sancti Corporis & pretiosi Sanguinis Christi tui communionem ei largire. In Sanctitate tua custodi illum, in vera fide confirma, a maligno & omnibus ejus astutiis illum erue, & salutari tuo timore in puritate & justitia animam illius custodi, ut omni verbo & opere tibi placitus, filius & heres evadat Regni Cœlestis.

Exclamando.

Quia tu es Deus noster, Deus miserendi & salvandi, & tibi gloriam rependimus, Patri, & Filio, & Sancto Spiritui, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

„ Et oratione hac terminata, baptizatum Sancto unguento „ ungit, Crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in „ naribus, & in utroque aure, ac in palma utriusque manus, & in pedibus dicens:

Signaculum doni Spiritus-Sancti. Amen.

Plura heic nobis observanda sunt; & imprimis quidem observatione dignum judico, altum heic esse, ut etiam in aliis Euchologiis, de manuum impositione, aut certa earumdem dispositione silentium; unde firmum & evidens mihi nascitur argumentum, quod manuum impositionem Græci nullatenus credant Sacramenti Confirmationis esse materiam. Nam si in ejusmodi versarentur opinione, nobilem hanc & essentialem & gratiæ Sancti-Spiritus productivam Confirmationis ceremoniam, nequaquam in omnibus suis Euchologiis silentio prætermisissent. Cujus rei ex iisdem Euchologiis certum nobis suppetit argumentum, ubi Diaconorum, Presbyterorum & Episcoporum Sacras Ordinationes describunt. Nam horumce Ordinum quoniam præcipuam ceremoniam, & essentialem materiam in manuum impositione; formam vero in eisdem adnexis precationibus

ἀπὸ τοῦ πονηροῦ καὶ πάντων τῶν ἐπιτηδευμάτων, καὶ τῷ σωτηρίῳ σου φόβῳ, ἐν ἁγνείᾳ καὶ δικαιοσύνῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ διατήρησον· ἵνα ἐν παντὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ εὐαρεστῶν σοι υἱὸς καὶ κληρονόμος τῆς ἐπουρανίου σου γένηται βασιλείας. Ἐκφώνως. Ὅτι σὺ εἶ ὁ Θεὸς ἡμῶν, Θεὸς τοῦ ἐλεεῖν καὶ σώζειν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν· τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι. νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν χρίει τὸν βαπτισθέντα τῷ ἁγίῳ μύρῳ, ποιῶν σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τῶν μυκτήρων, καὶ τοῦ στόματος, καὶ τῶν δύο ὤτων, καὶ τοῦ στήθους, καὶ τῶν χειρῶν, καὶ τῶν ποδῶν, λέγων, Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου ἀμήν.

bus positam esse credunt; nullum est eorum Euchologium, nullus Auctor, qui data opera Sacrarum Ordinationum ritus in se referendos explanandosque susceperit; & manuum impositionis expressam mentionem non faciant, quotiescumque orationes hoc ritu pronuntiandas describunt. Uti videre est apud Johannem Morinum de Sac. Ordinat. Part. II. ubi Græcorum Ordinationes ex Apostolicis Constitutionibus, ex Pseudo-Dionysio, Simeone Thessalonicensi, & variis eorum Euchologiis describit. Exemplum adferam ex primo in ordine & antiquissimo Bibliothecæ Barberinæ ,, (*a*) ORDINATIO EPISCOPI. Archiepisco-
,, pus imponens illi manum, sic precatur: *Here Domine Deus noster &c.* Et infra ,, Dum autem profertur hæc oratio ab Epi-
,, scopo, habet similiter Archiepiscopus manum super caput
,, illius qui ordinatur, sic orans, *Domine Deus noster &c.* Et sub
,, titulo . . . . *Presbyteri Ordinatione*. Habensque manum (*Ar-*
,, *chiepiscopus*) ei impositam hæc precatur: *Deus qui es principii*
,, *& finis expers &c.* Et rursum: ,, Archiepiscopus consimiliter
,, manum tenens super caput illius qui ordinatur, sic precatur.
,, *Deus qui potens es in virtute &c.* Et *de Ordinatione Diaconi*. Ar-
,, chiepiscopus . . . . manu ipsi imposita, sic precatur: *Domine*
,, *Deus noster, qui providentia tua*. Et iterum: ,, Archiepiscopus
,, habens similiter manum super caput illius qui ordinatur, sic
,, precatur: *Deus servator noster &c.* Atque ita in ceteris Euchologiis, quæ haud exiguo numero laudatus Johannes Morinus collegit. Hæc autem ideo Lectorum oculis subjeci, ut quisque perspiciat, quam adcurati fuerint Græci in iis ritibus repræsentandis à quibus Sacramentorum substantiam pendere arbi-

(*a*) ,, ΚΕΙΡΟΤΟΝΙΑ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ. Ὁ Ἀρχιεπίσκοπος . . . . . . ἐπιτιθεὶς αὐτῷ τὴν χεῖρα ἐπεύχεται ταῦτα. Δέσποτα κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν &c. . . . . . . Καὶ ἐν τῷ γίνεσθαι τὴν εὐχὴν ταύτην ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου ἔχων ὁμοίως τὴν χεῖρα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ χειροτονουμένου ὁ ἀρχιεπίσκοπος εὔχεται οὕτως ,, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν. καὶ τὰ ἑξῆς. Ἐπὶ χειροτονίᾳ πρεσβυτέρου. Καὶ ἔχων (ὁ ἀρχιεπίσκοπος) ἐπικειμένην τὴν χεῖρα ἐπεύχεται ταῦτα. ,, ὁ Θεὸς ὁ ἄναρχος καὶ ἀτελεύτητος. καὶ τὰ ἑξῆς. Ἔχων ὁμοίως τὴν χεῖρα ὁ ἀρχιεπίσκοπος ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ χειροτονουμένου ἐπεύχεται οὕτως. ,, Ὁ Θεὸς ὁ μέγας ἐν δυνάμει. καὶ τὰ ἑξῆς. Ἐπὶ χειροτονίᾳ διακόνου. Ὁ ἀρχιεπίσκοπος . . . . ἐπιθεὶς αὐτῷ τὴν χεῖρα ἐπεύχεται οὕτως. ,, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ τῇ προγνώσει τῇ σῇ. καὶ τὰ ἑξῆς. Ἔχων ὁμοίως τὴν χεῖρα ὁ ἀρχιεπίσκοπος ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ χειροτονουμένου ἐπεύχεται οὕτως. Ὁ Θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν. καὶ τὰ ἑξῆς.

Digitized by Google

arbitrati sunt. Eademque diligentia in Auctore Apostolicarum Constitutionum, Pseudo-Dionysio, Simeone Thessalonicensi, aliisque Græcorum rituum explanatoribus observatur. Si ergo manuum impositionem non minus Sacramento Confirmationis, quam Sacræ Ordinationi essentialem existimassent: nulla equidem ratio proferri posset, cur in omnibus Euchologiis ubi Confirmationis ritus descripserunt, manuum impositionem silentio prætermiserint: eam vero adcurate præscripserint, ubi de Sacris Ordinationibus pertractarunt.

Secundo observandum est, quod tum in isto, tum in ceteris Euchologiis, Oratio: *Benedictus es Domine Deus Omnipotens &c.* præcedit inunctionem Chrismatis. Unde nulla ratione defendi potest, Chrismationem nil aliud esse apud Græcos quam ceremoniam Sacramento Baptismatis adjunctam: Sed si alterutrius Sacramenti ceremonia dicenda esset, Confirmationi potius esset quam Baptismati adjudicanda: præsertim, quia in ipsa Oratione, quam Sacramenti Confirmationis formam esse volunt, peragenda Sacro Chrismate consignatio memoratur: *Signaculum doni Sancti & Omnipotentis & adorandi tui Spiritus . . . . . ei largire*.

Tertio notandum est, quod signaculum Sancti-Spiritus, quod utique Sacra unctione perficitur, cum Baptismo & Eucharistia in eadem Oratione conjungitur: *Qui & nunc recens inluminatum servum tuum per aquam & Spiritum . . . . . regenerare voluisti; ipse Domine . . . . signaculum doni Sancti . . . . tui Spiritus, & Sancti Corporis & pretiosi Sanguinis Christi tui communionem ei largire*. Ex quo facile colligitur, Chrismationem ab Ecclesia Græca in eodem cum Baptismo, & Eucharistia fuisse ordine conlocatam.

Quarto observandum est, quod ex eisdem hujusce Orationis verbis satis aperte conficitur, eam nil amplius esse quam meram ad Sacramentum Confirmationis præparationem. Nam ut præcipuum Confirmationis effectum *signaculum* petitur *Sancti-Spiritus*. Quod, ut ex verbis adparet quæ Chrismationem comitantur, Neophytis imprimitur, quum ab hujus Sacramenti Ministro Sacro Chrismate consignantur: *Signaculum*, inquit, *doni Spiritus Sancti. Amen.*

Non

Non minus observatione dignus est ritus, quo in Euchologio Cryptoferratensi Sacramentum Confirmationis administratur. Post pronuntiatam à Patriarcha, qui hoc Officium Sabbato Sancto peragit, Baptismi formam „ (*a*) lavatur ille, & linteum „ (*quo circumcinctus fuerat*) supermanicaliaque (*quæ induerat*) „ deponit, & Archidiacono dicente, *Attendamus*, incipiunt „ Cantores, *Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c.* aut certe „ Sacerdos cum populo illud idem dicit ter: & sic dicitur: *Benedictus es, Domine &c.* Et oratione hac finita, ornatu Baptismatis exuitur Patriarcha, & adsumit eum, qui missis inservit. Tum vadit ad S. Petrum, & Cantore dicente: *Quotquot in Christo Baptizati estis*, unguento Sancto Baptizatos ungit, „ faciens signum Crucis in fronte, oculis, naribus, ore, & „ duabus auribus dicens: *signaculum doni Spiritus-Sancti*.

Præter ea, quæ circa præcedens Euchologium observata sunt, notatu heic dignum occurrit, quod Oratio, *Benedictus es Domine*, statim post Baptismum recitanda præscribitur, & in eodem loco quo Baptismus administratus est, & antequam se se Patriarcha ornatu Baptismatis exuat. Unctio vero post Orationem peragitur, & postquam Patriarcha diversum habitum adsumsit ab eo quo in Baptismate usus est, & alio in loco ab eo in quo Baptisma celebratum est. Unde sequitur, majori cum fundamento adfirmari posse, Sacram unctionem distinctum esse à Baptismate Sacramentum, quam Orationem & ei conjunctam manuum impositionem, si reapse hoc ritu, manu scilicet super Neophytos imposita, orationem Græci profunderent.

Secundo notandum est, quod Patriarcha, vel Episcopo Baptismum administrante, Orationem *Benedictus es Domine*, Sacerdos recitat, unctionem vero Chrismatis Patriarcha, vel Episcopus per seipsum adhibet. Quod quidem argumento est, in Sacra

(*a*) Νίπτεται, καὶ ἐκβάλλει τὸ λέντιον, καὶ τὰ μανίκια, καὶ τοῦ Ἀρχιδιακόνου λέγοντος· Πρόσχωμεν. Ἄρχονται διψάλται τὸ, Μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι· ἢ ὁ Ἱερεὺς σὺν τῷ λαῷ τρίς: καὶ οὕτως. Εὐλογητὸς εἶ Κύριε. &c. Καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν ταύτην ἀποδύεται τὴν στολὴν τοῦ βαπτίσματος, καὶ βάλλει τὰ τῆς λειτουργίας, καὶ ὑπάγει εἰς τὸν ἅγιον Πέτρον· καὶ τῶν ψαλτῶν λεγόντων. Ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε. χρίει τῷ ἁγίῳ μύρῳ τοὺς βαπτισθέντας, ποιῶν τοῦ σταυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου, τῶν ὀφθαλμῶν, τῶν μυκτήρων, τοῦ στόματος, καὶ τῶν δύο ὤτων, λέγων. Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου.

Digitized by Google

Sacra unctione juxta Græcos Sacramentum consistere Confirmationis; orationem vero meram esse ad ejus effectum consequendum dispositionem. Est enim quam maxime conveniens, quod præparatio inferioris ordinis Sacerdotibus, consummatio vero ac perfectio Sacramenti Pontifici tribuatur. Quod in eodem Euchologio, & in Barberino S. Marci circa ipsummet Sacramentum Baptismatis observatur. Nam prior unctio quoniam præparationis ac meræ dispositionis loco adhibetur, à simplici Sacerdote in præcipuis saltem corporis partibus perficitur (nam totum corpus Diaconus ungit) materiam autem & formam Sacramenti Patriarcha per seipsum seu Pontifex adhibet: (*a*) „ Et „ offertur baptizandi uni Presbyterorum, & accipit ex oleo „ Sancto, & crucis signum in ejus fronte, & pectore, & sca- „ pulis facit dicens: *Ungitur N. oleo lætitiæ, In nomine Patris,* „ *& Filii, & Spiritus-Sancti.* Et tunc ungitur à Diacono totum „ ejus corpus. Postmodum baptizatur à Pontifice dicente: *Bap-* „ *tizatur N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti.* Quum ergo heic videamus materiam & formam Sacramenti Pontifici reservatam, alias autem ceremonias ministris inferioribus demandatas: an non verosimile est, inter Confirmationis ceremonias laudatam sæpius Orationem, quæ à simplici Sacerdote pronunciatur, à Græcis recenseri: Unctionem vero Chrismatis, quæ à Pontifice adhibetur, Sacràmentum perficere Confirmationis? Nam longe potiori jure Confirmationis administratio quam Baptismi Pontificibus convenit.

Euchologium Barberinum id habet imprimis observatione dignum, quod Diaconus Litaniam agens, tria hæc Sacramenta, Baptismum, Confirmationem, & Eucharistiam eodem quo celebrantur ordine commemorat: Sacramento Confirmationis pro materia solam unctionem adsignat, unguenti usum ex divina traditione repetit, & in eo vim Sacramenti positam esse de-

H h mon-

(*a*) Καὶ προσφέρεται ὁ βαπτιζόμενος ἑνὶ τῶν πρεσβυτέρων. καὶ λαμβάνει ἐκ τοῦ ἐλαίου τοῦ ἁγίου, καὶ ποιεῖ σαυροῦ τύπον ἐπὶ τοῦ μετώπου αὐτοῦ, καὶ τοῦ σήθους, καὶ τῶν μεταφρένων τοῦ βαπτιζομένου λέγων. χρίεται, ὁ δεῖνα, ἔλαιον ἀγαλλιάσεως, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Καὶ τότε χρίεται ἀπὸ τοῦ διακόνου ὅλον τὸ σῶμα αὐτοῦ. λοιπὸν μετὰ τοῦτο βαπτίζεται ἀπὸ τοῦ Ἀρχιερέως λέγοντος, βαπτίζεται ὁ δεῖνα, εἰς τὸ ὄνομα.

monstrat: (a) „ Et quum compleverit orationem Sacerdos, Dia-
„ cono Litaniam agente, incipit : . . . .

. . . . . *Ut hujus salutaris Lavacri participum iniquitates cunctæ in aquis istis submergantur ; Dominum precemur .*

Ut baptizandi in illis filii lucis renuncientur ; Dominum precemur .

Hæc ad Baptismum pertineat ; sequentia vero ad Confirmationem.

Ut unctionis oleo divina in eis adversus hostes virtus admisceatur ; Dominum precemur .

Ut ad DIVINITUS TRADITI *unguenti susceptionem fiant baptizandi vasa sanctificata : Dominum precemur .*

Hæc ad Confirmationem referenda sunt : quod autem paucis interpositis sequitur, ad Eucharistiam:

Ut incondemnate Sanctis Mysteriis participent ; Dominum precemur .

Ritus deinde describitur , quo est Baptismus administrandus . Quo peracto,

„ Diaconus . *Dominum precemur* , Sacerdos orationem , *Bene-*
„ *dictus es Domine &c.* Et responso *Amen* , digreditur Patriar-
„ cha , vel Pontifex ad Vestiarium, & Cantore dicente: *Quot-*
„ *quot in Christo Baptizati estis* , *Christum induistis* . Baptizatos
„ unguento Sacro Sacerdos ungit , faciens crucis signum pri-
„ mo in fronte, dicens: *Signaculum doni Spiritus-Sancti*. In ocu-
„ lis dicens : *Unctio Spiritus-Sancti* . In naribus dicens : *Unctio*
„ *pi-*

(a) Καὶ ὅτε πληρώσῃ τὴν εὐχὴν ὁ Ἱερεύς, τοῦ Διακόνου λιτανεύοντος ἄρχεται. . . . . ὑπὲρ τοῦ πάσας ἐν αὐτοῖς καταδῦναι τὰς ἀνομίας τῶν μεθεξόντων τοῦ σωτηρίου λουτροῦ . τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν .

Ὑπὲρ τοῦ υἱοὺς φωτὸς ἀναδειχθῆναι τοὺς ἐν αὐτοῖς βαπτιζομένους · τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν .

Ὑπὲρ τοῦ θείαν αὐτοῖς κατὰ ἀντιπάλων δύνασθαι δύναμιν τῷ ἐλαίῳ τῆς χρίσεως . τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν .

Ὑπὲρ τοῦ σκεύη γενέσθαι αὐτοὺς ἡγιασμένα πρὸς ὑποδοχὴν τοῦ θεοδότου μύρου · τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν . . . . .

Ὑπὲρ τοῦ ἀκατακρίτως μεταλαμβάνειν τῶν ἁγίων μυστηρίων · τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν . . . .

Ὁ Διάκονος . τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν . Ὁ Ἱερεὺς τὴν εὐχήν . Εὐλογητὸς εἶ Κύριε . Καὶ μετὰ τὸ , ἀμήν , ἐξέρχεται ὁ Πατριάρχης , ἢ ὁ Ἐπίσκοπος ἐν τῷ ἀποδυτῷ , καὶ τοῦ ψάλτου λέγοντος · Ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε , Χριστὸν ἐνεδύσασθε , χρίει ὁ Ἱερεὺς τῷ ἁγίῳ μύρῳ τοὺς βαπτισθέντας , ποιῶν τὸν τοῦ σταυροῦ τύπον · πρῶτον ἐπὶ τοῦ μετώπου λέγων · Σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου . καὶ ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς λέγων · Χρίσμα δωρεᾶς

Digitized by Google

„ *pignoris Spiritus-Sancti*. In auribus dicens: *Unctio participatio-*
„ *nis vitæ æternæ*. In manuum volam interiorem dicens: *Unctio*
„ *Sancti Christi Dei & signaculum insidiis liberum*. In corde tan-
„ dem: *Complementum doni Spiritus-Sancti, thorax fidei & veri-*
„ *tatis*. Et dicit: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*. Et de reliquo celebratur Missa.

Orationem, *Benedictus es Domine*, ut in superiori Euchologio statim post Baptismum simplex Sacerdos recitat, unctionem autem non in eodem loco quo Baptismus administratus est, sed in Vestiario Patriarcha vel Episcopus adhibet. Quamvis enim & ubi de unctione agitur, Sacerdotis nomen occurrat, simplicem tamen Sacerdotem ibi non denotat, sed Patriarcham vel Episcopum: ut ex præcedenti Euchologio luculentissime demonstratur. Postquam enim ceremonias perscripsit, quibus utrumque Sacramentum à Patriarcha Sabbato Sancto administratur, hæc subjungit: (a) „ In reliquis vero festis quum Bap-
„ tismata in parvo Baptisterio celebrantur, adveniens Patriar-
„ cha, cuncta juxta præscriptum ritum peragit. Et postquam
„ in Vestiario recenter inluminatos Sancto unguento consigna-
„ verit, sedet Imperatorem præstolaturus &c. Unde constat, quod in Vestiario Patriarcha vel Pontifex, qui Baptismi officium in parvo Baptisterio peregit, Sacram deinde unctionem Neophytis adhibet. At sæpius nobis commemoratam Orationem *Benedictus es Domine*, Sacerdos in utroque Euchologio pronunciare debet: quare vicem formæ apud Græcos obtinere non potest; quum non solum diverso & tempore & loco, sed etiam à diverso Ministro ab eo qui unctionem adhibet, proferatur.

Est etiam animus advertendus ad varias illas verborum

Πνεύματος ἁγίου. καὶ ἐπὶ τὰς ὀσφρήσεις λέγων· Χρῖσμα ἀῤῥαβῶνος Πνεύματος ἁγίου. ἐπὶ τὰς ἀκοὰς λέγων· Χρῖσμα μετοχῆς ζωῆς αἰωνίου. εἰς τὰς χεῖρας ἔσωθεν. Χρῖσμα ἁγίου Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ σφραγὶς ἀνεπιβούλευτος. ἐπὶ τὴν καρδίαν· πλήρωμα δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου, καὶ θώραξ πίστεως, καὶ ἀληθείας. Καὶ λέγει. μακάριοι ὧν ἀφέθησαν ⁊ τὸ λοιπὸν ἡ λειτουργία.

(a) Εν δὲ ταῖς λοιπαῖς ἑορταῖς, ὅτε ἐν τῷ μικρῷ φωτιστηρίῳ γίνονται τὰ φωτίσματα, κατερχόμενος ὁ Πατριάρχης ποιεῖ πάντα κατὰ τὸν προγεγραμμένον τύπον, καὶ μετὰ τὸ σφραγίσαι ἐν τῷ ἀποδυτῇ τοὺς νεοφωτίστους τῷ θείῳ μύρῳ, καθέζεται ἐκδεχόμενος τὸν Βασιλέα.

formulas, quas inter inungendum diversas corporis partes Patriarcha pronunciat. Nam varios effectus significant, quos juxta Orientalis Ecclesiæ fidem, Neophytis Sacri unguenti delibutio producit.

Est etiam illud maximi ad sententiam nostram confirmandam momenti, quod in Euchologio Georgii Coresii apud Goarium; quum modus & ratio præfinitur, quo utrumque Sacramentum, Baptismus nimirum & eum consequens Confirmatio puero morti proximo administrari debet, Oratio ***Benedictus es Domine***, in totum prætermittitur: & sola unctio cum ei adjuncta verborum forma decernitur: Ita enim habet (*a*) „ Deinde „ puerum baptizat dicens: *Baptizatur servus Dei &c.* Et conti- „ nuo induit illum, & Sacro ungit Chrismate dicens; *Signacu-* „ *lum doni &c.* Et post hæc juxta ordinem gyrat illum cantans: „ *Quotquot in Christo baptizati estis*, ut supra. Et fit demissio. Si autem in prædicta Oratione, & ei adnexa manuum impositione Confirmationis materiam & formam Græci positas esse putarent, in nullo casu fas illis esset, hocce Sacramentum iis ceremoniis omissis administrare; quum iis prætermissis quæ essentialia existimantur, Sacramentum nec rite, nec valide celebretur.

III. In præcedentibus Euchologiis forma præscribitur, qua recens in Ecclesia Catholica baptizati Confirmationis Sacramento muniendi sunt. Sed habent præterea Græci in suis Euchologiis speciales ritus, quos servare oportet in eodem Sacramento iis administrando qui quum apud Novatianos, Arianos, & alios quosdam Hæreticos Baptismum fuissent consecuti, postmodum ad fidem Catholicam convertentur. Ex quibus etiam manifeste colligitur, Græcos in ea versari sententia, quod Sacramentum Confirmationis sola Chrismatione, & ei conjuncta verborum formula perficiatur. „ Tria *inquit* ***Johannes Morinus*** (*b*) habe- „ mus ejusmodi *Euchologia*: Antiquissimum Euchologium Bar- „ berinum annorum octingentorum canicie venerandum. Se-

„ cun-

(*a*) Εἶτα βαπτίζει λέγων. Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, καὶ τὰ ἑξῆς. Καὶ εὐθέως στολίζει αὐτόν· καὶ ἀλείφει τὸ μύρον, λέγων· Σφραγὶς δωρεᾶς, καὶ τὰ ἑξῆς. Καὶ μετὰ ταῦτα γυροῖ αὐτὸν κατὰ τὴν τάξιν ψάλλων τὸ, Ὅσοι εἰς Χριστὸν ἐβαπτίσθητε. Καὶ γίνεται ἀπόλυσις.

(*b*) De Pœnit. lib. IX. cap. IX.

„ candum Euchologium Monasterii Cryptæ Ferratæ prope Romam. Tertium est Bibliothecæ Regiæ, e quo quæ ad hanc caussam pertinent evulgavit, & Latina fecit Petrus de Marca eruditissimus Consoranensis Episcopus (*a*), quod ab aliis „ nullo modo differt .... In Cryptæ Ferratensis codice titulus est, Ἐκ τοῦ Εὐχολογίου τοῦ Πατριαρχικοῦ ὅπως χρὴ δέχεσθαι &c. *Ex Euchologio Patriarchico, quomodo recipere oportet &c.* Quibus „ verbis manifestum fit, hunc recipiendi Hæreticos morem in „ Græcia solemnem fuisse, & ab omnibus, qui Ecclesiæ matri- „ ci & primariæ adhærerent, observatum. Ex antiquissimo igitur Euchologio Barberino heic subjiciemus quæ nostri sunt instituti.

(*b*) „ Postea Sacerdos manum habens super caput conversi „ inclinati, hanc fundit orationem.

Deus servator noster, qui vis omnes homines servari, & ad cognitionem veritatis venire, suscipe hunc servum tuum N. qui ab erroris fraude vix resipuit, & desideravit ad cognitionem veritatis tuæ pervenire : Tu enim Domine dixisti : Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas quoque oportet me reducere, & vocem meam audient, & fient unum ovile, & unus pastor. *Pasce eum sententia veræ tuæ cognitionis secundum expositionem Sanctorum & Gloriosorum Apostolorum, & dignare eum sigillo divini unguenti, & adventu Spiritus-Sancti, & participatione venerandi Corporis & Sanguinis Christi tui. Et redde illum perfectum servum tuum, ut ovili tuo adnumeretur in laudem & gloriam magnitudinis tuæ. Quia tuum est regnum, & potentia, & Gloria Patris, & Filii, & Spiritus-*

(*a*) In Notis ad Concil. Claromont.

(*b*) Καὶ ἐπικλίνοντος τοῦ μετερχομένου ὁ ἱερεὺς ἔχων τὴν χεῖρα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ποιεῖ τὴν εὐχὴν ταύτην.

Ὁ Θεὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν ὁ βουλόμενος πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι, καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, πρόσδεξαι τὸν δοῦλόν σου Δ. τὸν μόλις ἀνανήψαντα ἐκ τῆς πλάνης, καὶ ἐπιποθήσαντα εἰσελθεῖν εἰς ἐπίγνωσιν τῆς σῆς ἀληθείας. Σὺ γὰρ εἶπας κύριε, καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης, κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν, καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι, καὶ γενήσεται μία ποίμνη, εἷς ποιμήν. Ποίμανον αὐτὸν ἐν τῇ δόξῃ τῆς σῆς ἀληθοῦς ἐπιγνώσεως κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων ἀποστόλων. Καὶ καταξίωσον αὐτὸν τῆς σφραγῖδος τοῦ θείου μύρου, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπιφοιτήσεως, καὶ τῆς μεταλήψεως τοῦ τιμίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου. Καὶ ἀνάδειξον αὐτὸν τέλειον δοῦλόν σου, ἵνα τῇ ποίμνῃ σου συναριθμηθῇ καὶ αὐτὸς, εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον τῆς μεγαλωσύνης σου. Ὅτι σου ἐστὶν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα τοῦ Πα-

Digitized by Google

ritus-Sancti, nunc & semper & in sæcula sæculorum.

„ Et ungit eum unguento ſicut Neophytos, eamdem ſuper „ ipſum formulam pronuntians; atque iterum deprecatur Sa„ cerdos dicens. *Dominum deprecemur.*

Domine Deus noster, qui dignatus es perfectum reddere servum tuum per orthodoxam in te fidem, & sigillum Sancti Mysterii tui &c.

„ Deinde communicat, & mandata recipit &c.

Præmiſſis verbis deſcriptum Eccleſiæ Græcæ in recipiendis Hæreticis Sacrum ritum, ipſum fuiſſe Confirmationis Sacramentum, non autem meram ceremoniam, communior eſſe videtur eruditorum opinio. Videſis laudatos Petrum de Marca, & Johannem Morinum, (*a*) Hugonem Menardum (*b*) & Juveninum (*c*). Scite autem obſervat laudatus Johannes Morinus (*d*) „ In tribus illis Euchologiis Sacerdotem quum orationem „ ſuper recipiendum fundit, manum ſuper caput illius impo„ nere, quod à Græcis factum in Sacramento Confirmationis „ adminiſtrando, vix umquam alibi reperies. Illi enim ſolo „ Chriſmate in hoc Sacramento utuntur; ajuntque, Chriſma „ manus impoſitionis, qua utebantur Apoſtoli, vicem agere. Porro heic non vacat inquirere, cur ſpecialem hunc ritum in confirmandis Hæreticis uſurparint. Fortaſſis enim in ſignum reconciliationis manus ipſis imponebatur. Sed obſervanda eſt diligentia, quam Græci in ſuis Euchologiis cóncinnandis adhibuerunt. Nam ubi manus imponenda erat, hujus ceremoniæ mentionem facere non omiſerunt. Unde conſequens eſt, eam in ceteris confirmandis non uſurpare, quum manus imponendæ in iis Euchologiis, in quibus communes & ordinarios adminiſtrandæ Confirmationis ritus adnotatos habent, altum ſit ubi-

---

τρὸς, ϗ τοῦ υἱοῦ, ϗ τοῦ ἁγίου Πνεύματος νῦν ϗ ἀεὶ ϗ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

Καὶ χρίει αὐτὸν τῷ μύρῳ καθάπερ τοὺς νεοφωτίστους, τὴν αὐτὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπίῤῥησιν ποιούμενος. Καὶ πάλιν ἐπεύχεται ὁ ἱερεὺς λέγων. τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ καταξιώσας τέλειον ἀναδεῖξαι τὸν δοῦλόν σου διὰ τῆς εἰς σὲ ὀρθοδόξου πίστεως, ϗ τῆς σφραγῖδος τοῦ μυστηρίου σου τοῦ ἁγίου. Καὶ τὰ ἑξῆς.

Καὶ εἶθ' οὕτως κοινωνεῖ, ϗ λαμβάνει παραγγελίας. Καὶ τὰ ἑξῆς.

(*a*) Locis ſuperius citat.

(*b*) In Not. & Obſervat. in Sacramentar. S. Gregor. nu. 334.

(*c*) Diſſert. 3. de Sacram. Confirmat. Quæſt. VII. ar. II. §. I.

(*d*) Ubi ſupra nu. X.

ubique silentium. Est etiam heic obiter observandum, lucem ex hoc loco accipere posse interpretationem, quam M. Gregorii verbis Viri doctissimi adhibent, quum ait in Epistola ad Quiricum (*a*): *Arianos per impositionem manus Occidens, per unctionem vero Sancti Chrismatis ad ingressum Sanctæ Ecclesiæ Oriens reformat*. Ajunt enim, manuum impositionem in Occidente usurpari solitam non exclusisse Chrismatis unctionem; quomodo ex laudatis Euchologiis intelligimus, unctionem Chrismatis Orientalibus usitatam, non exclusisse manuum impositionem. Orientis itaque & Occidentis in Arianis admittendis similem fuisse ritum; etsi nomine distarent, his Chrismatis unctione, aliis vero manus impositione, frequentius hoc mysterium significantibus. Et hanc fuisse M. Gregorii sententiam.

Secundo observat idem Johannes Morinus „ Orationem, „ quæ Chrismationem, præcedit Chrismationis gratiam, & adventum perfectionemque Sancti-Spiritus expressius petere, „ quam Oratio illa, qua Neophyti confirmantur, & consecrantur. Quibus addo, gratiam & adventum Spiritus-Sancti in hac oratione haud aliter expeti quam per unctionem Chrismatis consequendum. Præterea unctionem divini unguenti in eodem cum participatione Corporis & Sanguinis Christi gradu & ordine conlocari. Denique in altera Oratione vim Sacro unguento tribui Christiani hominis perfectivam, & Sacram hanc unctionem sigillum Sancti Mysterii diserte nominari. Ex quibus aperte deducitur, in unctione positam esse juxta Græcos aut totam aut præcipuam hujusce Sacramenti virtutem; & orationem, ac manus impositionem, si quando illi conjungitur, ad effectum Sancti Chrismatis consequendum puram esse putamque præparationem.

IV. Ritualibus Græcorum Libris adcensendæ esse videntur Apostolicæ Constitutiones, ut quæ præcipuos Orientalis Ecclesiæ ritus luculentissime explanent. Libro VII. cap. XLIII. post expositas quæ Baptismum præcedunt ceremonias, hæc subjunguntur: (*b*) „ Et post hoc, quum baptizaverint eum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, lineat unguento, „ ac

(*a*) Lib. XI. Epist. LXVII. ad LXI.

(*b*) Καὶ μετὰ τοῦτο, βαπτίσας αὐτὸν ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, χρισάτω μύρῳ, ἐπιλέγων, Κύριε ὁ Θεὸς, ὁ ἀγέννητος, καὶ ἀδέ-

„ ac dicat „. (Sequitur Κεφάλαιον μδ'. Caput XLIV. περὶ τῦ μυ-„ στικῦ μύρυ εὐχαριστία, de mystico unguento gratiarum actio). *Domine Deus, qui ingenitus es, & Dominum non habes, ipse omnium Dominus, qui odorem cognitionis Evangelii in omnibus Gentibus suavem præbuisti: tu & nunc præsta, ut hoc unguentum efficax fiat in Baptizato; quo firma & stabilis maneat in ipso fragrantia Christi tui, cui ipse, commortuus, consuscitetur ac convivat.* „ Hæc & his „ consentanea proferat. Nam hæc est potestas impositionis ma-„ nuum unicuique factæ. Nisi enim in unumquemq; eorum ta-„ lis quæpiam invocatio a pio Sacerdote adhibeatur; qui bap-„ tizatur, in aquam tantum descendit, ut Judæi, & corporis „ tantum sordes, non autem animæ deponit.

Perdoctus Johannes Morinus, de Pœnit. Libro octavo cap. XVI. num. XII. ex hoc Apostolicarum Constitutionum loco manifesto constare docet, quod quamquam antiquissimus sit istius formulæ σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίυ, *signaculum donationis Spiritus-Sancti*, apud Græcos usus, ea tamen non semper usi fuerint; ut ex S. Clemente, *inquit*, manifestum est, qui solam orationem tradidit, nec istius formulæ aut alterius meminit.

At ego verborum Clementis id consectarium esse non video. Quamquam enim solius orationis expressam mentionem faciat, eam tamen ut Sacramenti formam neutiquam tradidisse videtur, sed ut meram ad susceptionem Sacramenti præparationem. Nam & similis oratio super eos qui baptizandi sunt pronuncianda capite præcedenti describitur, ac de illa esse videtur imprimis intelligendum quod verbis superioribus docet: *Nisi talis quæpiam invocatio a pio Sacerdote adhibeatur; qui baptizatur, in aquam tantum descendit, ut Judæi, & corporis tantum sordes, non autem animæ deponit*: nec tamen quisquam talem quam-

---

τοτος, ὁ τῶν ὅλων κύριος, ὁ τὴν ὀσμὴν τῆς γνώσεως τῦ εὐαγγελίυ ἐν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν εὔοσμον παρασχόμενος· σὺ καὶ νῦν τῦτο τὸ μύρον δὸς ἐνεργὲς γενέσθαι ἐπὶ τῷ βαπτιζομένῳ, ὥστε βέβαιον καὶ πάγιον ἐν αὐτῷ τὴν εὐωδίαν μεῖναι τῦ Χριςῦ συ, καὶ συναποθανόντα αὐτὸν συναναςῆναι καὶ συζῆσαι αὐτῷ. ταῦτα καὶ τὰ τύτοις ἀκόλυθα λεγέτω. ἑκάςυ γάρ ἡ δύναμις τῆς χειροθεσίας ἐςὶν αὕτη· ἐὰν γὰρ μὴ εἰς ἕκαςον τύτων ἐπίκλησις γένηται παρὰ τῦ εὐσεβῦς ἱερέως τοιαύτη τις, εἰς ὕδωρ μόνον καταβαίνει ὁ βαπτιζόμενος, ὡς Ἰυδαῖοι, καὶ ἀποτίθεται μόνον τὸν ῥύπον τῦ σώματος, υ' τὸν ῥύπον τῆς ψυχῆς.

quampiam invocationem pro Baptismi formula habebit.

Cur autem consuetam formulam Pseudo-Clemens in hoc capite prætermiserit, ratio facile reddi potest, nam silentio quoque præteriit sollennes ritus, quibus Sacrum unguentum erat Neophytis adhibendum; uti nec partes indicat corporis, quæ apud Græcos & Orientales jam inde ab antiquissimis temporibus inunguntur. Quare quum Sacri unguenti adplicationem prædicta formula comitetur, mirum esse non debet, si de illa quoque siluerit. Ceterum nobis in memoriam revocare debemus, Apostolicas Constitutiones, ut Viri docti conjiciunt, non nisi sæculo quarto ineunte lucem adspexisse; Unde admodum verosimile est, etiamtum Græcos ea verborum forma in administrando Chrismate usos esse, si constet, eodem sæculo fuisse in Græcis & Orientalibus Ecclesiis communiter usurpatam. S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui ut Cl. Toutée demonstrat (a) anno 348. Catecheses habuit, id est, medio sæculo vix elapso ab eo tempore quo Clementinæ Constitutiones promulgari cœperunt; Sacramentum Confirmationis his verbis describit, quibus plane adludit ad formam, cujus jam tum Hierosolymis sollennis erat in ungendis Neophytis usus: (b) *Et quo modo Sacerdotum in morem appellationis Christi participes facti estis; quove modo* SIGNACULUM *vobis* COMMUNICATIONIS SANCTI-SPIRITUS *sit datum*. Asterius quoque Amasiæ in Ponto eodem sæculo Episcopus ad idem expressissime adludit in sermone de Prodigo, quem Bibliothecæ suæ Cod. 271. Photius inseruit: (c) *Post stolam datur annulus prodigo, symbolum intelligibilis signaculi Spiritus-Sancti. Sicut enim in regeneratione per Baptismum* ϗ στολὴ ϗ σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίυ *& stola & signaculum donationis Spiritus-Sancti; ita & in regeneratione per Pœnitentiam*. Denique Patres Concilii prioris CP. quod labente eodem sæculo celebratum est, & quo præcipua Græcæ & Orientalis Ecclesiæ lumina

Ii con-

(a) Differt. II. de scriptis S. Cyrilli cap. V.

(b) Καὶ ὅπως ἱερατικῶς τῆς Χριςοῦ προσηγορίας γεγόνατε κοινωνοί, ϗ ὅπως Η ΣΦΡΑΓΙΣ ὑμῖν ἐδόθη ΤΗΣ ΚΟΙΝΩΝΙΑΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΝΕΥΜΑΤΟΣ.

(c) Δίδοται δὲ τῷ ἀσώτῳ μετὰ τὴν ςολὴν, ϗ δακτύλιος, σύμβολον τῆς νοητῆς σφραγῖδος τοῦ πνεύματος. ὡς γὰρ ἐν τῇ διὰ τοῦ βαπτίσματος παλιγγενεσίᾳ ϗ ςολὴ, ϗ σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου· οὕτω ϗ ἐν τῇ διὰ τῆς μετανοίας ἀναγεννήσει.

convenerunt, hanc eamdem formulam decreto suo consecrarunt, neque aliam inter inungendum pronuntiandam esse sanxerunt: (a) *Et signantes eos dicimus: signaculum donationis Spiritus-Sancti*. Quum igitur horum verborum usum antiquissimum esse constet; & quum ea verba in omnibus Euchologiis reperiantur; & Sacram unctionem comitentur, in qua præcipuam Sacramenti virtutem Græci Patres constituerunt; & quum adest Pontifex, ab eo dum unctionem perficit, proferantur; & tum præsentem & actu exhibitam donationem Spiritus-Sancti significent: non video, cur non hæc potius verba pro Sacramenti formula habenda sint, quam Oratio, quæ dum Sacramentum per compendium morti proximis administratur, omitti videtur; quæ Patriarcha vel Episcopo Confirmationis officium obeunte, à simplici Sacerdote diverso & loco & tempore ab eo quo unctio à Patriarcha peragitur, recitatur; quæ denique gratiam Spiritus-Sancti non *ἀμέσως immediate*, sed per ipsam unctionem postulat exhibendam.

Sed ut sit de forma, de qua in præsenti disputatione potissimum non est controversiæ caput; ex ipsis Apostolicis Constitutionibus liquet, peractam Sacro unguento consignationem, meram non esse Baptismi ceremoniam, sed Sacramenti Confirmationis partem esse præcipuam, & essentialem materiam. Nam Oratio, quam Confirmationis formam esse volunt, nil aliud petit, quam Sacræ unctionis effectum: *Tu & nunc præsta, ut hoc unguentum efficax fiat in baptizato; quo firma & stabilis maneat in ipso fragrantia Christi tui*. Per unctionem itaque obtinemus quod in Oratione deposcimus: quid autem in Oratione aliud petimus nisi Confirmationis effectus? hos igitur Sacra unctione consequimur. Unde in ejusdem Operis lib. III. cap. XVII. *τὸ μύρον unguentum βεβαίωσις τῆς ὁμολογίας Confirmatio* dicitur *confessionis*. Et lib. VII. cap. XXVII. post præmissam duobus capitibus præcedentibus gratiarum actionem pro Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, exstat *Εὐχαριστία περὶ τοῦ μυστικοῦ μύρου, Gratiarum actio pro mystico & Sacramentali unguento*, his concepta verbis:

(a) „

(a) Καὶ σφραγίζοντες αὐτοὺς λέγομεν, σφραγὶς δωρεᾶς Πνεύματος ἁγίου.

(*a*) „ Pro unguento autem hunc in modum gratias agite : *Gratias agimus tibi , Deus creator omnium , etiam pro fragrantia unguenti* . Quod proinde cum Sacramento Corporis & Sanguinis Christi inter præcipua Dei munera computandum est.

V. Similia tum ex Rituali Severi Patriarchæ Antiocheni, tum ex Ordine mysteriorum secundum Aethiopes, pro Chrismate Confirmatorio, exsculpere nullo negotio possumus argumenta. In Rituali Severi , quod , ut testatur Cl. Renaudotius (*b*) vulgo apud Syros usurpatur , nihil de manuum impositione præcipitur . Post Baptismum *Sacerdos erectus* orationem Sacræ unctioni præmittit, qua petit ejus effectus. Deinde „ signat om„ nia eorum (*baptizatorum*) membra , eorumque frontes tribus „ vicibus; his utens verbis , quæ Sancti Chrismatis vim efficaciamque declarant: *Chrismate Sancto , suavitate odoris Christi Dei, sigillo veræ fidei , complemento pignoris Spiritus-Sancti , obsignatur talis N. In nomine Patris , Amen ; & Filii , Amen ; & Spiritus-Sancti , ad vitam sæculi sæculorum , Amen* . Quibus verbis omnes Confirmationis effectus Sacro Chrismati tribuuntur . „ Et un„ git omnia eorum membra , & manus , & pedes , & nares eo„ rum. Tum demum induuntur suis vestimentis , & ipse (*Sa„ cerdos*) dicit hanc precationem inclinatus : *Benedictus es Domine Deus Omnipotens &c.* quæ gratiarum actionis est pro Sacramentis jam susceptis ; & qua petit eorum effectus in ipsis conservari.

In Ordine mysteriorum secundum Aethiopes de manu super Confirmandos imponenda statuitur . Sed si ad verba adtendamus, quibus Sacerdos Balsamum benedicit , & quæ inter inungendum profert, aperte nobis constabit, in Sacra unctione positam esse juxta Aethiopes hujusce Sacramenti virtutem : „ Postea Sacerdos accipit balsamum , & orat super ipsum di„ cens. *Deus, in quo potestas est , qui solus factor es omnium mirabilium: (nihil enim tibi est impossibile :) confirma Domine virtute tua omnem gratiam Spiritus-Sancti super hoc balsamum . Fiat Sanctum, Amen. Fiat signum vitæ, Amen; & confirmatio famulis tuis, Amen.*

(*a*) Περὶ δὲ τοῦ μύρου οὕτως εὐχαριστήσατε · εὐχαριστοῦμέν σοι , Θεὲ δημιουργὲ τῶν ὅλων, καὶ ὑπὲρ τῆς εὐωδίας τοῦ μύρου.

Amen. Per unicum Filium tuum, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Similia profert Sacerdos, dum omnes ferme in eo qui confirmatur corporis partes inungit: „ Postea ungit „ frontem, dorsum, & oculos eorum in figura Crucis, & di- „ cit: *In unctionem gratiæ Spiritus-Sancti, Amen.* Ungit nares „ & labia, & dicit: *Pignus Regni Cælorum, Amen.* Ungit aures, „ dicit: *Unctio Sancta Dei nostri Christi, & signum quod non ape- „ ritur, Amen.* Ungit dorsum & granum pectoris, seu stoma- „ chi, & dicit: *Perfectio gratiæ Spiritus-Sancti, fidei, & justitiæ, „ Amen.* Ungit tibias & ulnas, genua, & omnes juncturas eo- „ rum, sola pedum, & spinam, & dicit: *Ungo te unctione San- „ cta; ungo te In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti Para- „ cleti, Amen.* Quis credat, Sacrum ritum, de quo adeo magnifice sentiunt, vacuam esse apud Aethiopes ceremoniam; & non potius esse quod dicitur, gratiæ Spiritus-Sancti, fidei, & justitiæ, & vitæ Sacrum & efficax signum; id est, unum ex novi Fœderis Sacramentis? „ Postea imponit manum suam super eos, & dicit: *Benedicti sitis benedictione Angelorum Cœlestium. Benedicat vobis Dominus noster Jesus Christus.* † *Accipite Spiritum Sanctum per virtutem Dei Patris, per virtutem Filii Jesu Christi, & per virtutem Spiritus-Sancti. Sitis vasa electa & munda Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria cum Patre, & Spiritu-Sancto in sæcula sæculorum.* Quæ verba certum non suppeditant argumentum, quod in hac quæ unctionem sequitur manuum impositione Sancti-Spiritus gratia primum Neophytis tribuatur. Quum in Ritualibus, Euchologiis, & Liturgiis, post pronuntiatas Baptismi & Eucharistiæ, & Sacræ Ordinationis formas, similes passim Orationes occurrant; quæ tamen non denotant, virtutem producendi Sacramentales effectus in ipsis formis minime contineri. Videsis Renaudotium To. I. Collection. Liturgiar. Orient. in Notis ad Copticam S. Basil. Liturg. & Dissert. nostram de Liturgica S. Spirit. Invocat. cap. V.

VI. Denique ut magis constet, quam magnifice Græci, ac ceteri Orientales, quorum est cum Græcis, in iis quæ ad Sacramenta pertinent, una eademque sententia; quam magnifice, inquam, de Sacri unguenti virtute ac dignitate Græci sentiant, ex eorum Euchologio orationem heic adtexam, qua in ejus-

ejusdem Sacri unguenti sollenni benedictione utuntur: (*a*) ,, Do-
,, mine misericordiarum, & Pater luminum, à quo munus om-
,, ne bonum, & donum omne perfectum provenit, præbe etiam
,, nobis indignis gratiam, in ministerium magni hujus & vivi-
,, fici mysterii, quam Moysi fideli tuo famulo, & Samueli ser-
,, vo tuo, & Sanctis tuis Apostolis elargitus es; & in unguen-
,, tum hoc Sanctissimum Spiritum tuum emitte. Fac illud Re-
,, gale unguentum, spiritale unguentum, vitæ præsidium, ani-
,, marum & corporum sanctificativum, oleum exsultationis,
,, quod in Lege quidem præcessit, effulsit autem in Novo Te-
,, stamento: quo Reges, & Pontifices, & omnes ab eis deinceps
,, & subsequentibus Episcop. & Presbiter. per iteratæ nativita-
,, tis Lavacrum usque hodie regeneratos unxerunt. Ita, Domi-
,, ne Deus Omnipotens, fac illud adventu Sancti & adorandi
,, tui Spiritus, esse incorruptionis indumentum, signaculum
,, perfectivum, Lavacro tuo insignitis divinam tuam, & uni-
,, geniti Filii tui, & Sancti Spiritus appellationem imprimens,
,, ut per Sanctam hanc obsignationem germani, familiares, ci-
,, ves, servi, & ancillæ, anima corporeque sanctificati, ab om-
,, ni nequitia alieni, omni peccato exemti, inlibatæ gloriæ tuæ,
,, cum vestimenti amictu, coram te à Sanctis Angelis & Ar-
,, changelis & ab omni Cœlesti virtute agnoscantur; malignis
,, autem & impuris Dœmonibus formidolosi adpareant: ut sine
,, ac-

(*a*) Κύριε τοῦ ἐλέους, ϗ πατὴρ τῶν φώτων, παρ' οὗ πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, ϗ πᾶν δώρημα τέλειον δίδοται· παράσχου ἡμῖν τοῖς ἀναξίοις χάριν εἰς τὴν διακονίαν τοῦ μεγάλου τούτου ϗ ζωοποιοῦ μυστηρίου, ὡς ἔδωκας Μωϋσῇ τῷ πιστῷ σου θεράποντι, ϗ τῷ δούλῳ σου Σαμουὴλ, ϗ τοῖς ἁγίοις σου Ἀποστόλοις, ϗ κατάπεμψον τὸ πανάγιόν σου Πνεῦμα ἐπὶ τοῦτο τὸ μύρον. ποίησον αὐτὸ χρίσμα βασιλικὸν, χρίσμα πνευματικὸν, ζωῆς φυλακτήριον, ἁγιαστικὸν ψυχῶν ϗ σωμάτων, ἔλαιον ἀγαλλιάσεως, τὸ προσδεῖξαν ἐν νόμῳ, ἐκλάμψαν δὲ ἐν καινῇ διαθήκῃ, ἐν ᾧ ἔχρισαν Ἱερεῖς τε ϗ Ἀρχιερεῖς, Προφῆτας, ϗ πάντας τοὺς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας ὑπ' αὐτῶν ϗ τῶν καθεξῆς ἐπισκόπων ϗ πρεσβυτέρων ἀναγεννηθέντας ἕως τῆς σήμερον. Ναὶ δέσποτα Θεὲ παντοκράτορ, ἀνάδειξον αὐτὸ τῇ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου ϗ προσκυνητοῦ σου Πνεύματος ἔνδυμα ἀφθαρσίας, ϗ σφραγῖδα τελειοποιὸν, ἐντυποῦσαν τοῖς τὸ θεῖόν σου λουτρὸν δεχομένοις τὴν θείαν σου ὀνομασίαν, ϗ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ, ϗ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἐνώπιόν σου γνωστοὺς οἰκείους, ϗ πολίτας δούλους σου ϗ παιδίσκας, ἡγιασμένους ψυχῇ ϗ σώματι, ἀπηλλαγμένους πάσης κακίας, ϗ πάσης ἁμαρτίας λελυτρωμένους, τῇ περιβολῇ τοῦ ἐνδύματος τῆς ἀχράντου σου δόξης ἐπιγινώσκεσθαι διὰ τῆς ἁγίας ταύτης σημειώσεως. ὑπὸ τῶν ἁγίων Ἀγγέλων ϗ Ἀρχαγγέλων, ϗ ὑπὸ πάσης ἐπουρανίου δυνάμεως, ϗ φοβεροὺς πᾶσιν ὑπάρχειν

Digitized by Google

„ acquisitus & peculiaris populus, regale Sacerdotium, gens „ Sancta; & inlibato hoc mysterio signati, Christum in cordi- „ bus suis in habitaculum tuum Dei & Patris in Spiritu-San- „ cto ferant: quia Sanctus es, Deus noster, & in Sanctis re- „ quiescis; & tibi gloriam referimus Patri, & Filio, & Sancto- „ Spiritui, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. „ *Deinde Pontifex, ait:* Pax omnibus. *Diaconus*, Capita vestra „ Domino inclinate. *Subjungit orationem Patriarcha*. Tibi „ omnium Deo & Regi, cordis cervicem gratias agentes incli- „ navimus, eo quod nos dignos divinorum istorum mysterio- „ rum fieri ministros voluisti: misericordiam idcirco prædica- „ mus, quam abunde super nos effudisti, & ut santificationem „ recipiat & operetur, sicut unguentum capiti supereffusum pre- „ camur, quia unguentum effusum est nomen unigenito Filio „ tuo Christo Deo nostro, in quo mundus omnis visibilis & in- „ visibilis bono repletur odore. Tu enim adorandus ubique es „ & glorificatus, & tibi gloriam & cultum referimus, Patri, „ Filio, & Sancto-Spiritui, nunc & semper, & in sæcula sæ- „ culorum. In his orationibus cernere est, quomodo Græci to- tam Confirmationis virtutem, perfectionem, efficaciam, & om- nes, uno verbo, hujusce Sacramenti prærogativas in Sacro un- guento concludunt. Imo adfirmare optimo jure possumus, quod in nullo antiquitatis monumento, in nullis veterum Patrum, aut recentiorum Theologorum scriptis, non Græcorum modo,

---

τοῖς πονηροῖς καὶ ἀκαθάρτοις δαίμοσιν, ἵνα ὦσι λαὸς περιούσιος, βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον, ἐσφραγισμένοι διὰ τοῦ ἀχράντου σου μυστηρίου τούτου, καὶ τὸν Χριστόν σου ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, εἰς κατοικητήριον σοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς ἐν ἁγίῳ Πνεύματι· ὅτι ἅγιος εἶ ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ ἐν ἁγίοις ἐπαναπαύῃ, καὶ σοὶ τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν, τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι· νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν. Εἶτα ὁ Ἀρχιερεύς. Εἰρήνη πᾶσι. Ὁ Διάκονος. Τὰς κεφαλὰς ὑμῶν τῷ Κυρίῳ κλίνατε. Ἐπεύχεται ὁ Πατριάρχης. Σοὶ τῷ Θεῷ τῶν ὅλων καὶ βασιλεῖ τὸν αὐχένα τῆς καρδίας εὐχαριστοῦντες ἐκλίναμεν, ἀνθ' ὧν ἀξίους ὄντας ἡμᾶς διακόνους γενέσθαι τῶν θείων σου τούτων κατηξίωσας μυστηρίων, καὶ τὸν ἔλεον κηρύττομεν ὃν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως ἐξέχεας, δέξασθαι τὸν ἁγιασμὸν παρὰ σοῦ, ὡς μύρον ἐπὶ κεφαλῆς ἱκετεύομεν. διότι μύρον ἐκκενωθὲν ὄνομα τῷ μονογενεῖ σου Υἱῷ Χριστῷ τῷ Θεῷ ἡμῶν, ἐν ᾧ σύμπας ὁ κόσμος εὐωδιάζεται ὅσος ὁρατὸς καὶ ὅσος ἀόρατος· Σὺ γὰρ προσκυνητὸς ὑπάρχεις καὶ δεδοξασμένος, καὶ σοὶ τὴν δόξαν καὶ προσκύνησιν ἀναπέμπομεν, τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι· νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

modo, sed etiam Latinorum, Sacramenti Confirmationis vis, dignitas, & excellentia, mirabiles ac locupletissimi effectus, luculentius quam in præmissis Orationibus describuntur. Efficaces autem esse hujusmodi preces; & Spiritum-Sanctum per eas invocatum, Divinitatem suam Sacro unguento speciali quadam & arcana ratione conjungere, illudque sua præsentia sanctificare, vimque illi consecrativam, sanctificativam, ac perfectivam Christiani hominis impertiri, communis est veterum Patrum, ac recentium Theologorum, imo & concors & unanimis totius Ecclesiæ Græcæ sententia. S. Cyrillus Hierosolymitanus capite præcedenti laudatus ait, quod *sicut panis Eucharistiæ post invocationem Spiritus-Sancti non est amplius panis simplex, sed Corpus Christi: Sic Sanctum hoc unguentum post invocationem non est amplius nudum unguentum aut commune, sed donum Christi, quod præsentia Spiritus-Sancti, & ipsius divinitate redditur efficax & operativum*. Concinit Pseudo-Dionysius cap. IV. Eccles. Hierarch. ubi consecrationis hujus Sacros ritus ac mysteria lato calamo & magno verborum adparatu describit. Græci ab antiquo illud vocant, *Sacramentum Chrismatis*, *μυστήριον καὶ τελετὴ τοῦ μύρου*; habita ratione, ut Morinus observat (a) non tam ad illius usum, quam ad ipsam materiam Sancti-Spiritus invocatione consecratam. Atque hinc profluxisse videtur eorum opinio, qui *formam istius Sacramenti esse*, dixerunt, *virtutem verborum Episcopi super unguentum pronunciatorum*; ut loquitur Gabriel Philadelphiensis Metropolita: pro qua etiam opinione laudantur Simeon Thessalonicensis, Nicolaus Cabasilas, Marcus Ephesinus, & Hieremias Patriarcha CP. in secundo Responso ad Tubingenses cap. IV. Quam Græcorum sententiam benigne possumus interpretari, dicendo, eos esse intelligendos de Sacramento, ut Theologi de Schola loquuntur, veluti in actu primo; quatenus Episcopali benedictione Sanctus Spiritus invitatus unguentum deputat ad producendos supernaturales effectus, qui in præmissis Orationibus continentur.

CA-

(a) Lib. VIII. de Pœnitentia cap. XVI. num. XI. Vid. & nu. X.

Digitized by Google

CAPUT SEXTUM.

Ex antiquis Latinorum Ritualibus demonstratur, in Sacra unctione aut unice, aut principaliter positam esse Sacramenti Confirmationis essentiam.

I. Confirmationis Ordo ex antiquo Pontificali Egberti.

II. Variæ in eum eodem observationes. Nihil in eo, ut & in aliis pluribus de manuum impositione præcipitur.

III. Ab oratione, & ei conjuncta manuum impositione non videtur Confirmationis Sacramentum omnino, &, ut ajunt, essentialiter dependere.

IV. Confirmationis Sacramentum, & omnibus Latinis Ritualibus, nunquam ab Episcopo sine Chrismate administrandum.

V. De forma Sacramenti Confirmationis apud Latinos.

VI. Episcopi per Sacram unctionem donandi Spiritum-Sanctum à Christo Domino potestatem acceperunt.

VII. Chrismatis Sanctitas, vires, & efficacitas, Præfationibus, aliisque ceremoniis declaran-

tur,

tur, quæ pro ejus sollenni benedictione in Latinis Ritualibus præscribuntur.

I. SAcrum Chrisma essentialem esse Sacramenti Confirmationis materiam, præclaris Latinorum Patrum, & omnis ætatis Scriptorum testimoniis, capitibus præcedentibus locupletissime demonstravi. At non minus perspicua (quod in hoc capite demonstrandum adgredior, & ad statuendum de rebus & controversiis Theologicis non minus momenti ac ponderis habet) ex vetustis Ecclesiæ Latinæ Ritualibus pro eadem opinione mihi suppetunt argumenta.

Plures ad confirmandum Ordines ex vetustis Codicibus MSS. collegit, ac publici juris fecit Tom. I. de antiquis Ecclesiæ ritibus D. Edmundus Martene: ex quibus primum, quis fuerit de Sacramento Confirmationis & Sacro Chrismate veteris Ecclesiæ sensus, eruere pro virili conabor. Primo autem loco hunc profert Ordinem „ ex antiquo Pontificali MS. „ Egberti „ Archiepiscopi, qui circa medium sæculum octavum Eboracensem regebat Ecclesiam.

„CONFIRMATIO HOMINUM AB EPISCOPO DICENDA. QUOMODO CONFIRMARE DEBET.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum tuum ex aqua & Spiritu-Sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum, tu, Domine, immitte in eum septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de Cœlis. Amen. Da ei Spiritum sapientiæ & intellectus. Amen. Spiritum consilii & fortitudinis. Amen. Spiritum scientiæ & pietatis. Amen. Imple eum Spiritu timoris Dei & Domini nostri Jesu Christi; & consigna eum signo Sanctæ Cru†cis tuæ propitiatus in vitam æternam.

„ *Hic debet mittere Chrisma in fronte ipsius hominis, & di-* „ *cere:*

Accipe signum Sanctæ Cru†cis Chrismate salutis in Christo Jesu vitam æternam. Amen. Pax tecum. Et cum Spiritu tuo.

Pax & benedictio Domini sit semper tecum. Et cum Spiritu tuo.

Postea hanc orationem recitare debet.

» *Confirmet te Deus Pater, & Filius, & Spiritus-Sanctus, ut habeas vitam aeternam, & vivas in saecula saeculorum. Ecce sit benedictus omnis homo &c.*

» Modo ligandi sunt.

» *Deus qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, & per eos eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum; & praesta, ut eorum earumque corda, quorum, vel quarum hodie frontem delinivimus, & Signo Crucis confirmavimus, Spiritus-Sanctus adveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat. Per &c.*

» Modo communicandi sunt de Sacrificio.

» Sequitur *tandem* Benedictio Episcopalis.

Benedicat vos Omnipotens Deus &c.

II. Observo imprimis, nihil heic praecipi de manuum impositione; cujus etiam in plerisque aliis Ritualibus nulla fit mentio; sed sola & nuda legitur oratio ad consignandos infantes, *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es &c.* Quod etiam clarissimo Martene sedulo animadversum est (*a*). Qui praeterea adjungit „ quod in Graecorum Euchologio ne vel minimum quidem verbum reperitur de impositione manuum, nec „ ulla praescribitur oratio ad invocandum septiformem Spiritum-Sanctum, cum baptizantur, confirmanturque pueri de „ vita periclitantes. Denique de manuum impositione silet ceremoniale Episcoporum, auctore Andrea Piscara Castaldo lib. 2. sect. 15. sic enim ait (*b*): „ Tunc deposita mitra surgit, & „ conversus ad Confirmandos, junctis manibus ante pectus, di- „ cit: *Spiritus-Sancti gratia &c.* Deinde signans se à fronte ad „ pectus, dicit vers. *Adjutorium*. Subdens postea versus & ora- „ tionem: *Omnipotens &c.* Unde colligitur, hanc ceremoniam non adeo videri necessariam, ut ea praetermissa irritum sit Confirmationis Sacramentum.

III. Oratio, *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare digna-*

(*a*) Tom. 1. de antiq. Eccl. ritib. lib. 1. cap. 2. ar. 3. nu. VI.
(*b*) Apud Menard. in Not. & Observat. ad Sacram. D. Greg. n. 332.

gnatus es &c. quæ ut in isto, ita in aliis communiter Latinis Ritualibus & Sacramentariis occurrit, in Moysacensi annorum, ut Martene testatur, 800. omnino desideratur: Et quæ illi in Græcis Euchologiis correspondet, & incipit, *Benedictus es Domine*, omittitur, quum pueris de vita periclitantibus Sacramentum Confirmationis administratur. Unde confici videtur, quod ab his orationibus, ut etiam à manuum impositione quæ orationem apud Latinos comitatur, Confirmationis substantia non omnino ac necessario dependeat.

Sed inquies, Patres orationi, & manuum impositioni virtutem producendi Spiritum Sanctum perinde atque Sacro Chrismati adscripserunt.

R. Quod veteres Patres, & Concilia non minus disertè Orationi, & manuum impositioni remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ tribuerunt. Eorum testimonia videri possunt apud Morinum de Pœnit. lib. VIII. cap. XV. ubi docet, ac probare contendit, quod „ Reconciliatio annis 1250. „ tam privatim, quàm publicè cum manus impositione facta „ est. *Ac* testimonia varia *refert*, quibus, *inquit*, manus im„ positio pro Sacramento Pœnitentiæ sumitur. Hæc Morinus in epigraphe laudati capitis; in ipso autem capite nu. 1. „ Pra„ xis, *inquit*, istius exempla hic non congeremus, cum totum „ opus sit ejusmodi exemplis intertextum, & vix Patres de Pœ„ nitentia, & potissimum de reconciliatione verba faciant, quin „ manuum impositionem meminerint. Nonnulla tantum testimo„ nia referamus, in quibus SS. Patres manuum impositionem abso„ lute nulla alia re addita pro reconciliatione posuerunt. Docent etiam plures, iique insignes Theologi, absolutionis formulam per duodecim priora sæcula in multis Ecclesiis Occidentalibus non fuisse nisi deprecativam: & Græcos etiamnum solis precibus Pœnitentes reconciliare. Videsis laudatum Johannem Morinum (*a*) Hugonem Menardum, (*b*) Johannem Launojum, (*c*) Edmun-

(*a*) Lib. VIII. de Pœnit. à cap. VIII. usque ad XXI. inclus.
(*b*) In Not. & Observ. ad Sacram. D. Greg. nu. 677.
(*c*) Ap. P. Nicol. in Not. ad Quæst. 84. 3. Part. D. Tho.

mundum Martene, (*a*) & Gasparem Juveninum (*b*). Quæ tamen quamvis ita se habeant, attamen certum est, sine manuum impositione, & sine precibus, quæ in antiquis Pœnitentialibus utramque paginam implent, Sacramentum perfici Pœnitentiæ, & valere formam absolutionis modo indicativo prolatam. Quidni ergo & validum sit apud Græcos Confirmationis Sacramentum pueris in extremis agentibus prætermissa formula *Benedictus es Domine* administratum: adeoque quidni etiam valeret apud Latinos, si ad normam Ritualis Moysacensis, omissa oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, aliquando conficeretur?

IV. *Hic debet mittere Chrisma &c.* Hujus ceremoniæ in ceteris omnibus, quos Martene producit, Ordinibus, expressa fit mentio. Habetur etiam in omnibus Sacramentarii Gregoriani exemplaribus, & in antiquissimo Ordine Rom. I. quem publici juris fecit Joh. Mabillon. Tom. II. Musei Italici num. 44., & in ejus Appendice num. 10., & in Ord. Rom. VII. nu. 12. apud eumdem Mabillon. loco mox laudato. At qui materiam Confirmationis in Chrismatione; formam vero in verbis, quæ consignans Episcopus recitat inungendo, consistere nolunt; sed materiam in impositione manuum, formam in oratione reponunt; hoc præcipue momento nituntur: quod in quibusdam antiquis Pontificalibus libris, & Sacramentariis, in quibus omnes Sacramentorum ritus adamussim referuntur, nulla unctionis, & verborum, quæ, dum eam efficit Episcopus, pronunciat, mentio habetur, sed impositionis dumtaxat manuum, & orationis prædictæ.

Hujus argumenti, quod Adversarii validissimum & Achilleum esse reputant, laudatus Martene triplici responso vires conatur infringere. Primo „ quod in plerisque etiam hujusmo„ di libris nulla fit mentio impositionis manuum, sed sola & „ nuda legitur oratio ad consignandos infantes &c. Quod etiam „ prædicta oratio in libro Sacramentorum Moysacensis Mona„ sterii desideratur &c. Quod similis oratio in Græcorum Eu„ cho-

(*a*) To. 2. de antiq. Eccl. ritib. lib. I. cap. VI. ar. 5. nu. XII.
(*b*) Dissert. VI. de Pœnitentia. Quæst. VII. cap. II. de forma absolut.

„ chologiis prætermittitur, quum baptizantur & confirmantur „ pueri de vita periclitantes. Quod ipsa denique Baptismi „ forma in quibusdam etiam libris desideratur, licet omnes „ Baptismi ritus non negligenter describant.

„ Secundo, in omnibus, *inquit*, Pontificalibus libris, quos „ ingenti numero evolvi, in quibus habetur ordo Confirma„ tionis ab ordine Baptismi separatim descriptus; in omnibus, „ inquam, unctio sub certa verborum formula facienda præ„ scribitur; nec usquam præfata oratio, in qua sitam esse vo„ lunt Confirmationis formam, solitaria legitur, nisi cum or„ dini Baptismi Confirmatio subjungitur. Unde etiam aliquan„ do in uno eodemque Codice post ritus Baptismi conspicitur „ oratio ad consignandos infantes sola; postmodum vero ubi „ ordo Confirmationis post aliquot folia describitur, omnia „ quæ ad Confirmationem spectant, unctio in primis cum sibi „ conjuncta formula reperirentur. Id quod animadverti in „ optimæ notæ Pontificali S. Luciani Bellovacensis annorum „ circiter 700. Unde ergo post Baptismi ordinem unicam ad „ consignandos infantes orationem habent nonnulli Codices „ manuscripti? Sane si conjecturis aliquid dare liceret; dice„ rem, propterea ibidem esse collocatam, quod à Presbyteris, „ Baptismi munus, absente Episcopo, obeuntibus, post omnes „ Baptismi ritus, & orationes recitaretur; in quo nihil pror„ sus incommodi reperio; cum seclusa manuum impositione, „ (*& frontis chrismatione*) pronunciantes hanc orationem Pre„ sbyteri, confirmasse non existimarentur. Conjecturam meam „ confirmant antiqui duo Codices, Missale scilicet Anglicanum „ Monasterio Gemmeticensi dono datum à Roberto ex Abbate „ prædicti Monasterii Episcopo Londonensi, & postmodum „ Archiepiscopo Cantuariensi, cujus character annos circiter „ 900. repræsentat, & Missale Moysacense à nobis jam aliquo„ ties laudatum, in quibus post ritus Baptismi infirmorum, „ qui frequentius à Presbyteris administratur, prædicta oratio „ dicenda præscribitur, nulla Episcopi, aut Confirmationis „ facta mentione.

Hanc non simplicem conjecturam, sed hujusce ritus certam perspicuamque rationem, alia communire libet observatio-

ne,

ne, ex qua liquido constabit, Episcopos numquam sine Chrismate confirmasse, & orationem *ad consignandos infantes*, quum solitaria legitur, non ad Episcopos, sed ad Presbyteros pertinuisse, neque tum fuisse pro Sacramento Confirmationis existimatam. In vetustissimo libro Sacramentorum Gellonensi annorum circiter 900. duplex habetur ordo Baptismi; communis, quum ab Episcopo in Ecclesia sollenniter administratur; & peculiaris *ad infirmum*, ut ipsius Codicis verbis utar, *catbecumenum faciendum, sive baptizandum*. In priori post descriptos Baptismi ritus, hæc pro Confirmationis Sacramento decernuntur: „ Induti vero ordinentur per ordinem, sicut scripti sunt, in „ circuitu; & dat orationem Pontifex super eos, cum Chrisma „ faciens Crucem in frontibus eorum, cum vocatione Sanctæ „ Trinitatis, & tradit eis septiformem Spiritus-Sancti gra„ tiam: *Omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui rege„ nerasti &c.* Postea signat eum in fronte de Chrisma dicens: „ *Signum Christi in vitam æternam. Pax tecum.* R. *Et cum spiri„ tu tuo*. Hoc autem per omnia præcaventes, ut hoc non ne„ gligant, quia tunc omnem Baptismum Christianitatis nomi„ ne confirmant. Post hoc ingrediuntur ad Missas, & commu„ nicant omnes &c. Hæc de Sacramento Confirmationis, quum ab Episcopo Baptismus administratur. Quum autem infirmo idem Sacramentum confertur, siquidem Episcopus adsit, omnia eodem ordine peraguntur: „ Et si Episcopus adest, statim con„ firmare cum Chrisma oportet, postea communicare. At Episcopo absente, primum baptizatus communicat, deinde super eum oratio *Omnipotens sempiterne Deus &c.* nulla facta Chrismationis, aut Confirmationis mentione, à Presbytero recitatur: „ Et si Episcopus præsens non fuerit, antequam post Baptismum „ ablactetur, aut aliquid accipiat, Corpus & Sanguinem Do„ mini communicetur, dicens Presbyter: *Corpus Domini nostri „ Jesu Christi in vitam æternam*. Et dicit orationem: *Omnipotens „ sempiterne Deus, qui regenerasti &c.*

Similia habentur in MS. Pontificali Prudentii Episcopi Trecensis ejusdem fere cum præcedenti vetustatis: „ Et vestitur „ infans vestimentis suis. Si vero Episcopus adest, statim con„ firmari oportet de Chrismate, & postea communicare. Et si

„ Epi-

„ Episcopus deest, à Presbytero communicetur, & dicat orationem: *Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat* „ *te in vitam æternam. Amen*. Oratio: *Omnipotens sempiterne* „ *Deus, qui regenerare dignatus es &c.*

Ita etiam in ordine annorum circiter 800. ex MS. Codice Parthenonis S. Mariæ Calensis in Diœcesi Parisiensi: „ Et ve„ stitur infans vestimentis suis. Si vero Episcopus adest, sta„ tim confirmari eum oportet Chrismate, & postea communi„ care. Et si Episcopus deest, communicetur à Presbytero di„ cente ita: *Corpus Domini nostri Jesu Christi &c.* Oratio ad in„ fantes consignandos: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regene*„ *rare dignatus es &c.*

Ita & in Rituali Gemmeticensi tempore Theodorici Abbatis, qui obiit anno 1032. descripto: „ Si vero Episcopus est, „ statim confirmari eum oportet Chrismate, & postea commu„ nicare. Et si Episcopus deest, communicetur à Presbytero „ dicente ita: *Corpus & Sanguis Domini Nostri Jesu Christi &c.* Postea subjicitur „ Oratio ad consignandos infantes: *Omnipotens* „ *sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es &c.*

Ita denique in ordine annorum circiter 800. ex MS. Codice Bibliothecæ Colbertinæ num. 1927. qui fuit olim Monasterii S. Germani à Pratis: „ Si vero Episcopus adest, statim confir„ mari eum oportet Chrismate, & postea communicare. Et si „ Episcopus deest, communicetur à Presbytero dicente ita: „ *Corpus Domini Nostri Jesu Christi &c.* Oratio ad infantes con„ signandos: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare digna*„ *tus es &c.*

In his omnibus Ordinibus, quamquam Baptismi ceremoniæ, non autem Confirmationis ritus describantur; attamen quotiescumque Confirmatio ab Episcopo peragenda præscribitur, non solum Chrismationis fit expressa mentio, sed hæc tantum memoratur velut unica & adæquata hujusce Sacramenti materia. Id quod etiam observare est in aliis Ordinibus. In Remensi S. Remigii ante annos 900. exarato. „ Inde vero or„ dinantur per ordinem sicut scripti sunt, & confirmat eos „ cum Chrisma. Hoc autem præcaventes non negligantur: „ quia tunc omne Baptismum legitimum Christianitatis est no-

„ mine

„ mine confirmantur (*l. confirmatum*) . Post hoc ingrediuntur „ ad Missas, illud prævidentes, ut postquam baptizati fuerint, „ nullum cibum accipiant, nec ablactentur, antequam commu- „ nicent. Quæ videntur esse desumta ex Ordinibus Romanis à Mabillonio vulgatis. Ita enim in 1. Ordine num. 44. „ Induti „ vero ordinantur per ordinem, sicut scripti sunt, in circui- „ tu: & dat orationem super eos Pontifex, cum Chrismate „ faciens Crucem in frontibus eorum cum invocatione Sanctæ „ Trinitatis, & tradit eis septiformem gratiam Spiritus-Sancti. „ Hoc autem per omnia præcaventes, ut hoc non negligant: „ quia tunc omne Baptismum legitimum Christianitatis nomi- „ ne confirmatur. Et in Ordine VII. num. 12. Induti vero or- „ dinantur per ordinem, sicut scripti sunt, in circuitu: & dat „ orationem Pontifex super eos, confirmans eos cum invoca- „ tione septiformis gratiæ Spiritus-Sancti. Oratione expleta, „ facit Crucem cum pollice, & Chrisma in singulorum fronti- „ bus, ita dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-San- „ cti. Pax tibi*. Et respondet *Amen*. Et hoc omnino præcaven- „ dum est, ut hoc non negligatur: quia tunc omne Baptismum „ legitimum Christianitatis nomine confirmatur. Post hoc in- „ grediuntur ad Missas, & communicant omnes ipsos infantes; „ illud providentes, ut postquam baptizati fuerint, nullum ci- „ bum accipiant, nec allactentur, antequam communicent. Verba illa, *quia tunc omne Baptismum legitimum &c.* doctissimus Mabillonius Commentario prævio in Ord. Rom. §. XV. pag. XCVI. de Unctione Chrismatis interpretatur ita scribens: *Porro hac Pontificali Chrismatione* omne Baptisma legitimum Christianitatis nomine confirmari, *tradit Ordo Romanus*, *non quod unctio posterior sit appendix Baptismi, sed quod Baptismi gratiam corroboret ac confirmet*. Pontificale etiam insignis Ecclesiæ Apamiensis in Syria annorum circiter 500. de Confirmatione agens solius meminit Chrismationis: „ Tunc si Episcopus adest, sta- „ tim oportet eum confirmari Chrismate, & communicari se- „ cundum consuetudinem quarumdam Ecclesiarum. Si vero „ abest, communicetur à Presbytero. *Et infra* „ Romæ vero „ Pontifex Romanus ubi, sicut diximus, baptizavit tres pue- „ ros, videlicet Joannem, Petrum, & Mariam; vadit ad con-

„ signa-

„ signatorium, ibique chrismat infantes &c. Quamvis non dubitem, iis quos confirmabant, manus fuisse ab Episcopis impositas; attamen observatione dignum est, quod in laudatis omnibus Ritualibus, non manuum impositione, sed Chrismate dicuntur ab Episcopis confirmari. Inde enim sequitur, Chrismationem aut unicam esse aut potissimam Confirmationis materiam.

Est etiam illud in laudatis Ordinibus ac Ritualibus animadvertendum, quod Confirmatio cum Chrismate ab Episcopo peragenda Communioni Corporis & Sanguinis Christi præmittitur: Sed Oratio ad consignandos Neophytos, *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es &c.* Communioni à Presbytero admistratæ subjicitur. Unde manifesto colligitur, eam seorsim à Chrismatione & separatim sumtam habitam non esse pro Sacramento Confirmationis; antiquo enim Ecclesiæ ritu, ut ex innumeris veterum Patrum Græcorum & Latinorum testimoniis, Euchologiis, & Ritualibus constat, Confirmatio Communioni Corporis & Sanguinis Christi præibat. Prædicta igitur Oratio, ubi solitaria legitur, ad Confirmationis Sacramentum minime pertinebat, alioquin Communioni præposita fuisset; sed absente Episcopo, à Presbytero fundebatur, ut invocatione super Neophytum septiformis gratiæ Spiritus-Sancti Confirmationis defectum qualitercumque suppleret. Id quod, ut notat Martene specialiter adparet ex libro Sacramentor. Moysacensi. Nam „ si Episcopus adest, statim, *inquit*, confirmari eum oportet, & postea communicare. Sin autem, communicetur à „ Presbytero ita dicente: *Corpus & Sanguis Domini nostri Jesu* „ *Christi &c.* Neque alia Oratio subjungitur, quia opportuno tempore Confirmationis Sacramentum erat ab Episcopo recipiendum. Sed ubi paullo post de Baptismo infirmi tractatur, nulla Pontificalis Chrismationis & Confirmationis mentione facta; sed ejus tantum quæ in vertice à Presbytero Neophytis adhibetur; statuit Rituale, ut baptizatus ab eodem Presbytero Christi Corpore & Sanguine donetur, & super eum prædicta Oratio fundatur: „ Postea communicas eum, & dic orationem „ hanc: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es &c.* In qua Oratione cum ei conjuncta manuum impositione (quam-

vis hanc ceremoniam Sacramentarium minime commemoret) siquidem Sacramentum Confirmationis veteres posuissent, eam ante communionem recitandam esse sanxissent, quomodo administrandam ab Episcopo Confirmationem vetera Ritualia, inter quæ & ipsum de quo nunc agimus Moysacense, ante communionem celebrandam esse decernunt. Quod quidem commune, ac pene universale veteris Ecclesiæ fuisse institutum, innumeris posset, ut supra dictum est, antiquorum Scriptorum testimoniis demonstrari.

Tertium D. Martene responsum ad formam specialiter pertinet, de qua mox dicendum occurrit.

V. *Accipe Signum Sanctæ Crucis &c.* Hæc formula, qua inungens Episcopus utitur, in diversis Ritualibus diversimode effertur. Et primum quidem in variis & antiquissimis Gregoriani Sacramentarii exemplaribus, ut Menardus (*a*) & Morinus (*b*) animadvertunt, nihil ejusmodi legitur. In Ordinibus Romanis, quos Mabillonius edidit, hæc solum verba leguntur. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Pax tecum, vel tibi.* Ref. *& cum Spiritu tuo*: quæ sola etiam exstabant in Libello Romano, cujus sæpe meminit Amalarius (*c*) *Dicit Romanus Libellus, de quo sæpe commemoravimus* „ Oratione expleta, facit Cru„ cem cum pollice ex Chrismate in singulorum frontibus, ita „ dicendo: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti. Pax ti„ bi, & cum Spiritu tuo.* Quæ pariter exstant in libro de Divinis Officiis sub Alcuini nomine edito, & ex variis centonibus consarcinato (*d*). Antiquissima omnium ea esse videtur, quæ habetur in libro Sacramentorum Gelasii Papæ, quem ex vetustissimo Codice Petaviano, postea Reginæ Christinæ, edidit pietate non minus atque doctrina, quam Purpura Eminentissimus Ven. Cardinalis Thomasius: *Signum Christi in vitam æternam.* Ref. *Amen. Pax tecum.* Ref. *& cum Spiritu tuo.* Quam pariter exhibeat apud Martene alii quatuor ejusdem ætatis, annorum sci-

(*a*) In Not. & Observat. ad Sacram. Gregor. nu. 334.
(*b*) De Pœnit. lib. VIII. cap. XVI. nu. V.
(*c*) Lib. I. de Ecclesiastic. Offic. cap. XXVII.
(*d*) In cap. de Sabbato Sancto:

Digitized by Google

scilicet 900. Codices MSS. Regius 3866. Colbertinus 1348. Gellonensis, & Noviomensis: Et Ordo, quem idem Vir Cl. edidit ex MS. Codice insignis Ecclesiæ Bellovacensis, qui fuit quondam Rogerii Episcopi, & primi Comitis; & apud Morinum Collegii Foxensis Tolosani Ceremoniale, pulcro, ut ait, charactere, & charta non plicata mediocri, sed recentioris ætatis. Unde quæ ad formam Confirmationis spectant, aut exscripta fuisse putat idem Vir doctissimus, ex aliquo longe antiquiore, aut forsitan morem illum diutissime in quibusdam regionibus viguisse. Ceteræ formæ in Ritualibus ab 800. annis exaratis ferme indicativæ sunt, earumque varietates videri possunt apud Morinum libro VIII. sæpius citato de Pœnit. & in variis Ordinibus, quos Martene publica luce donavit.

Ad Sacramentaria, quæ nullius formæ mentionem faciunt, quam inungens Episcopus proferat, respondet laudatus Martene, quod „ silentium illud provenire potuit, & summa cura, „ ac sollicitudine SS. Patrum abscondendi Christianæ Religio- „ nis mysteria, & quod factum, ut qui primi libros Sacramen- „ torum composuerunt, Sacramentorum formas scripto tradere „ noluerunt, quos imitati posterioris ætatis Scriptores, Con- „ firmationis formam prætermiserunt. Quanta fuerit in præ- „ senti negotio Innocentii Papæ I. religio, testatur ejus Epi- „ stola I. ad Decentium Eugubinum Episcopum, in qua post- „ quam de unctione adhibenda in Confirmatione disseruit, sic „ tandem concludit: *Verba autem dare non possum, ne magis vi-* „ *dear prodere, quam ad consultationem respondere.* Isthæc Inno- „ centii Sanctissimi Pontificis religio, validius omnibus, quæ „ proferri possent, argumentis probat, formam Confirmationis „ esse verba, quæ pronunciat inungens Episcopus, quæque da- „ re noluit Innocentius, ne prodere videretur mysteria. Alio- „ quin quid periculi esset verba illa declarare.

Secundo R. quod hæc verba Græcorum Euchologiorum, *signaculum doni*, vel *donationis*, aut *communicationis Spiritus-Sancti*: & ista Gelasiani Sacramentarii, *signum Christi in vitam æternam*: & quæ habet Pontificale Egberti, *Accipe signum Sanctæ Crucis Chrismate salutis in Christo Jesu in vitam æternam*: & quæ leguntur in Pontificali Ecclesiæ Pictaviensis annorum circiter 800.

signat te Deus sigillo fidei suæ in consignatione fidei. In nomine Patris, & Filii & Spiritus-Sancti. Amen: Et hæc, aut his similia, quæ cetera Pontificalia repræsentant: *Confirmo, & consigno te signo Sanctæ Crucis, & Chrismate Sanctificationis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, ut habeas vitam æternam*; hæ, inquam, & ejusmodi formulæ secundum substantiam non differunt à verbis Orationis, quæ ad consignandos infantes in Latinis Ritualibus ab Episcopo pronunciatur: *Tu, Domine, immitte in eum septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de cælis ..... & consigna eum signo Sanctæ Crucis tuæ propitiatus in vitam æternam*. Nón enim differunt nisi penes modum indicativum, imperativum, aut deprecativum; quos, satis verosimile est, ut multis ostendit lib. VIII. de Pœnit. doctissimus Johannes Morinus, substantialem in quorumdam Sacramentorum formas differentiam minime inducere. Sive enim dicas: *Signum Christi in vitam æternam, Amen; aut confirmo, & consigno te .... In nomine Patris &c.* Formula virtualiter deprecativa uteris, & hæc verba à Ministro religiose prolata oratio quædam sunt, non minus quam forma Baptismi; *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* & forma Eucharistiæ: *Hoc est Corpus meum*; preces quædam & orationes à Patribus esse dicuntur. Sive dicas super Neophytum tibi subjectum, & sub tuis manibus constitutum, & Chrismate à te in Dei nomine consignandum; *Immitte in eum Spiritum tuum S., & consigna eum, vel jube eum consignari signo Sanctæ Crucis &c.* idem æquivalenter dicis ac si formulam indicativo modo pronunciares, *consigno te &c.* quod nimirum Deus per tuum ministerium, quo exterius sacro Chrismate baptizatum inungis, & signo Christi consignas, ipse eum interius Sancto-Spiritu inungit, qui ut Sacræ Literæ docent, unctio spiritualis & invisibilis est, & ut Patres præcipue Græci loquuntur, Christi character, & sigillum est, ipsi Christo interiorem hominem, dum nobis imprimitur, configurans. Sive ergo hac forma htereris, *signum donationis Spiritus-Sancti*, sive ista, *signum Christi in vitam æternam*; sive laudata sæpius oratione, sive formula indicativa, sive imperativa, Sacramentum perficeres Confirmationis; licet unusquisque veteres Ecclesiæ suæ ritus ab Ecclesia Romana, quæ magistra est omnium Eccle-

clesiarum, adprobatos sequi debeat. Quæ mihi planior ac facilior, & ferme unica visa est, tot & adeo in speciem dissimiles in vetustis, & modernis Ritualibus, Latinis, & Græcis, Syrorum, & Æthiopum Confirmationis formulas invicem conciliandi ratio.

VI. *Deus qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum &c.* Valde notanda est hæc oratio, quæ exstat etiam in Pontificali Ecclesiæ B. Mariæ Remensis circa tempora Hincmari exarato, in Moysacensi, & Senonensi 800. in Bellovacensi S. Luciani 700. in Vindocinensi, sive Salisburgensi 600. & amplius annorum; In Cameracensi, Conchensi, Victorino, Constantinopolitano, Apamiensi, & Senonensi annorum 500., & aliis recentioris ætatis; valde, inquam, notanda est hæc oratio, ut quæ manifeste declaret, ab Apostolis transfusam fuisse in Episcopos potestatem per unctionem Chrismatis Spiritum-Sanctum Fidelibus impertiendi, & hanc sacram unctionem, unicam esse materiam, qua templum Divinæ Majestati Christianorum pectora dedicantur: *præsta, ut quorum frontes Sacrosancto Chrismate delinivimus, & Signo Crucis consignavimus &c.* Cur non adjecissent; *Et quibus manus imposuimus*, si hanc vel unicam, vel præcipuam esse voluissent Confirmationis materiam? In Pontificali Ecclesiæ Noviomensis annorum 400. ita legitur hæc oratio: *Deus, qui Apostolis tuis* PER UNCTIONEM CHRISMATIS *Sanctum dedisti Spiritum, & per eos eorumque successores ceteris Fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostræ famulatum, & præsta, ut eorum corda, quorum frontes Sacro Chrismate delinivimus, & Signo Crucis designavimus, idem Spiritus-Sanctus adveniens, templum Ecclesiæ tuæ dignanter inhabitando perficiat.* Quibus verbis non solum ad ævum Apostolicum, sed ad divinam quoque traditionem Sacrosancti Chrismatis usus manifeste refertur; & hæc esse dicitur forma, quam Deus Ecclesiæ per Apostolos tradidit in hujusce Sacramenti administratione servandam. Non enim putandum est, per unctionem Chrismatis Spiritum-Sanctum ipsis Apostolis absolute fuisse datum, & hanc præmissæ orationis esse sententiam; Sed Spiritum-Sanctum Apostolos recepisse, per unctionem Chrismatis Fidelibus communicandum. Ex quibus omnibus & aliis quas omitto, conjecturis

id

id mihi videor optima ratione colligere, Sacram unctionem unicam esse & adæquatam Confirmationis materiam: Manuum autem impositionem non magis ad hoc Sacramentum pertinere, quam olim ad Sacramentum pœnitentiæ eadem ceremonia spectaret; & nihil aliud esse quam ritum, quo is designatur, super quem ab Ecclesiæ Ministro sollennis recitatur oratio; Unde ad formam magis pertinere videtur, quam ad utriusque prædicti Sacramenti, Confirmationis nimirum & Pœnitentiæ materiam.

VII. Vetustissimam esse in Ecclesiæ consuetudinem, & Apostolicam traditionem, ut Chrisma Confirmatorium sollennibus ab Episcopo precationibus benedicatur, inter Latinos Scriptores antiquissimi Tertullianus (*a*) & S. Cyprianus (*b*); inter Græcos Auctor Apostolicarum Constitutionum (*c*) S. Cyrillus Hierosolymitanus (*d*) & S. Basilius (*e*) tradiderunt. Videndæ sunt etiam Montani Episcopi Tolerani gravissimæ Epistolæ (*f*), altera ad Palentinos, altera ad Theoribium, in quibus adhibendæ ab Episcopo Chrismati benedictionis institutum ad ipsa revocat Christianæ Religionis exordia. Sed in rem nostram adtente considerandæ sunt orationes, quæ ad Chrismatis benedictionem in antiquissimis Sacramentariis & Ritualibus repræsentantur. Inde enim perspicue constat, quam olim Catholica Ecclesia de Sacræ unctionis efficacia & effectibus imbiberit opinionem. In Sacramentario D. Gregorii ad consecrationem Chrismatis hæc legitur Præfatio: *Vere dignum & justum est, æquum & salutare, nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus. Qui in principio inter cetera bonitatis & pietatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna jussisti, inter quæ hujus pinguissimi liquoris ministræ oleæ nascerentur, quarum fructus Sacro Chrismati deserviret. Nam & David Prophetico Spiritu* GRATIÆ TUÆ SACRAMENTA *prænoscens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit. Et quum mundi*

(*a*) Lib. de Bapt. cap. VII. *Perungimur benedicta unctione &c.*
(*b*) Epist. LIII. ab Jubajan.
(*c*) Lib. VII. cap. XLV.
(*d*) Catech. XXI. Mystagoc. III.
(*e*) Lib. de Spiritu S. cap. XXVII.
(*f*) Tom. V. Concil. col. 881. & seqq. noviss. edit. Venet.

mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, similitudinem futuri muneris Columba demonstrans, per olivæ ramum pacem terris redditam nuntiavit. Quod in novissimis temporibus, manifestis est effectibus declaratum, quum Baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus, hæc olei unctio vultus nostros jucundos efficit ac serenos. Inde etiam Moysi famulo tuo mandatum dedisti, ut Aaron fratrem suum prius aqua lotum, per infusionem huius unguenti constitueret Sacerdotem. Accessit ad hoc amplior honor, quum Filius tuus Jesus Christus Dominus noster lavari se à Johanne undis Jordanicis exegisset, ut, Spiritu-Sancto in Columbæ similitudinem desuper misso, unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuisset, testimonio subsequentis vocis ostenderes: & hoc illud esse manifestissime comprobares, quod eum oleo lætitiæ præ consortibus suis ungendum, David Propheta cecinisset. Te igitur deprecamur, Domine Sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, per eumdem Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, ut hujus creaturæ pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris, & Sancti-Spiritus ei admiscere virtutem, cooperante potentia Christi tui, à cujus Sancto nomine Chrisma nomen accepit: unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & Martyres; ut Spiritalis lavacri Baptismo renovandis, creaturam Chrismatis IN SACRAMENTUM PERFECTÆ SALUTIS VITÆQUE CONFIRMES: *ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ nativitatis absorpta, Sanctum uniuscujusque templum acceptabilis vitæ innocens odore redolescat: ut secundum constitutionis tuæ Sacramentum Regio & Sacerdotalis Prophetico que honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur: ut sit his qui renati sunt ex aqua & Spiritu-Sancto Chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes, & Cœlestis gloriæ facias esse consortes. Per eumdem Dominum.*

Exstat hæc eadem Præfatio in duobus MSS. Pontificalibus Anglicanis, uno Monasterii Gemmeticensis, altero Ecclesiæ Rotomagensis annorum 900. exstat etiam, sed cum notabili verborum diversitate, & insigniter interpolata, licet iisdem plane sententiis constet, & easdem repræsentet veteris testamenti figuras: in tribus MSS. Pontificalibus, Lyrensis Monasterii annorum 600. Remensi S. Remigii, Victorino annor. 500. uti videre est apud Martene, de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis cap. XXII. Ex quo ceteris omissis, hæc

præ-

præsenti loco describere operæpretium existimavi, in quibus notabilior est verborum à Gregoriana Præfatione diversitas: *Unde per eumdem Jesum Christum Filium tuum te deprecamur, Sancte Pater, Omnipotens, ut hujus Sancti Olei & fragrantis balsami materiam sanctifices; eamque potentia Christi tui consecres, à cujus nomine Sancto Sanctum Chrisma nomen accepit. Item supplices te rogamus, æterne Deus, ut hanc pinguedinem Spiritus-Sancti virtute impingues, eamque divinæ caritatis dulcedine exuberare facias, & omni benedictione confirmes; hoc, Domine, benedictum Chrisma in sanctificatione unctionis effloreat, & in odore suavitatis & gloriæ redolescat. Sit hoc confectio sanctitatis, sit Chrisma salutis, sit unctio spiritualis, sit omnibus ex aqua & Spiritu-Sancto renatis vexillum victoriæ invincibilis, sit unguentum exsultationis, spes jucunditatis, expiatio iniquitatis, sit vita vitalis, & via Patriæ Cœlestis. Præsta, Domine, ut hoc salutari Cælestis gratiæ medicamento omnium peccatorum per Spiritum-Sanctum nobis perveniat remissio, ut in Cœlestis Paradisi mereamur amœnitate cum Sanctis perfrui gloria claritatis æternæ, qui in Trinitate coæternæ Majestatis Deus Omnipotens vivis & glorificaris per immortalia sæcula sæculorum. Amen.*

Alias ex eisdem Codicibus laudatus Martene describit Orationes, quæ paribus verborum sententiarumque luminibus Confirmatorii Chrismatis Sanctitatem uberrimosque fructus declarant. Sed præcipue notanda est benedictio *Olei Chrismalis*, quam idem Auctor ex MS. Pontificali insignis Ecclesiæ Conchensis in Hispania producit: *Adesto, Pater altissime & invocantis te peccatoris ac miseri preces intende. Illum nobis Spiritum Deus nunc dirige, quo præ participibus suis Filium tuum Pater unxisti, ut præparatum hoc Chrisma unguentorum tuorum odore sanctifices, & septiformi gratia spirituali confirmes; quos per lavacrum spirituale redimis, sic dignanter illustres, ut sit eis Cœlestis unctio, Chrisma benedictionis initium Christianitatis, tunica nuptialis, collatio perpetuitatis, peccatorum remissio, filiorum adoptio, virtutum sancta collatio, & spiritalis gratiæ summa perfectio, ut quicumque hoc Sacro signabuntur unguento, & Corporis ac Sanguinis Filii tui perceperint Sacramentum, capiant præsenti unctione custodiam, & vitam consequantur æternam. Per.* Profecto aut existimare debemus, inanes Ecclesiæ fuisse preces, aut ejusmodi benedictionibus fuisse Sacro-

cro-

Sacrosanctum Chrisma his producendis effectibus præparatum. Refert etiam idem Martene, olim præter sollennem Missam, quæ vespere de Cœna Dominica; & eam, quæ mane pro Pœnitentibus cantabatur; alia inter utramque pro Sacri Chrismatis benedictione, *Chrismalis* dicta, celebrabatur: atque exstare testatur hujusmodi Missam in antiquissimis Sacramentorum libris, ut in Remensi S. Remigii tempore Caroli Magni scripto, in Gellonensi, in Regio, & Noviomensi ab annis 900. minimum scriptis, ex quibus eam laudato loco describit. Præfatio ex Gregoriano Sacramentario desumta est: *Vere dignum & justum est, clementiam tuam suppliciter obsecrare, ut spiritalis lavacri Baptismo renovandis, creaturam Chrismatis in Sacramentum perfectæ salutis vitæque confirmes: Ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ nativitatis absorpta, Sanctum uniuscujusque templum acceptabilis vitæ innocens odore redolescat: Ut secundum constitutionis tuæ Sacramentum, Regio, & Sacerdotali, Propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur. Per.*

Profecto neq; majori sollennitate fons ipse Baptismatis consecratur, neque uberior super aquas regenerationis effunditur benedictio, neque ampliores ex ipsismet Sacris undis expetuntur aut exspectantur proventus. Meram, & ab Ecclesia institutam Baptismi ceremoniam tot adumbratam fuisse veteris Testamenti figuris, tot fuisse præconiis celebratam, tot fœcundam esse virtutibus; quis sibi facile persuadeat? Feria quinta in Cœna Domini, præter confirmatorium, duplex, ut notum est, benedicitur oleum; nimirum Cathecumenorum, & Infirmorum sed præcipua solemnitas in Chrismatis, quod Græcis *μέγα μύρον magnum unguentum* dicitur & in vetustissimis Codicibus Anglicanis *Chrisma principale*, benedictione versatur. Oleo Infirmorum, quamvis indubia sit Sacramenti extremæ-unctionis materia, minor sollennitas adhibetur. Profecto quicumque invicem conferet preces ac ritus, quibus in olei Infirmorum, & Chrismatis benedictione Ecclesia utitur, majorem Chrismatis esse judicabit quam olei, sanctitatem & excellentiam; non aliam utique ob caussam (neque enim alia ratio adferri potest) quam quod materia sit excellentioris ac perfectioris Sacramenti.

Digitized by Google

Peracta adeo sollenni ritu Sacrosancti Chrismatis consecratione, per Parochias distribuebatur, non minori pietate ac religione servandum. In Tomis Conciliorum Canones passim occurrunt hac de re aliquid statuentes. Canone XXXVI. Concilii IV. Carthaginensis, & Canone XX. Concilii I. Toletani decernitur, ut Parochi aut per seipsos, aut saltem per Diaconos, aut Subdiaconos, numquam per simplices Clericos, multo minus per Laicos Chrisma ab Episcopis recipiant: cujus ordinationis hæc ratio redditur Canone III. Concilii Vasensis: *Quia inhonorum est, inferioribus* SUMMA *committi*. Concilium Wormatiense Canone LX. & Concilium Autissiodorense Canone VI. adjungunt, ut idem Chrismati, qui Sacris Reliquiis honor exhibeatur. Concilium Emeritense Canone IX. Cabilonense II. Canone XVI. Meldense Canone XLV. Barcinonense anni 599. Canone II. & Bracarense II. Canone IV. prohibent, ne pro Chrismatis pretio Episcopi quidquam à Presbyteris exigant; *ne*, inquit Concilium Barcinonense, *gratia Dei pretio benedictionis affecta, Simoniacum interitum ementibus vendentibusque associet*: & Bracarense: *Ne forte quod* PRO SALUTE ANIMARUM PER INVOCATIONEM SANCTI-SPIRITUS CONSECRATUR, *sicut Simon Magus donum Dei pecunia emere, ita nos venumdare damnabiliter videamur*. Denique Concilium Arelatense VI. anno 813. celebratum Canone XVIII. & Capitulare Caroli Magni eodem anno editum statuunt; *Ut Presbyteri sub sigillo custodiant Chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ, vel cujuslibet rei donare præsumant. Quod si fecerint, honore priventur*. GENUS ENIM SACRAMENTI EST, inquiunt Patres Synodi Arelatensis, *& non ab aliis, nisi à Sacerdotibus contingi debet*.

Quæ sane omnia quisquis sedula mente perpenderit, animoque à præjudiciis libero examinaverit; haud eum dubito, in eam sententiam facile iturum, quam præsenti Dissertatione aperte luculenterque mihi demonstrasse videor, Sacram unctionem semper habitam in Ecclesia fuisse aut pro unica & adæquata, aut saltem præcipua Sacramenti Confirmationis materia.

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM.

Chrismatis usum in confirmandis Neophytis ab ipsis usque Christianæ Religionis primordiis esse repetendum. pag. 133.

CAPUT SECUNDUM.

Patribus Latinis Concilio primo Arausicano antiquioribus Sacram unctionem distinctum fuisse Baptismate Sacramentum. p. 161.

CAPUT TERTIUM.

CAPUT QUARTUM.

Digitized by Google

CAPUT QUINTUM.

CA-

CAPUT SEXTUM.

FINIS.

10.4.255
E

Powered by Google